






GMEINERI XAVERII

EPITOME
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
N. T.

IN USUM

PRÆLECTIONUM ACADEMICARUM.

TOMUS II.

COMPLECTENS DUAS EPOCHAS POSTERIORES.





MATRITI
EX TIPOGRAPHIA IBARRA.
ANNO MDCCCXXII.

Se hallará en la librería de Matute, calle de Carretas.

CONSPECTUS CAPITUM.

EPOCHA TERTIA.

MEMBRI I SECTIO I.

De fatis ecclesiæ externis.

MEMBRI I SECTIO II.

De fatis ecclesiæ internis.

MEMBRI II SECTIO I.

De fatis ecclesiæ externis.

MEMBRI II SECTIO II.

De fatis ecclesiæ internis.

EPOCHÆ QUARTÆ

INGRESSUS.

Historia Reformationis a Luthero susceptæ.

EPOCHÆ QUARTÆ

MEMBRUM I.

Historia ecclesiæ catholicæ.

MEMBRUM II.

Historia ecclesiæ protestanticæ.

MEMBRUM III.

Historia ecclesiæ reformatæ.

MEMBRUM IV.

Historia sectarum reliquarum.

EPOCHA TERTIA.

A

CAROLO M. AD CONCILIUM TRIDENTINUM.

INGRESSUS.

Hæc epocha cum ceteris longior sit, in duo dividi solet membra, ita ut considerentur facta ecclesiæ a Carolo M. usque ad Gregorium VII. Papam, & inde usque ad concilium Tridentinum, seu reformationem Lutheri.

MEMBRI I. SECTIO I.

DE

FATIS ECCLESIÆ EXTERNIS.

CAPUT PRIMUM

DE

FATIS ECCLESIÆ PROSPERIS.

§. 1. In Europa omnes fere Germanorum populi, exceptis Bavaris, & Francis adhuc Ethnici erant. Tentarunt sæpius Germanorum institutionem tum viri pii, tum & ipsi Reges, quorum intererat, ut feritatem suam gentes bellicosæ exuerent, & mansuetiores fierent, sed aut nullo fructu, aut exiguo. Seculo vero octavo felicioribus auspitiis opus idem adgrediebatur *Winifridus* monachus Benedictinus illustri genere in Anglia natus. Is anno 715. ex patria sua cum duobus sociis egressus inter Frisos primum Chris-

tum frustra prædicabat, anno vero deinde 719. a Gregorio II. Papa solemniter legatus inter Thuringos, Frisos, Hassos utilius doctoris Christiani munus obibat.

§. 2. Anno 723. venit Romam, ibique eum Gregorius II. Papa imposito nomine *Bonifacii* episcopum creavit. Potentia, & opibus *Caroli Martelli* Majoris - Domus Franciæ adjutus ad Hassos, & Thuringos redibat, & quod cœpit opus, secundis votis prosecutus est. Pluribus Christianorum cœtibus collectis, quum omnes solus regere non posset, anno 738. a Gregorio III. Papa archiepiscopus creatus ejus authoritate plures in Germania episcopatus fundabat, Herbipolensem, Buraburgensem, Erfordiensem, & Eichstadensem, quibus anno 744. celebre monasterium Fuldense (quod nunc ad episcopatum evectum) addebat. Supremum laborum præmium *Zacharias* Papa ei decernebat, a quo archiepiscopus Moguntinus, Germaniæque ac Belgiæ Primatus constituebatur. Senex ad Frisos iterum proficiscebatur, ut in ea gente, in qua suam inchoaverat legationem, eamdem terminaret, sed ab his anno 755, cum quinquaginta ociis trucidabatur. Meruit Bonifacius propter tot labores nomen *Apostoli Germaniæ* [1].

1. Pluribus agunt de Bonifacio Baronius ad annum 755. Serarius in Moguntinis episcopis, & Browerus in historia Fuldensi. Collegit Serarius *epistolas* Bonifacii, quas ignorantiam rerum sacrarum testari adfirmat Mullerus in compendio Moshemii. Primus fuisse narratur Bonifacius, qui Pontifici juramentum fidelitatis præstitit. (*Historia de la bula de la cena* Tom. 2. p. 99.)

§. 3. Inter reliquos Germanorum apostolos commemorandi sunt *Corbinianus* monachus e Gallia Benedictinus, qui post varios labores in Bavaris, aliisque populis emendandis collocatos Freysingensium episcopus evasit. *Priminus* Gallus in Germania multas inter molestias Christianam veritatem docuit. *Lebvinus* Anglus ferocem Saxonum gentem, Frisos item, & Belgas, aliosque serio quidem, at exiguo cum fructu ad recipienda sacra Christiana exhortatus est [1].

1. Fidem Christianam seculo octavo quidem susceperant Hircani, & veteres Scythæ, qui modo Tartari vocantur, at hæresi imbuti a *Timotheo* Nestoriano.

§. 4. Saxones amplissimam, & maximam Germaniæ partem occupantes, qui cum Francis perpetua fere bella de finibus, aliisque rebus gerebant, Carolus M. Francorum Rex anno 772. domare, & simul ab idololatria avocare adgrediebatur, sperans fore, ut animi Christi præceptis exculti ferociam sensim deponerent, Francorumque imperium tolerare discerent [1].

1. Videtur Carolus M. maxima ex parte vi, & armis gentem Saxonum ad Christianismum coegisse; quod enim partim præmiis, partim minis ad fidem perducti sint, constat ex *Alcuino* Caroli M. præceptore, qui narrat: „Antiqui Sa„xones, & omnes Fresonum populi instante Rege Carolo alios *præmiis*, alios „*minis* solicitante ad fidem conversi sunt." qui enim avitam superstitionem reliquerunt, pristinæ libertati, quam victi amiserant, restituti, & omni censu Regi debito soluti sunt, si quis autem baptismum suscipere renuit, morte punitus. Narrat etiam Alcuinus, quid Saxones potissimum a fide suscipienda alienaverit, Ep. 104. operum pag. 1647. his verbis: *Si tanta instantia suave Christi jugum, & onus ejus leve durissimo Saxonum populo prædicaretur, quanta decimarum redditi, vel legalis pro parvissimis quibusdam culpis edictis necessitas exigebatur, forte baptismatis sacramenta non abhorrerent. Sint tandem aliquando doctores fidei apostolicis eruditi exemplis. Sint prædicatores, non prædatores.*

§. 5. Seculo nono evangelium prædicatum fuit in *Dania* ab *Ebbone* Remensi episcopo illuc misso a Papa Paschali I. anno 823. & baptismo ablutus est anno 826. Rex Danorum *Heroldus*, Christianæ item religioni nomen dedit anno 878. alter Daniæ Rex *Curo* nomine. *Suevos*, *Cimbrosque* auspiciis Ludovici Pii Caroli M. filii ad Christum convertit *Anascharius* monachus Corbejensis, comite *Authberto*. Vestigia magni hujus hominis, qui primum Hamburgensis episcopus, dein archiepiscopus Bremensis anno 833. constitutus est, alli deinde secuti sunt.

§. 6. *Mysos*, *Bulgaros*, *Gazaros* primum, deinde etiam *Bohemos*, & *Moravos*, aliqua jam religionis Christianæ notitia imbutos, duo Græci monachi *Methodius*, & *Cyrillus*, Constantinopoli a *Theodora* Augusta matre Michaelis III. circa annum 850. missi, Christum recipere docuerunt. Has ipsas vero nationes postea Romani Pontifices a Græcorum ritibus avocare, at haud sine ortis rixis, tentarunt. Sub *Basilio Macedone* Græcorum Imp. *Slavorum* populi, *Arentani*, & alii Dalmatiam incolentes ad sacra Christiana recipienda Græcis paratos se profitebantur. Idem Imperator bellicosæ *Ruthenorum* genti fidem Christianam persuasit, & receperunt etiam missum Constantinopoli archiepiscopum.

§. 7. Seculo decimo *Otto* M. Imp. in Germania, præsertim in Saxonia religionem Christianam propagavit, aut nondum satis stabilitam roborare studebat; ejus enim beneficio, & liberalitate multis in urbibus Brandeburgi, Havelbergæ, Misenæ, Magdeburgi, ubi nulli antea episcopi erant, eos constitui, & homines passim adhuc semibarbaros rectius institui curavit.

§. 8. *Rollo* Normanorum Dux, & archipirata a Carolo Simplice Gallorum Rege, spe securitatis a tam horribili hoste, matrimonii cum Gisela filia adductus cum suis nomen Christo dedit. *Micislaus* Polonorum Dux anno 965. nuptiis Dambrobkæ Bohemorum Principis filiæ commotus, avitam religionem cum Chris-

tiana commutavit, suosque reluctantes Polonos commutare, itemque duobus Archiepiscopis, & septem episcopis parere coegit. Idem Ruthenorum Dux Wlodimirus anno 987. fecit, postquam Annam Basilii junioris, Græcorum Imperatoris sororem duxit uxorem.

§. 9. Hungarorum aliqua jam luce Caroli M. ætate collustratorum, Dux *Geisa* anno 960. sacro fonte est lustratus, sed hujus tamen filio S. *Stephano* præcipua Hungariæ Christo subjectæ gloria debetur. Danorum Rex *Haraldus* anno 948. victoris sui Ottonis M. religionem una cum subjectis recepit, neque filii *Suenonis* ferocitas postea veterem superstitionem stabilire iterum potuit. Norvegiæ incolis *Haco* Rex anno 945. in comitiis Frostensibus religionem Christianam persuasit. Ex Norvegia ad *Orcades* insulas, Islandiam, atque Grænlandiam paullo post Christiana pervenit religio.

§. 10. Jam seculo decimo consilia de bello sacro Machumedanis Palæstinam tenentibus inferendo inter Europeos Reges, ac Principes agitari cœpit [1]. Classicum in exitu hujus seculi primo pontificatus sui anno cecinit *Sylvester II.* scripta nomine ecclesiæ Hierosolymitanæ ad ecclesiam universalem epistola, qua graviter Europæos ad Christianis Hierosolymitanis succurrendum obtestatur; verum nulli tum erant, qui Pontifici obedire vellent, præter Pisanos in Italia, quos ferunt statim se ad bellum sacrum accinxisse.

1. Intolerandum enim. & Christianis ignominiosum videbatur, terram, in qua Christus vixit, in ditione hostium ejus relinqui, justissimum vero injurias ulcisci, quibus Palæstinæ possessores Christianos in ea viventes, aut religionis causa in eam proficiscentes afficere, aut vexare solebant.

CAPUT SECUNDUM

DE

FATIS ECCLESIÆ ADVERSIS.

§. 11. Imperium Constantinopolitanum seculo octavo tot sensit funesta fata, & intestinas calamitates, ut non poterat non ingentem virium jacturam facere; nulli enim fere Imperatorum quiete regnare licuit: tres solio deturbati, variisque contumeliis adfecti in exilium missi sunt. Hinc Saracenis libere per Asiam, &

Africam vagari, infinita Græcis mala exhibere, amplissimas terras in ditionem suam redigere, & inde Christianam religionem ubique deprimere, variis in locis prorsus extirpare licuit.

§. 12. Idem Saraceni trajecto mari, quod Africam sejungit ab Hispania anno 714. *Roderici* Gothorum in Hispania Regis exercitum fundebant, maximamque terræ hujus partem sibi subjiciebant [1]. Neque Italia tuta erat a bellicosa hac gente; nam Sardiniam insulam in ditionem redigebant, & Siciliam misere vastabant. In Hispania igitur, & Sardinia sub his dominis insignem cladem religio Christiana patiebatur. In Germania, finitimisque regionibus illæ gentes, quæ Christianam fidem amplexæ sunt, a ceteris, quæ idololatriam non abjecerant, multis injuriis adfectæ sunt. Extructa hinc passim sunt varia castella, & munimenta, quibus impetus barbarorum cohiberetur.

1. Carolus M. quidem valido in Hispaniam exercitu ducto totam hanc illis provinciam eripere tentabat non infelici quidem successu, at non eo, quem sperabat, eventu.

§. 13. Seculo nono pergebant Saraceni Christianos vexare [1], sed præterea eodem seculo alia pestis Christianos in Europa degentes infestabat. *Normani*, id est, populi Daniæ Norvegiæ, & Sueciæ oras maris Baltici incolentes, qui cædibus, & rapinis adsueti erant, quorumque Duces piraticam exercere solebant, regnante adhuc Carolo M. Germaniæ, & Galliæ littora classibus suis infestarunt, quibus castra jam opposuit. Hoc vero seculo multo audaciores facti frequentibus incursionibus Germaniam, Britaniam, Frisiam & præsertim Galliam vexare, & depopulari pergebant. Primum quidem feroces hi populi prædam tantum, & mancipia quærebant in terris, quas invadebant, rursumque revertebantur; at paullatim amænitate, & fertilitate provinciarum capti, sedem in illis sibi etiam figebant, neque hoc Europæi Reges impedire poterant. *Carolus Calvus* hoc seculo non mediocrem regni sui partem anno 850. his advenis concedere cogebatur. Paucis post annis *Carolo Crasso* Francorum Rege *Godofredus* eorum Dux fortissimus bellare non desistebat, antequam totam sibi Frisiam subjiceret [2].

1. Nam tenebant universam Asiam, Africæ partem optimam, in occidente Hispaniam, & Sardiniam. Ex Africa in Siciliam, Corsicam, & Cretam, ex Sicilia in Italiam trajiciebant crudeliter omnia depopulantes. Hæc prosperitas quantum ubique rei Christianæ detrimentum adtulerit, facile intelligitur, in Oriente præsertim multæ nationes victorum religionem amplexæ sunt, qui vero majori erant constantia, magnam partim fortunarum jacturam fecerunt, partim in stuporem, & inscitiam conjecti sunt.

2. Mansuescebant vero paullatim, qui Christianos inter considebant, atque uxo-

ribus Christianis ductis idololatriam abjecerant. Id Godofredus ille Frisiæ victor hoc jam seculo faciebat, postquam *Giselam* Regis Lotharii junioris filiam uxorem a Carolo Crasso acceperat.

§. 14. Seculo decimo pergebant Saraceni in Asia, & Africa, licet ipsi intestinis dissensionibus, aliisque malas valde premerentur, suæ id est, Machumedanæ religionis præcepta disseminare, quod studiom magnam de numero Christianorum multitudinem detraxit. Idem Saraceni *Turcis* [1] religionis suæ veritatem persuaserunt, nec tamen hæc nova cum Saracenis religionis societas Turcas morari potuit, ne, cum deinde a Persis in auxilium vocarentur, primum Saracenos Persarum regno privarent, deinde ad alias eorum provincias occupandas progrederentur [2].

1. Sunt Turci Tartarorum progenies, gens aspera, & immansueta, quæ ex angustiis montis Caucasi, locisque inaccessis erupit.

2. Ita Saracenorum imperium, quod Greci & Romani frustra debilitare conabantur, a sociis & amicis eorum paulatim diminutum est, potentissimumque illud Turcarum imperium, quod hodiedum existit, in ejus locum successit.

§. 15. Etiam in Occidente populi illi, qui se Christo nondum subjecerant, graves ubique in ejus sectatores inimicitias exercuere. Normani per dimidium fere seculum Francos, aliosque maximis malis adfecere. Slavi, Bohemi & alii, quibus ignota & exosa erat Christi disciplina, non modo summa vi eam a finibus suis propellere studebant, verum etiam vicinarum gentium, a quibus recepta erat, terras ferro sæpe ac igne vastarunt. Dani non antea Christianis molesti esse desierunt, quam Ottonis M. armis subigerentur [1].

1. Infinita hæc mala, quæ populi infideles Christianis intulerant, indeffessum illud Christianorum Principum studium excitarunt, effrænatos, ac furiosos hosce populos ad Christum adducendi. Non illi religionis tantum, verum etiam quietis, & securitatis rationem habuerunt; sperabant enim fore, ut feroces hi animi præceptis Christianis mitigarentur. Itaque Regibus, ac Ducibus eorum matrimonia, auxilia contra hostes, agros aliasque opportunitates offerebant, si avitis religionibus, quæ totæ militares, & ad ferociam alendam comparatæ erant, nuntium mittere vellent, quibus hi muneribus, & fructibus commoti tum ipsi concessere, tum populis suis, ut id ipsum facerent, suasere.

MEMBRI I. SECTIO II.

DE FATIS ECCLESIÆ INTERNIS.

CAPUT PRIMUM

DE STATU LITTERARUM, ET ERUDITIONIS.

§. 16. Si in ente A continetur ratio, cur in ente B. mutationes contingant, tum illud in hoc *influere* dicitur. Itaque si quandoque status litterarum mutationes quasdam in ecclesia produxit, oppido liquet, eum in ecclesiam influxum habere, atque historici officium esse, statum eruditionis cujuslibet epochæ exponere[1].

1. Est enim juxta receptum eruditorum adagium *ignorantia* mater superstitionum, & ex neglecta, aut culta philosophia nunquam non ecclesia detrimentum aut emolumentum sensit.

§. 17. Inter Græcos quidem non deerant seculo octavo, qui fugientes litteras morari & potuissent, & voluissent, sed in perpetuis illis turbis, quibus res sacra, & civilis in summum discrimen adducebatur, patroni deerant. Aristotelis tamen philosophia haud mediocres progressus faciebat & in scholis ubique tradebatur[1], de qua bene præ ceteris hac ætate promeritus est *Joannes Damascenus*, in gratiam rudiorum dogmata aristotelica quibusdam libellis illustrando.

1. Plato enim post Origenis sententias publice toties damnatas, exortasque lites Nestorianas, & Eutychianas ex scholis amandatus est, eo quod Nestoriani, & Jacobitæ æque diligentes in repetendo Aristotele fuerint, quo cum Græcis tanto animosius de naturis, & persona Christi disputare possent.

§. 18. Latinorum profunda fuit ignorantia. Romæ, & in non-

nullis Italiæ urbibus restabat tenuis doctrinæ umbra, præter hanc autem quidquid litterarum supererat, ad Britanos, & Hibernos sese receperat, quique idcirco laudem ingenii præ ceteris ex Latinis sunt consecuti, si paucos ex Italis, & Gallis excipias, omnes prope Britani, aut Scoti, id est, Hiberni erant. Huic ignorantiæ Carolus M. ipse litteratus authore præprimis præceptore suo *Alcuino* sese opposuit, illius enim authoritate, & jussu episcopi in primariis suis ecclesiis erigebant scholas, quas *cathedrales* nominabant [1]. In his juvenes, & pueri ecclesiæ dicati litteris imbuebantur, Abbates pariter monasteriorum, in quibus aliquid bonæ mentis erat, scholas aperiebat, in quibus fratrum aliqui latinam linguam, aliaque quædam docebant.

1. Olim Carolus M. etiam universitatis Parisiensis fundator putabatur, hodie tamen hac gloria eum omnes privant, quamquam fundamenta ab eo jacta esse exploratum sit. Imo in aula ipsa Carolus M. scholam, quam *palatinam* nominavit, instituit, ubi tum suos, tum procerum libellos erudiri jussit.

§. 19. Verum ex his scholis haud multo meliores, & doctiores, quam ad eas accesserint, exibant juvenes. Magistrorum exigua erat dexteritas, ipsa quam explicabant doctrina tam sterilis erat, & arida, ut eximiæ utilitati nulli esse posset. Universus scientiarum orbis septem continebatur disciplinis, quas tum artes liberales nominabant, scilicet gramatica, rethorica, dialectica, arithmetica, musica, geometria, & astronomia, quarum tres priores *trivium*, posteriores *quadrivium* adpellabantur [1]. Inque scholis ultra trivium doctores progredi haud audebant, qui vero trivio, & quadrivio superato majus aliquid tentare cupiebant, ii *Cassiodoro*, & *Boethio* operam dare jubebantur.

1. Quæ scientiæ quam misere traditæ sint, ex Alcuini de illis opusculo, aut ex Augustini libellis, quibus tum nihil habebatur præstantius, cognoscitur. Alcuinus autem suum opusculum de artibus liberalibus fere totum ex Cassiodoro exscripsit.

§. 20. Cum miser fuerit seculo octavo litterarum status, etiam non mirum, perpaucos hujus seculi fuisse scriptores, quibus magnam laudem tribui liceat. Ex Græcis *Germanus* Patriarcha Constantinopolitanus sub Imp. Leone Isauro ex litibus cum Iconomachis claritatem aliquam adeptus est. Princeps Græcorum, & orientalium scriptorum hujus seculi est *Joannes Damascenus* nobilis Syrus, quondam Caliphæ Saracenorum administer, & cancelarius, dein monachus in Laura S. Sabæ in presbyterum a Joanne Hier. Patr. ordinatus. Celeberrimum inter ejus scripta est opus, quod inscripsit, *Libri quatuor de orthodoxa fide*, quo universam doctrinam Christianam scientiæ forma vestitam comprehendit.

1. Primum itaque Joannem Damascenum fuisse, qui theologiæ Christianæ formam scientiæ dedit, nemo controvertit, at putat Jo. Henrius *Hottingerus* Hist. Orient. L. 2 Cap. 7, eum suam, quam tenuit tractandi ratcionem, a Syris, & Arabibus accepisse. Vocatus fuit ob eloquentiam suam χρυσορρο;α χρυσος *aurum*, & ρεω *fluo*.

§, 21. Adhibuit Joannes Damascenus philosophiam aristotelicam in explicandis religionis dogmatibus, ideo eum parentem theologiæ *scholasticæ* quidam faciunt; at testatur *Benedictus Anianensis* (cujus opera quædam Stephanus Baluzius Miscellaneor. Tom. V. vulgavit) eodem seculo octavo in Europa *Hibernos*, qui hodie Scoti nominari solent, theologiæ scholasticæ fuisse magistros [1].

1. Ita enim Benedictus Anianensis Epistola ad Guarnarium: „Apud modernos „scholasticos, maxime apud Scotos est syllogismus delusionis, ut dicant, tri„nitatem sicut personarum, ita & substantiarum, quatenus si assenserit illectus „auditor, trinitatem esse trium substantiarum Deum, trium derogetur cultor „Deorum: si autem abnuerit, personarum denegator culpetur." Per syllogismum ergo quemdam, quem *delusionis* vocat Benedictus Anianensis, Hiberni hi demonstrabant, personas in Deo substantias esse. Captiosus autem valde hic syllogismus erat: nempe ita vexabant auditores suos: Fatere, tres in Deo personas esse tres substantias, aut nega. Si fateris, sine dubio Tritheita es, & tres colis Deos, si negas, personas etiam tollis, & ad Sabellianismum delaberis.

§. 22. Latinorum seculi octavi scriptorum primas tenet *Beda* quem *venerabilem* vocant [1]. Tantæ fuit authoritatis, ut ipsius Homiliæ, eo adhuc vivente, in ecclesiasticis officiis legerentur. Natus fuit in districtu Dunelmi Angliæ septentrionalis anno 672, & vita functus anno 735. Ejus de ratione temporum, de mundi ætatibus, de computo, & arithmeticis, de situ locorum sanctorum libri exhibent insignem chronologum, geographum, & mathematicum. Ejus vero in theologia, sacrisque litteris peritiam amplissima commentaria, tractatus egregii, & homiliæ complures demonstrant. Quid in historia valuerit, historia ecclesiastica gentis Anglorum testatur. Astronomum ostendunt libri de augmentis lunæ, de embolismis, de cyclis, de astrolabio, de planetis, & de sphæra. Etiam de arte metrica, de partibus orationis, de elementis, de linguis, & de oraculis pertractavit, eumque novimus gramaticum, poetam, philosophum, polygraphum (*Laurent. Berti Breviar. H. E. p* 402.)

1. Aiunt, ideo *venerabilem* dictum, quod ejus discipulus leonino versu epitaphium meditatus, *hac sunt in fossa Bedæ presbyteri ossa*, torquens se ob sylabarum quantitatem in somnis admonitus fuerit, ut ita versum emendaret: *Hac sunt in fossa Bedæ venerabilis ossa*: aliam adducit causam Trithemius, putans, eum ob magnam, qua pollebat, authoritatem dictum fuisse venerabilem, eo quod adhuc in terra degentem non poterant adpellare sanctum; at hanc Trithemii opinionem refutavit Mabillonius partim ex silentio comparium authorum quorum nullus Bedam venerabilem vocat, partim ex vetustissimo codice Thuaneo ab

annis octingentis manu descripto, in quo extant *Bedæ homiliæ omnes* cum hoc ubique titulo: *Homiliæ Domini Bedæ.*

§. 23. Ipsum Carolum M. scriptoribus ecclesiasticis secuii octavi adnumerat Wilhelmus *Cave*, *Moshemius*, aliique, quorum prior recenset Caroli epistolas, & Capitula de re ecclesiastica, libellum ad Alcuinum, de sacrificio missæ, & ratione rituum ecclesiasticorum, capitularia, & libros carolinos.

§. 24. Tanta fuit Caroli M. erga sacram scripturam reverentia, ut non dubitaret, omnium artium, ac scientiarum semina in illa contineri, quam ipsi sententiam sine dubio Alcuinus, & reliqui quos audire solebat, theologi instilarunt. Hinc variæ ejus curæ, ut clerus ad eas diligentius tractandas incitaretur, extant etiam leges ejus hac de re latæ, & ne vitia exemplarium latinæ interpretationis huic consilio aliquid impedimenti objicerent, Alcuinum ad ea emendanda adhibuit.

§. 25. Valuit hæc Imperatoris opera ad quorumdam segnes, & languentes animos excitandos, sed tamen simul ex altera parte nonnulla sanxit, quæ optimi consilii partem interverterunt, & causa neglecti studii biblici erant. Primum receptum jam ante se morem illum singulis diebus dominicis & festis certa, ac determinata evangelia in concionibus prælegendi & explicandi [1] ratum esse voluit. Cum autem cognosceret, paucos pares esse his dominicalibus *evangeliis*, & *epistolis* dextre explicandis, *Paulum* diaconum, & *Alcuinum* homilias antiquorum Patrum in eas colligere jussit, quas tardi, & rudiores ex religionis ministris populo recitare possent. Hinc *Homiliarium* Pauli diaconi natum est. Bono animo hæc a Carolo constituta esse nemo dubitat, verum id ipsum præter Imperatoris mentem ad inertiam doctorum publicorum, & neglectionem studii biblici roborandam haud parum contulit; plerique scilicet omnem diligentiam suam ab hoc tempore in illas partes scripturæ unice convertebant, quæ populo exponendæ essent, neque multi reperiebantur, qui mallent ipsi sermonem aliquem ad populum contexere, quam *homiliario* suo uti.

1. Opportuna se hic offert occasio inquirendi, num Carolus M. seligi curaverit illa evangelia, quæ hodie adhuc pro quolibet festo, ut ante concionem prælegantur, determinata sunt, non enim desunt, qui hujus sunt opinionis. Contrarium autem constat ex eo, quod superioribus jam seculis in plerisque Latinorum conventibus ecclesiasticis singulis diebus sacris certæ scripturæ sacræ portiones fuerint assignatæ. (*vid. Joann. Hern. Thameri Schediasma de origine, & dignitate pericoparum, quæ evangelia, & epistolæ vulgo vocentur.*) Itaque origo pericoparum non referenda est ad Carolum, negari tamen ex altera parte nequit, nonnullas illius in hoc negotio fuisse partes, nam quum ante ipsum Latini hac

in re variis legibus uterentur, nec omnes easdem scripturæ partes populo recitarent, & interpretarentur, is primus sanxit, ut omnes ecclesiæ ditioni ejus subjectæ ad Romani cœtus exemplum se componerent. Illa enim evangelia, & epistolæ, quæ ab ejus ætate ad nostra usque tempora in conventibus sacris exponuntur, seculo jam sexto Romæ usitatæ fuerant. Notum est Carolum diligenter curasse, ut cultus divini forma, quæ Romæ usitata erat, communis omnium Latinorum fieret. Hinc ad nostram ætatem illæ ecclesiæ, quæ Romanum ritum haud susceperunt, alia habent, ut loquimur, *evangelia*, alias *epistolas* singulis festis recitandas, quam nos. Exemplo est Mediolanensis ecclesia, quæ ritum Ambrosianum retinet, & ecclesia Curiensis teste *Muratorio Antiq. Italic.*

§. 26. *Alcuinus* Anglus natione, discipulus Ven. Bedæ, Caroli M., ac filiorum ejusdem præceptor, Palatinæ scholæ præfectus, & diaconus Eboracensis, & cum eo *Paulinus* Aquilejensis, viri diligentia, & studiorum amore nobiles, suo merito collocari debent, nam hi omne fere litterarum genus, quales illa ætas habebat, ita scriptis explanarunt, ut facile videas, non ingenium, sed temporum conditionem obstitisse, ne altius eniterentur. Adde his *Eginhardum* inclytum vitæ Caroli M., & aliorum librorum scriptorem, *Paulum* diaconum, qui *Desiderio* ultimo Longobardorum Regi fuit a secretis, & post una cum Rege suo in Caroli M. potestatem venit. Summo in honore a Carolo habitus donec propter nimiam erga Desiderium fidem relegatus fuit in insulas maris Adriatici Diomedeas. Præter historiæ Longobardorum libros sex, & quatuor alios de vita Gregorii M., Homilias, & opuscula alia adscribuntur ei libri viginti quatuor historiæ Miscellæ: sed hæc non unum habent parentem. Lusit etiam versibus in laudem S. Scholasticæ, eique tribuitur sonorus Hymnus S. Joannis Baptistæ: *Ut queant laxis &c.* Floruit circa annum 776.

§. 27. Inter scriptores seculi noni Græcos primas tenet *Photius* schismatis inter Græcos, & Latinos author, ut suo dicetur loco, vir magni ingenii, cujus *Bibliotheca* [1], Epistolæ [2], ac scripta reliqua insignem adhuc utilitatem habent. Ceterorum præter Photium scriptorum Græcorum seculi noni, uti *Nicephori*, Theodori *Studitis*, Theodori *Grapti*, Theodori *Abucaræ*, *Methodii*, *Petri Siculi*, aliorumque nulla fors hodie memoria extaret, nisi Græci cum Latinis de cultu imaginum, aliisque rebus controversias habuissent.

1. Est hæc opus, in quo libros a se lectos recenset, censorium de iis fert judicium, multorumque fragmenta, & excerpta transmisit ad posteros.

2. Inter ejus epistolas, quarum scripsit numero 248. de variis argumentis, illa eminet, quam dedit ad *Michaelem* Bulgarorum Regem *de officio Principis* ob præclara documenta in ea contenta.

§. 28. Ex Latinis seculi noni scriptoribus principem tenet lo-

cum *Rabanus Maurus* natus Fuldæ, discipulus Alcuini, monachus, & posthac Abbas Fuldensis, postremo Archiepiscopus Moguntinus. Fuit suo tempore communis Germaniæ, & Galliæ præceptor, quocum neminem illius ætatis, sive ingenium, sive variarum rerum cognitio, sive librorum multitudo spectetur, conferre licet. Qui hujus cognitas habet sententias, is quid per quatuor fere secula Latinorum meliores senserint, callet; scripta enim ejus in omnium eruditorum manibus fuerunt.

1. Obiit anno 856. Omnia ejus opera edita sunt Coloniæ anno 1627. curante Gregorio Colvenerio Duacensis academiæ cancellario, eaque in sex tomos distributa.

§. 29. Rabano Mauro addendi *Hinchmarus* Rhemensis, nobilis Francus, ex monacho in locum Ebbonis archiepiscopi Rhemensis ob conjurationem in Ludovicum Pium depositi subrogatus anno 845. in concilio Bellovacensi, adnitente potissimum Carolo Calvo, *Paschasius Radbertus* notissimum in controversia de eucharistia nomen, *Bertramus*, sive *Ratramus* monachus Corbejensis Radberti discipulus, *Servatus Lupus*, cujus opera anno 1664. Parisiis vulgavit Baluzius, Joannes *Scotus Erigena*, aliique.

§. 30. Summam seculi decimi fuisse inscitiam fatentur omnes. *Leo Sapiens*, qui sub exordium seculi rem græcam administrabat, & ipse litteris operam dabat, & alios ad eas diligendas incitabat. Major etiam in filio ejus *Constantino Porphyrogenita* voluntas erat collapsas inter Græcos bonas artes erigendi, hunc enim constat, magnis sumptibus varii generis viros eruditos aluisse, veterum libros curiose conquisivisse, ipsum scripsisse, alios scribere jussisse, & utiliora quævis ex veterum commentariis decerpi voluisse, verum pauci Græcorum illustria hæc exempla secuti sunt [1] quare pauci ex scriptoribus Græcis nominari possunt. Primus est *Simeon* cognomen *Metaphrastæ* adeptus, eo quod vitas sanctorum μεταφραστικῶς exarasset, id est, vitas sanctorum olim rudi, ac simplici stylo scriptas in meliorem, & elegantiorem sermonem transtulit, sed hoc vitas sanctorum expoliendi officio ita functus fuisse dicitur, ut fabulis antiquorum auxerit narrationes. *Nicon* quoque monachus Armenus libellum *de religione Armenorum* reliquit non prorsus ignobilem. *Suidas* celeberrimus *lexici* author ad hoc pariter seculum refertur. Sunt etiam, qui hoc ævo catenarum [2] scriptores *Olympiodorum*, & *Œcumenium* vixisse autumant, sed incerta horum est conjectura.

1 Imo potius conatus Imperatoris juvandi litteras Græcis occasionem præbebant eas negligendi; ex superiorum enim temporum scriptoribus quum a viris doctis excerpi, & colligi juberet, quæ pluribus disciplinis lucem, & utilitatem adferre possent, ignavi Græci his excerptionibus contenti ipsos, un-

de haustæ erant, scriptores contemnebant. Itaque multi veteris ævi egregii scriptores ab eo tempore per Græcorum negligentiam perierunt.

1. *Catenarum* scriptores, jam nono seculo noti, illi dicebantur, qui sacræ scripturæ interpretationes ex veterum doctorum scriptis contexuerunt, & hujusmodi interpretationum contextus *Catena* dicebatur.

§. 31. Latinos omnes summa barbaries constrictos tenebat. Consentiunt omnes, seculum decimum nomine seculi *obscuri* ac *ferrei* dignum esse, si litteras, & doctrinam spectes. In scholis enim septem tantum, quæ dicebantur, artes liberales imperite, ac exiliter tradebantur, idque a monachis, qui litterarum, & doctrinæ dignitatem unice ex usu earum in religione metiri solebant. Optimi monachorum ad annales, & historias crasso filo contexendas animum appellebant. Testes sunt *Regino*, *Flodoardus*, *Luithprandus*, *Fulcuinus*, *Abbo*, *Notkerus* [1], aliique, quorum alius alio melior est, omnes licet a vera historiam scribendi methodo longe absint.

1. Regino Abbas Prumiensis in Germania exaravit chronicon a Christo nato usque ad annum 970. Flodoardus Canonicus Remensis, qui decessit anno 966. conscripsit usque ad hunc annum, exorsus ab anno 919. Chronicon rerum inter Francos gestarum, nec non historiæ Remensis libros quatuor. Luithprandus diaconus Licinensis, & postea Cremonensis episcopus edidit historiam rerum ætate sua in Europa gestarum in libros sex distributam, liorumque de Romanis Pontificibus a Petro ad Formosum. Fulcuinus monachus Laubiensis gesta Abbatum illius cœnobii, aliaque litteris tradidit. Abbo monachus Floriacensis in Burgundia scripsit præter collectionem canonum commentarium in canonem paschalem Victorii, atque epitomen de vitis Romanorum Pontificum, & Notkerus historiam episcoporum Leodiensium, & quorumdam sanctorum vitas.

§. 32. Inter has tamen tenebras, quod mireris merito, subtilis illa de *universalium natura* quæstio est exorta, utrum nimirum universalia ad *rerum*, vel *nominum* classem referri debeant [1]. Hæc controversia Latinorum animos post hoc tempus vehementer distraxit, peperitque successive sectas *Nominalium*, & *Realium*.

1. Tota controversia inanis erat logomachia; est enim in sensu philosophico *res* omne id, quodcunque existit, est futurum, aut possibile, seu substantia id sit, seu modus (*Ant. Genuens. Metaphys. p. 11.*), in sensu vero juridico illud *res* dicitur, quod non est persona, & quacunque ratione ad To' nostrum pertinere potest. Universalia in numero possibilium veniunt. sunt itaque res in sensu philosophico, at in quantum universalia, quæ non nisi in nostro intellectu existunt, sonis articulatis, seu terminis exprimimus, in tantum etiam *nomina* dici possunt.

§. 33. Posteriore tamen seculi decimi parte litteræ magnum, & strenuum patronum in *Gerberto* Gallo, postea sub nomine Sylvestri II. Pontifice, nanciscebantur. Is enim vir magni, & excelsi ingenii & ipse litteras omnes, præsertim vero mathematicas

mechanicam, geometriam, astronomiam, arithmeticam, cognatasque feliciter tractabat, & alios ad easdem colendas, quibus poterat mediis, inflamabat. Fructus studii hujus inter Germanos, Gallos, & Italos tum hoc, tum sequenti seculo adparent, quibus in gentibus haud pauci libris, & exemplo ejus excitati sunt, ut philosophiam, mathesim, medicinam, aliasque scientiarum profanarum partes consectarentur [1].

1. Non is quidem fuit Sylvester, qui cum nostris conferri possit geometris, & mathematicis, quod *geometria* ejus ostendit, plana quidam, sed rudis tamen, & puerilis; at majori nihilominus scientia, quam ut magnitudinem ejus barbara illa ætas caperet; imperiti enim monachi geometricas ejus figuras magicas esse putabant. Inde commenti sunt de illo, quod genium, seu dæmonem habuerit familiarem, etiam ex quo fuit Pontifex, quod eum consuluerit de duratione vitæ suæ, ab eoque tulerit responsum, se non antea moriturum, quam missam celebrasset in Jerusalem, & alia inepta.

CAPUT SECUNDUM

DE

CONTROVERSIIS THOLOGICIS, SCHISMATIBUS, ET HÆRESIBUS.

§. 24. Seculo nono inter Latinos de modo præsentiæ corporis, & sanguinis Christi in eucharistia exorta est controversia. Omnes quidem consentiebant, verum corpus, & sanguinem Christi in eucharistia adesse, de modo tamen hujus præsentiæ dimicabant, cum nullius adhuc concilii lege sancitum erat, quid hac de re credendum esset. *Paschasius* Radbertus Corbejensis monachus, dein Abbas scripto anno 831. libello de sacramento corporis, & sanguinis Christi, quem anno 845. Carolo Calvo dedicavit, docebat, post consecrationem species tantum panis, & vini relinqui. *Rabanus Maurus* autem *Heribaldus*, aliique hanc doctrinam oppugnabant, licet non eadem ratione. Carolus Calvus binis viris doctis Ratramo, & Jo. Scoto in mandatis dedit, ut hanc controversiam explicent [1].

1. In hac controversia disputantes mutuo invidiosis se onerabant consectariis, quorum quidem princeps illud est, quod deinceps seculo undecimo *stercoranismi* nomine indicabatur. Qui cum Radberto species tantum panis, & vini remanere docebant, adcusabantur, hac ex sententia sequi, quod corpus Christi cum reliquis fœcibus ventre ejiciatur.

§. 35. Altera controversia hoc seculo fuit de *trina Deitate*. Hincmarus in ecclesis, quibus præerat, vetabat ultima verba hymni perantiqui cani, *Te trina Deitas*, ratus per hæc verba unitatem naturæ divinæ tolli, atque tres Deos induci. Verum monachi Benedictini huic ejus mandato nolebant obtemperate, de quorum numero Ratramus non exiguo volumine ex antiquorum doctorum sententiis contexto trinam Deitatem defendebat [1]. Sed hæc controversia brevi conticuit, verbaque hymni, quidquid obniteretur Hincmarus, loco suo relicta sunt [2].

1. Gotteschalchus, qui ante exortam hanc controversiam ob hæresim Prædestinatianam, cujus reus putabatur, carceri mancipatus erat, ut mox dicetur, novo hoc bello in carcere audito scheda emissa fratrum suorum Benedictinorum causam agebat, quare *Tritheismi* quoque ab Hincmaro adcusabatur, & singulari libro confutabatur.

2. Etiamnum hodie hæc phrasis, *te trina Deitas* usurpatur in hymno corporis Christi edito a S. Thoma, non quidem ad indicandam pluralitatem naturarum, sed personarum.

§. 36. Eodem fere tempore aliud ex Germania certamen in Galliam inferebatur de modo, quo Christus ex utero matris in lucem prodiit. Germani quidam eum non communi reliquorum hominum lege, sed singulari, & extra ordinario modo utero matris exiisse statuebant, qua sententia in Galliam delata *Ratramus* eam oppugnabat. Germanis subveniebat *Paschasius Radbertus*, secus sentientes negatæ virginitatis Mariæ incusans.

§. 37. *Gotteschalcus* Saxo illustri genere natus, ab infantia a parentibus Deo in monasterio Fuldensi, ut barbara illorum temporum consuetudo ferebat, dicatus aliquandiu monasticam vitam exercuit, post vero votorum relaxationem petiit. Causa acta est sub *Otgario* Archiepiscopo Moguntino in synodo anno 829. habita & pro Gotteschalco sententia lata. Sed Rabanus tunc Fuldensis monasterii Abbas adpellationem ad Ludovicum Pium interposuit cujus adpellationis exitus ignoratur. Id certum, Gotteschalcum ad Orbacense monasterium migrasse, ubi lectioni Augustini, & Fulgentii continuam operam navabat. Anno 846. Romam profectus inde ad comitem Eberardum, qui ipsi probabilius consanguineus aut affinis erat, divertens cœpit de prædestinatione Dei sæpius disputando ea in vulgus spargere, quæ magnam ei invidiam suscitarunt; ajebat enim, geminam esse prædestinationem, aliam electorum ad vitam, aliam reproborum ad mortem. Rabanus interea temporis a Fuldensi monasterio ad Moguntinum archiepiscopatum evectus fuit, qui sermonibus Gotteschalchi perceptis ejus doctrinam edito libro de *prædestinatione* confutavit, eumdemque librum ad comitem Eberardum una cum litteris misit, quibus eum orabat, ut Gotteschalcum a se dimitteret.

§. 38. Gotteschalcus Italiam deserere coactus per Dalmatiam, Panoniam, & Noricum peregrinatus est, ac tandem malo omine Moguntiam advenit anno 848. Tunc Rabanus concilio coacto Gotteschalchum ut Prædestinatianæ hæresis reum condemnavit[1], eumque ad *Hincmarum* Remensem, a quo fuerat ad presbyteratum evectus, misit.

1. De Gotteschalchi doctrina, num catholica fuerit, nec ne? a primis ejus causæ exordiis usque ad nos contentio magna est propagata. Probabilius tamen videtur, eum a prædestinatiano errore immunem fuisse, nam ex duabus fidei confessionibus, quas in carcere elucubravit, prædicat quidem prædestinationem ad mortem, sed clare exponit, hanc prædestinationem non esse ad malum, sed ad pœnam tantum, & quidem post prævisionem peccatorum.

§. 39. Hincmarus anno sequenti concilium habuit, in quo non solum Gotteschalchi doctrina iterato est damnata, sed ipse etiam flagris, & cædibus tamdiu excruciatus est, donec accenso coram se igne libellum, in quo sententias scripturæ, & Patrum collegerat, quas in concilio adferret, coactus est jam pene moriens suis manibus in flammas projicere. Post crudelem flagellationem in carcere apud monachos Altivillarenses inclusus exactis in durissimo hoc ergastulo quatuor lustris ad extrema deductus est, & vel in ipso mortis articulo sacramentis privatus anno 868. mortalium omnium infelicissimus extremum diem obiit[1].

1. Infelici monacho nihil omnino profuit plurium episcoporum, aliorumque illius ætatis præstantium virorum patrocinium, nihil oblatio facta per ignem probandi innocentiam, nihil adpellatio ad Papam interposita; nam Hincmarus hæc omnia insuper habuit, & ipsis etiam legatis pontificiis rationem reddere variis tergiversationibus detrectavit. (*Flodoardus L.* 3. c. 14.)

§. 40. Funestissimum, quod seculo octavo ecclesiam lacerabat, certamen illud erat, in quo de cultu imaginum dimicabatur; ex Græcia enim, ubi ortum erat, ad orientis, & occidentis incolas non sine magno rei sacræ, & civilis detrimento manavit. Qui cultum imaginum tanquam illicitum rejecere, *Iconoclastæ*, seu *Iconomachi* adpellantur (ab εικων *imago* & μαχομαι *pugno*,). Primum harum turbarum authorem quidam faciunt *Philippicum Bardanem* Græcorum post initium seculi octavi Imperatorem[1], at rectius initium Iconomachorum ponitur in Imperatore *Leone Isauro*, qui edito anno 726. edicto omnes imagines, excepta imagine Christi crucifixi, tolli, cultumque earum prorsus abrogari jussit.

1. Jussit enim consentiente Joanne Patriarcha Constantinopolitano anno 712. tabulam, in qua concilium generale sextum erat depictum, e portico templi S. Sophiæ auferri, & mandato Romam misso imagines hujusmodi e sacris ædibus

sublatas voluit, quod edictum Papa *Constantinus* non modo rejecit, sed etiam in concilio Romæ coacto Imperatorem ipsum ut hæreticum condemnabat, verum hanc ob causam minus recte author Iconomachorum habetur, nam tabulam pictam concilii generalis sexti non ex odio erga imagines sanctorum, sed in favorem Monothelitarum ex ædibus sacris auferri voluit, imo ostendi contra potest, eum sanctorum imagines venerasse, quia imaginem Honorii, & Sergii in locum imaginis sexti concilii oblatæ suffecit.

§. 41. Procul dubio Imperator primitus "nihil aliud intendebat, quam abusus circa imaginum cultum qui jam tum irrepserant", tollere. At cum ad hunc finem consequendum aptissimum putabat, omnes prorsus delere imagines [1], ingens a plebe tumultus excitatus est. Videns itaque Imp. ex male intellecto ipsius edicto turbas exortas, ratum duxit, mentem suam explicare, & declarabat: *Non huc spectat mea sententia, ut eæ prorsus deleantur, sed hoc ajo: subliniore loco eas esse ponendas, ne ore quisquam eas contingat, atque ita quodamodo rebus honore dignis contumeliam inferat.* At nihilominus restiterunt Imperatori tum alii, tum præprimis *Germanus* Constantinopolitanus Patriarcha, itaque Imperator commotus longius progressus est, & omnem omnino imaginum cultum damnavit, ac in imaginum defensores sævire cœpit, quamquam superstitiosi imaginum cultores ei plures sine fundamento affingant crudelitates [2], sed dato etiam, Imperatorem nimium quantum modum excessisse, non minus etiam ex altera parte sævierunt imaginum defensores [3].

1. Præceps, & vehemens, quod nactus est, ingenium eum impediebat prudentiæ, ac moderationis legem sequi, inveteratasque superstitiones *paullatim*, sensim, sine sensu eradicare.

2. Inter alia narratur, quod duodecim imperialis collegii professores una cum œconomo magistro, qui iis præsidebat, quia in ipsius sententiam descendere nolebant, immiso igne in collegium vivos combusserit, quibuscum ornatissima conflagrasse fertur bibliotheca tricena, & tria millia voluminum continens, in quibus mirabile illud erat ex draconis intestino confectum Homeri *Iliadem*, & *Odisseam* aureis litteris descriptas complexum.

3. Nam cum Imperator statuam Salvatoris, quæ ad æneam urbis portam in loco excelso diu steterat, deturbari jussit, populus regiæ urbis in furorem actus tum ipsum Leonem statuit invadere, tum plures ejus ministros, eosque præprimis, qui sacram imaginem dejecerant, trucidavit. Quantum hi Christiani ab illis erant mutati, qui sub Imperatoribus Gentilibus durissimos cruciatus, & mortem ipsam sustulerant, quin unquam tumultum excitassent, hi vero non erubuere ob statuam Salvatoris dirutam manus suas sangine maculare.

§. 42. Præerat tum ecclesiæ Romanæ *Gregorius II.* Postulavit ab eo Imperator concilium generale, quod non necessarium esse cum Pontifex respondisset, minas eidem Imperator ntentavit, missurum se Romam satelites, qui S. Petri imagi-

nem confringerent, & ipsum Gregorium in exilium deportarent, sicut olim a Constantino relegatus fuit *Martinus I.* At arroganti, quod dedit Papa, responso [1] exacerbatus Leo convocatis in aulam episcopis quibusdam, accersito quoque Constantinopolitano tunc temporis Patriarcha *Germano* de abolendis ubique imaginibus edictum tulit, cujus subscriptionem cum a Patriarcha nec precibus nec minis impetrare potuerit, eum deposuit, & in ejus locum *Anastasium* suffecit. De his certior factus Gregorius II. synodum Romæ celebravit cum episcopis vicinis, in qua Iconomachos, & Anastasium tanquam sedis Constantinopolitanæ invasorem damnavit [2].

1. Ita enim respondit: „Quod si nobis insolenter insultes, & minas intentes, non „est nobis necesse tecum in certamen descendere, ad quatuor, & viginti stadia „secedet in regionem Campaniæ Romanus Pontifex. Tum tu, valde, ventos „persequere."

2. Græci scriptores enarrant, Gregorium II. Leonem tributorum exactione privasse, vel Italiæ populos ad defectionem incitasse, quod & defendit Baronius, aliique aulæ Romanæ patroni; at Galli levius peccasse Gregorium contendunt, negantque eum populos ab officio, & fide Imperatoris avocasse. Nituntur hi potissimum authoritate Latinorum scriptorum *Anastasii*, *Pauli*, *Diaconi*, & aliorum, qui non modo illam Pontificum in Imperatoribus adgrediendis, & oppugnandis audaciam ignorant, verum etiam eos fidei suæ erga Imperatores specimina quædam edidisse tradunt. Duas scripsit ad Leonem Imp. Gregorius Papa epistolas, in quarum prima dicit: „Imperatoris non esse de ecclesiæ dignitati„bus ferre judicium, sicut nec Pontificis de reipublicæ negotiis satagere" & in altera epistola fatetur, se inermem, ac nudum esse, invocare Deum, ut quod Paulus incestuoso Corinthio contingere voluit, & Imperatori contingat. Qui sic loquitur, potestne cogitare de prohibenda tributorum pensione? Istud tamen fatendum, Gregorium II., ejusque successorem studio suo erga cultum imaginum occasionem populis Italiæ dedisse ab Imperatoribus Græcis desciscendi.

§. 43. Gregorio II. successit Gregorius III., qui bis ad Leonem Isarum missis legatis eum ab imaginum extirpatione revocare non poterat, coacta dein Romæ episcoporum circiter nonaginta trium synodo synodicum promulgavit constitutum, quo imaginum impugnatores condemnavit.

§. 44. Filius Leonis Isauri *Constantinus Copronymus* [1] paterna pressit vestigia, quum anno 741. imperium adeptus est, imaginumque cultum æque fortiter extirpare studebat. Præerat tum ecclesiæ Romanæ *Zacharias*, qui missa legatione Imperatorem demulcere studebat. Pontificium legatum honorifice excepit Copronymus, nec sine spe remisit, confecto enim contra Saracenos prospere bello concilium trecentorum triginta octo episcoporum Constantinopoli congregavit, ut causam de imaginum cultu cognosceret, in quo imaginum cultoribus anathema dictum [2].

1. A *κοπρος stercus*, & *ονμω nomen*, quoniam dum ablueretur baptismo, sacrum fontem fædavit alvi excrementis.

2. In hoc concilio absentibus, & ne quidem invitatis Patriarchis Romano, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano sex mensium spatio a Februario ad Augustum usque anni 754. est deliberatum.

§. 45. Anno 767. Constantinus Copronymus ad *Pippinum* Galliarum Regem legatos misit, qui filiam ipsius *Godegesilam* Leoni Augusto Copronymi filio collocandam postularent, & qui, ne religionis disparitas obesset, controversiam de imaginibus Gallicanorum episcoporum examini, ac judicio permitterent. Pippinus concilium *Gentiliaci* jussit celebrari, in quo duplex quæstio ad examen vocata: prima de imaginibus, altera de processione spiritus Sancti, circa quam Græci Romanos innovationis arguebant [1].

1. Quis tamen hujus synodi fuerit exitus, & decisio, authores, qui illius meminerunt, non dicunt. Putant quidam acta hujus synodi studio fuisse suppressa, quia Iconomachis favebant.

§. 46. Post Copronymi obitum imperio admotus filius ejus *Leo IV.* anno 775. æque ac pater imaginum cultum damnabat Ab initio cum imaginum cultoribus mitius egit, sed ex eo pœnis, & legibus coercere cœpit, ex quo in *Irenes* uxoris suæ pulvinari duas imagines reperisset; inquisitione enim facta in eos, qui ipsas intulissent, cubicularium *Theophanem* occidi jussit, & tres alios cubicularios *Jacobum*, *Leonem*, ac *Thomam* in carcerem conjecit, Irenem vero repudiavit.

§. 47. Leo IV. ab uxore ejus Irene interemptus dicitur, quo mortuo filius ejus *Constantinus* minorenis annos natus duodecim cum matre Irene regnavit [1]. *Paulus* Constantinopolitanus Patriarcha, qui sub Leone IV. cultum imaginum damnaverat, sub Irene, & Constantino pœnitentia ductus sedi suæ renunciavit. Ejus in locum suffectus *Tharasius* Imperatori a secretioribus mandatis, qui utpote laicus se muneri huic imparem existimans diu repugnabat, tandem vero illud hac suscepit conditione, ut synodus generalis cogeretur. Itaque tum Tharasius post sui inaugurationem, tum Irene, & Constantinus ad *Hadrianum I.* Papam anno 785. scripsere, ut Constantinopolim veniret concilio præfuturus, aut legatos mitteret, qui vices illius obirent.

1. Irenes ut sola regnaret, anno 787. jussit ut filio oculi eruerentur. at post quintum annum deposita est a Græcis; propterea, quod aspiraret ad nuptias Caroli M.

§. 48. Indictum concilium generale cum ob turbas exortas Constantinopoli celebrari non poterat, anno 786. inchoatum est Nicææ in Bythinia [1]. Præter viginti duo canones disciplinares hæc synodus edidit decretum licitum esse Dei, sanctorumque imagines, nec non crucem colere, attamen cultu quodam inferiori, non cultu *latriæ* soli Deo debito.

1. Est ergo hoc concilium Nicænum II., inter generalia VII., cui præter sedis Romanæ legatos episcopi adfuere 350.

§. 49. Anno 790. cum acta septimæ synodi delata sunt in Franciam, & ab episcopis, ipsoque Carolo M. discussa, eorum confutatio, & crisis acerba satis prodiit libris illis quatuor, qui *Carolini* vocantur [1]. Inter cetera in his libris proferuntur rationes, ob quas imagines sanctorum non deberent dici *sanctæ*, sed potius imagines sanctorum [2].

1. Quidam hos libros pro supposititiis habent, plerique tamen eos si non a Carolo M. saltem ipsius jussu compositos fuisse contendunt; etsi enim Caroli nomen præseferant, facile tamen videtur, hominis litterati fœtus esse in scholis instituti, non Imperatoris. Viri doctissimi conjiciunt, *Alcuini* magistri sui opera in conficiendis his libris eum usum fuisse, quamquam hæc conjectura *Moshemio* eo ex capite dubitationis aliquid habere videtur, quia Alcuinus, quum hi libri conscriberentur, in Anglia morabatur. Ceterum notant Catholici, in libris Carolinis de imaginibus non rejici cultum *duliæ* sanctis competentem, sed cultum *latriæ* soli Deo debitum.

2. „Video imaginem cum inscriptione: *S. Petrus*. Quæro jam, quare imagi„nes *sanctæ* dicantur? cur non potius juxta traditionem imagines *sanctorum* „adpellantur? In quo consistit sanctitas imaginum? num in ligno, ex quo „sculpuntur? in coloribus, qui ex materia admodum impura præparantur? aut „in cera, ex qua eas artifex format &c."

§. 50. Anno 794. Francofurti ad Mænum Carolus M. concilium habuit, in quo quæstio de imaginum cultu habita iterum est, ubi doctrinam concilii Nicæni II. rejectam fuisse quidam volunt, at absque dubio in Francofurtensi synodo non de cultu duliæ, sed latriæ sanctorum imaginibus exhibendo quæstio fuit.

§. 51. Hispaniam, & Galliam anno 783. error commovit *Felicis* episcopi Urgellitani, & *Elipandi* Archiepiscopi Toletani, quorum uterque docuit, Christum secundum humanitatem non esse naturalem, & proprium Dei filium, sed *adoptivum*. Papæ *Hadriano*, aliisque Latinis doctoribus hæc opinio Nestorii errorem renovare, & Christum in duas dividere personas videbatur [1]. Hinc Felix Narbone primum anno 788, dein Ratisbonæ in Germania anno 792, porro Francofurti ad Mænum, mox Romæ anno 799,

denique in concilio Aquisgranensi error is condemnatus. Felicis discipuli *Adoptiani* dicebantur [2].

1. Cum enim filiatio personam, non naturam respiciat, sequitur, si duo in Christo sint filii, *naturalis* secundum divinitatem, & *adoptivus* secundum humanitatem, duas quoque esse personas.

2. Si Bonifacio Germanorum Apostolo ad Zachariam Papam scribenti credimus, anno 745. *Clemens* quidam Scotus, & *Adalbertus* multos errores in Germania, & Gallia docuere.

§. 52. Diu jam contentionis erat inter sedem Romanam, & Constantinopolitanam; Antistites enim Constantinopolitani indigne ferebant, primum inter Patriarchas locum episcopo Romano concessum fuisse, quem honorem ipsi eo ex capite ambibant, quia translata Constantinopolim Imperatorum residentia ea *nova Roma* constituta est (§. 495. [1].) His se seculo octavo jungebat alia dissensionis causa, lis nimirum circa processionem Spiritus sancti, quem Latini ex Patre, Filioque, Græci vero ex solo Patre procedere contendebant [1]. In hac controversia cum Latini sententiam suam per symbolum Constantinopolitanum tuerentur, quod Hispani primum, dein etiam Galli vocabulo *filioque* incertum quo tempore, aut qua occasione, in dogmate de Spiritu sancto auxerunt, Græci Latinorum audaciam symbolum totius ecclesiæ hac additione vitiandi adcusabant, & sacrilegam nominabant [2].

1. Obscura hujus controversiæ sunt initia: certum vero quum sit, jam anno 767. de ea in concilio Gentiliacensi in Gallia cum Imperatoris Græci legatis actum fuisse, verosimile est, inter certamina de imaginibus eam in Græcia exortam esse, siquidem in concilio eodem Gentiliacensi quæstio de imaginibus est discussa (§. 45.)

2. Attamen absque fundamento; nam si ecclesia jus habet condendi symbola, etiam eo ipso jus habet jam condita additis explicationibus declarandi. nam etiam symbolum Nicænum ecclesia in concilio Constantinopolitano contra Macedonianos congregata magis explicabat.

§. 53. Controversia hæc de Spiritus sancti processione seculo octavo exorta sequenti seculo vehementius exarsit, dissidiumque inter orientalem, & occidentalem ecclesiam acceleravit, nam flamma a Leonis Isauri temporibus gliscens in apertum prorumpebat incendium, quum *Photius* doctissimus Græcorum illius temporis, deposito *Ignatio*, Patriarcha Constantinopolitanus ab Imp. *Michaële* anno 858. esset creatus.

§. 54. Nicolaus I. Papa Photii nominationem ad Patriarchatum tanquam illegitimam rejecit, eumque in synodo Romana excommunicavit [1], at his minime territus Photius par pari repen-

dens Nicolaum in synodo Constantinopolitana similiter excommunicavit [2].

1. Non sola causa Ignatii Nicolaum contra Photium concitavit, sed etiam provinciæ Romanis Pontificibus a Leone Isauro, & Constantino Copronymo ob studium erga cultum imaginum ereptæ Illyricum nimirum, Macedonia, Epirus, Achaja, Thessalia, Siciliaque, has enim per legatos Constantinopolim missos reddi sibi postulaverat. Hinc Nicolaus æquo animo tulisset injuriam Ignatio illatam, si has provincias a Photio, & a Græco Imperatore Patriarchatui Romano ereptas recuperare potuisset.

2. Antequam Papam excommunicasset, litteras dedit encyclicas ad Patriarchas, & orientis episcopos, quibus eos ad synodum vocabat, ut discutiant, & damnent sequentes ecclesiæ Romanæ errores, quibus prædicatores Romani Bulgarorum gentem recens conversam imbuerant: primo, quod contra ecclesiæ canones illicite diebus sabathi jejunent, secundo, quod primam jejunii quadragesimalis septimanam a reliquo jejunio dividentes lactis, & casei esum permitterent, tertio, quod conjugia clericorum damnent, quarto, quod nullos, nisi episcopos oleo sacro baptizatos consecrare, seu confirmare posse putarent, & idcirco unctos a presbyteris iterum ungerent, quinto, quod symbolum Constantinopolitanum addita voce *filioque* vitiaverint. Hæc quinque puncta tanta videbantur Photio, viro ceteroquin sui temporis doctissimo, ut graviora cogitari nullo modo possent. Nicolaus Papa adcusationem hanc ad *Hincmarum*, & reliquos episcopos Galliæ anno 867. mittebat, ut in conciliis suis de responsione deliberarent. Hinc *Ratramnus*, aliique Galli contra Græcos in aciem prodibant, scriptisque libris Latinorum causam agebant.

§. 55. Omnia cum utrinque arderent, *Basilius* Macedo adepto imperio Græcorum pacem restituit. Ignatium nimirum sedi restituit, Photium vero in exilium misit, qui etiam in concilio Constantinopolitano IV., generali VIII. præsidentibus legatis Hadriani II. anno 869. damnatus est. Subscripsere huic concilio episcopi 109. (neque enim admissi fuere, qui stabant a partibus Photii) repetita est Iconomachorum damnatio, & præcedentia concilia confirmata.

§. 56. Mortuo anno 878. Ignatio Photius favente Imperatore [1] ecclesiæ Constantinopolitanæ iterum restitutus est consentiente quoque *Joanne VIII.* Papa ea tamen lege, ut Bulgari ad Romanam ditionem redderentur (ecclesias enim provinciarum Bulgariæ a Romano patriarchatu evulserat Leo Isaurus, repetebantur autem a Papa, quia hi populi a Romanæ ecclesiæ prædicatoribus ad fidem conversi sunt.) Promittebat restitutionem Bulgariæ Photius, nec Imperator votis Pontificis refragari videbatur.

1. Nam ut sibi reditum ad regiam sedem aperiret, Imperatoris Basilii genealogiam, ejusque genus perobscurum a *Tyridate* Armenorum Rege deduxit, hac fraude in animum Basilii, qui rusticam ex Macedonia originem suam erubescebat, sese rursus insinuavit.

§. 57. Celebrabat Photius ita restitutus Constantinopoli pseu-

do — Synodum adversus generalem octavam, quam pariter nuncupabat octavam, qua finita Imperator, quocum Photius sine dubio consentiebat, Bulgaros tradi Patriarchæ Romano noluit. Hinc Pontifex legatum *Marinum* Constantinopolim mittebat, atque consensum in Photii restitutionem retractabat. Marinus ab Imperatore in carcerem quidem conjiciebatur, at inde liberatus postea Joanne VIII. mortuo Pontifex Romanus creabatur, acceptæque memor injuriæ Photium denuo condemnabat. Sexenio post Imperatoris Basilii filius *Leo*, cognomine Philosophus anno 886. Photium iterum sede patriarchali deturbavit, & in Armeniacorum monasterium *Bardi* nominatum relegabat, in quo anno 819. diem obiit [1].

1. Lis hæc, si plus moderationis Romæ fuisset, sedari, ac concordia inter Græcos, & Romanos dissidii authore sublato conservari potuisset, at litibus semper magis, & magis auctis tandem triste illud græcæ, & latinæ ecclesiæ est exortum dissidium, quamquam juxta plurium opinionem schisma hoc seculo undecimo per *Michaelem Cerularium* primo est instauratum.

CAPUT TERTIUM

DE

DISCIPLINA, MORIBUS, ET RITIBUS.

§. 58. Ignorantia, & barbaries horum trium seculorum disciplinam ecclesiasticam, ac mores Christianorum satis corruperat. Viri ceteris doctiores, quales fuere Ven. Beda, Alcuinus, Rabanus Maurus, Hincmarus, Gerbertus (postea Papa Sylvester) vitio sui ævi velut torrente abripiebantur. Scientias omnes complecti volentes ex omnibus aliquid, nullam absolute capiebant. Imprimis critica arte destituebantur, qua opera genuina ab apocryphis discernere debuissent, jam enim sub finem seculi quinti permulta scripta circumferebantur, quibus clarissimorum virorum nomina non solum ab hæreticis, sed etiam a Catholicis, & quidem intentione non mala, falso præfixa videbantur [1].

1. Exemplo nobis esse potest vel solus *Vigilius* Tapsensis, qui ipse fassus est, quod S. Athanasii nomen suo suppresso mutuatus esset, idem Vigilius scripta quædam mutuato nomine Augustini evulgavit.

§. 59. Ubi itaque desiderabantur acta Martyris in ipsius festo legenda (desiderari autem plerumque debebant, cum pleraque in persecutione Diocletiana flammis sint consumpta) concinabantur

vel verosimilia, vel ut ad vulgi genium accommodarentur, prodigiis plena. Id enim ad nutriendam fidelium pietatem plurimum conferre videbatur. Hujusmodi lectiones maxime seculo nono, quo traslationes reliquiarum frequentissimæ erant [1], con-fictæ sun t.

1. Referunt historici ad annum 816. inventionem corporis *S. Jacobi* Apostoli Compostellæ in Hispania. Corpus *S Marci* Evangelistæ furto sublatum e templo Alexandriæ Venetias a quibusdam mercatoribus delatum tradunt anno 820. *S. Bartholomæi* Apostoli corpus ex insula Lipari translatum est Beneventum anno 840. justa Chronicum Sigeberti *&c.*

§. 60. Falsa quoque monumenta aliqui creabant sive in supplementum veterum, quæ erant deperdita, sive omnino commentitia. Ad quam classem referenda est Constantini donatio, de cujus veritate seculo nono in Francia nemo dubitabat, inter hæc vero scripta suppositiitia nullæ perniciosiores extitere, quam decretales epistolæ Isidori, quæ novis principiis de judicio episcoporum & authoritate Papæ introductis (ut ait Fleury) disciplinæ ecclesiasticæ vulnus immedicabile inflixerunt, quod malum facile evitari potuisset, si obscuris illis temporibus ars critica non ignota fuisset [1].

1. Hincmarus Canonistarum sui ævi facile princeps nunquam tamen vera a falsis distinguere valuit. Non nesciebat, has epistolas superioribus seculis fuisse ignotas, ipso enim docente discimus quo tempore in lucem prodire cœperint, sed criticæ expers argumenta falsitatis, utut manifesta, non vidit, quin & ipse, ubi has decretales causæ suæ favere putabat, in subsidium adducebat.

§. 61. Alius ignorantiæ istorum temporum effectus erat, quod homines nimium credulos, & ad superstitionum pronos reddiderit (commune enim est eruditorum adagium, ignorantiam matrem esse superstitionum). Non tenemur fidem adhibere omnibus miraculis quæ Deus per sanctos patrasse narratur, sed narrationes ejusmodi eo adcuratius ad examen vocandæ sunt, quo magis ea, quæ adfirmantur, supra fidem esse videntur, & maximi momenti sunt [1]. Pari modo res se habet, si de revelationibus, & apparitione spirituum, de operatione dæmonum, sive id ministerio magorum, sive alio modo fieri dicatur, quæstio est. Ideo de ingenti miraculorum numero, quæ his seculis contigisse narrantur, pauca fide digna sunt, non enim tam vera, quam prodigiosa scribere voluisse videntur. Imo sat probabiliter dici potest, pleraque eum in finem conficta fuisse, ut patratorum miraculorum fama & sanitatis recuperandæ spes largas a fidelibus oblationes eliceret, sive ut bona ecclesiastica rapientibus metus vindictæ divinæ incuteretur. [1].

1. Quippe asserere falsum miraculum secundum Paulum peccatum est, quo falsum testimonium contra Deum dicimus (*I. ad Corinth. cap. 15. v. 15.*) quod etiam Petrus Damianus observat in vita Domin. Loric. N. I.

2. Illo enim tendunt pleræque narrationes, quæ in collectione miraculorum de S. Martino, Benedicto, aliisque in ecclesiasticis leguntur fastis, qui ideo sancti sunt, quia bona terrena contempserunt, in cœlum translati avaritiæ cupiditate accenderentur, & authoritate, qua apud Deum valent, ad pœnas ab illis exigendas uterentur, qui ecclesiarum suarum ærarium expilarent. Alia præterea causa adferri potest, cur permulti parum provide obscuris his seculis tam solicite miracula qualiacumque in populum sparserint; nempe saltem metu pœnarum temporalium illos in officio contineri posse putabant, qui æternarum horrore non movebantur, sed non adtendebant, ita introduci errorem periculosum falso principio nixum, quod Deus improbos *ordinarie* in hac vita castiget; nam ita Christiani ad statum veteris testamenti reducebantur, in quo tam divinæ promissiones, quam comminationes circa temporalia versabantur. Ita religio vilescendi apud multos periculo exponebatur, cum experientia contrarium sæpe demonstrasset, & quotidie bonorum ecclesiæ usurpatores non impunes modo, sed etiam rerum omnium affluentia prosperam vitam ducere videbantur. Imo Papæ & episcopi non sine prævidentia promissiones bonorum temporalium adhibebant, ut Principes ad auxilium contra hostes ecclesiæ ferendum impellerent. Promissa, aut minæ ad breve tempus homines rudes fallere possunt, ubi vero eas effectu carere vident, prout sæpissime carent, scandalo sunt, & fidem eorum labefactant; dubitare enim incipiunt de veritate omnium promissionum, minarumve, quæ ad statum vitæ futuræ spectant. Nihilominus plurimi præjudicium antiquum ne quidem postremis seculis abjecerunt. Mirandum sane, Baronium perspicacis ingenii virum in suis analibus adverse omnia, quibus ecclesiæ præsertim Romanæ inimici diversis temporibus perculsi sunt, tanquam totidem divinæ ultionis exempla, quorumdam vero Principum prosperitatem tanquam bonæ causæ, quam defendebant, argumenta notet. Verumtamen historiæ veritate compulsus sæpe ad abyssum judiciorum Dei confugit, ut tristissimorum eventuum, quibus etiam zelosissimos religionis catholicæ cultores afflictos legimus, causam inveniat. (*Fleury Diss. 3. H. E.*)

§. 62. Effectibus ignorantiæ merito accensenda est illa facilitas qua reliquiæ recipiebantur; nam non minus quam miracula caute ad examen vocandæ sunt. Postquam vero editis legibus decretum, ne ulla ecclesia, aut ullum altare consecraretur, nisi adessent sanctorum reliquiæ, cum necessitas urgeret unde aliquas comparandi, mirandi non est locus, eas ad examen rigidum non fuisse vocatas [1].

1. Sordida dein cupiditas, oblationes, & peregrinationes quibusdam ecclesiis parandi multo laxius clericorum avaritiæ satiandæ modum aparuit.

§. 63. Ex affectu loca sacra, in quibus Christus versabatur, & reliquias sanctorum venerandi, præsertim antequam ex uno loco in alium transferri solebant, nata est consuetudo religionis causa peregrinandi (§. 475. Tom. I.), & licet stante imperio Romano ob continuum omnium provinciarum commercium piæ peregrinationes facilius suscipi possent, nihilominus etiam sub barbarorum dominatu, postquam nova regna stabilita sunt, fuere frequentissimæ [1]. Quis jam non videt, tali modo rei levis momenti, & accesoriæ causa præcipua officia fuisse neglecta? [2]

1. Fuit hoc devotionis Christianæ genus illorum populorum genio maxime congruum; nam cum semper vel venationi indulgerent, vel bellum gererent, continuis profectionibus erant assueti. Unde piæ peregrinationes commune religionis exercitium populo, regibus, clericis, episcopis, & monachis factæ sunt.

2. Nam episcopi deserta ecclesia sua ad integros annos ex Germania, Francia vel Anglia Romam, vel etiam Hierosolymam petebant, Abbates vel monachi claustra sua relinquebant, fœminæ viæ adeo longæ periculis se exponebant, cives demum labores, ac negotia domestica negligebant.

§. 64. Nulli vero rei ad disciplinam eclesiasticam pertinenti magis nocuere peregrinationes, quam pœnitentiæ; seculo enim octavo inchoato, qui peccatoribus pœnitentiam injungebant, gravium peccatorum reos procul a patria profugos aliquanto tempore exemplo Caini per varias regiones errare jubebant. Cum vero brevi sub hac pœnitentia ambulatoria ingentem abusum latere viri sapientes intelligerent, jam Caroli M. ætate decreto synodali (*Capit. Aquisgran. anno 689. Cap. 77.*) prohibitum, ne homines illi horrendi aspectus, qui sub pœnitentiæ larva nudi, & vinculis ferreis onusti in mundo errabant, ulterius tolerentur.

§. 65. Alia fuit superstitio, quam ignorantia peperit, in eruendis rebus occultis per *sortes sanctorum*, & *ordalia*, seu judicia Dei, quæ alias etiam *purgationes vulgares* dici solent, eo quod suspectus de crimine quodam iisdem se purgabat, & innocentiam demonstrabat. Inter hæc ordalia primo referebatur *jus cruentationis, stilicidii* vel *feretri*: si enim quis de perpetrato homicidio suspectus fuit, ad cadaver occisi ductus illud tangere jubebatur, & quod si ad tactum cruorem sanguinis emisit, reus habebatur [1].

1. Tantas hæc superstitio egit radices, ut ejus praxis nec seculo decimo—septimo in Germania penitus fuerit sublata; nam *Strykius* celeberrimus suo tempore ICtus in usu moderno Pandectarum L. 48. Tit. 18. N. 7. hæc narrat: *Casum, qui anno 1669. die 20. Jun. ex Pomerania ad facultatem juridicam Francofurti transmissus fuit, retuli in tract. de jure sens. Diss. 7. C. 3. N. 5. scilicet dubium erat, an a matre, an ab avia infanticidium commissum. utraque ergo ad infantem, qui jam per aliquot dies sub terra latuerat, deducebatur, ut cadaver tangeret. Mater primum hæc protulerat verba: Si yo tengo culpa en tu muerte, que Dios de una señal en ti, ast nullum adparuerat signum. Postea ad cadaver adducta avia eadem, quæ mater, protulerat verba: mox infantis facies integra rubore suffundebatur, & ex naribus oris aliquot guttæ sanguinis effundebantur, quo observato avia conscientiæ stimulis ducta delictum cum omnibus suis circumstantiis confessa erat.* Alium casum refert Besoldus in thesaur. pract. voc.

§. 66. Altera species purgationis vulgaris erat *supernatatio* in aqua (*la prueba del agua, el juicio del agua*) quæ ex gentilismo ad christianismum translata est, & præsertim in crimine magiæ adhiberi solebat. Per illam suspectus ad ecclesiam est ductus, & sacris peractis post conjurationem aquæ & hominis [1] vestibus exu-

tus in aquam projectus est. Quod si non supernatavit, sed ad fundum mergebatur, innocens habitus est [2].

1. Formulam conjurationis aquæ, & hominis adscripsi in meo Jur. Eccles. *Tom. II.* §. 722.

2. Hujus purgationis author a quibusdam habebatur *Eugenius. II.* Pont., verum id falsum esse præter Natalem Alexandrum probavit Boëhmerus. Contra hanc purgationem *Ludovicus* Pius in Capitulari anno 829. Cap. 12. legem edidit, verum istud probationis genus in Gallia, & Germania etiam post Ludovici edictum in usu fuit.

§. 67. Cetera Ordalia memoratu digna sunt *experimentum crucis* [1], purgatio *per eucharistiam* [2], experimentum *ferri candentis* [3], purgatio per *duellum*, judicium *aquæ calidæ*, aliaque [4], quibus successu temporis ubique abrogatis suffecta est purgatio canonica, quæ fit per juramentum purgatorium.

1. In hac purgatione pro illo sententia ferebatur, qui diutius manus extensas, atque in crucifixi modum conformatas tenebat. Abrogavit eam *Ludovicus* Pius anno 816.

2. In concilio enim *Wormatiensi* anno 868. celebrato canon X. decernit, ut si episcopo, aut presbytero homicidium, furtum, adulterium, maleficium imputatum fuerit, missam celebret, & communicet, atque ita se purget. Diu viguit in Germania hujus purgationis genus, sed ob sacrilegii periculum antiquatum.

3. Qui illæsus nudis pedibus super carbones accensos incedebat, vel ferrum candens manibus contrectabat, innocens habebatur. Hoc experimento ferri candentis innocentiam suam probavit *Richarda* filia Regis Scotorum, & uxor Caroli Grassi ob suspicionem adulterii repudiata.

4. Ordalia interim aperte evincunt, illam ætatem, in qua usus illorum viguit, de *providentia* Dei convictam fuisse; qui enim expectat, ut Deus modo quodam extraordinario innocentiam hominis criminis suspecti manifestet, is eo ipso implicite sentit, Deum res humanas curare.

§. 68. Invalebat repente, incertum quibus authoribus, seculo VIII. omnium animos hæc persuasio, pœnas peccatis debitas nulla alia ratione redimi facilius posse, nisi oblationibus, donationibus templis, clericis, aut monachis factis, qua opinione ubique recepta ditiores, quorum sat scelerata iis temporibus erat vita, opes liberaliter ad pios usus dicarunt, ut molestas peccatorum pœnas, puta longa, & severa jejunia, corporis cruciatus, crebras, & diuturnas preces, & similia effugerent, securosque se a pœnis post hanc vitam sustinendis præstarent [1].

1. Hinc qui donabant templis, & sacerdotibus, notissima formula dicebatur id facere propter *redemptionem animarum suarum*, & ipsa bona donata plerumque dicebantur *pretia peccatorum* (Lud. Ant. Murat. Antiq. Ital. med. ævi T. 5.)

§. 69. Ritus mirum in modum his tribus seculis *auctos* [1]

fuisse, vel illud argumento esse potest, quod seculo nono quidam cœperint interpretationes eorum rudis populi causa scribere [2].

1. Claudius Fleury Diss. III. in H. E. multitudinem ceremoniarum eo ex capite probat, quia sunt subsidium non leve, quo Deus veram religionem per omnia tempora propagari, & custodiri voluit, ita enim discurrit: *Ceremoniæ sunt subsidium non leve, quo Deus veram religionem omni tempore conservari, & propagari voluit, quia, ut nos scriptura docet, sensibilia fidei testimonium sunt* (*Deut. cap. 6. v. 20*). *Festorum natalis Domini, & resurrectionis solemnitas in perpetuum homines etiam rudissimos admonebit, Christum pro salute nostra natum, mortuum, & a mortuis resurrexisse. Dum Christiani in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. baptizant, fidem Trinitatis confitentur, dumque missa celebrabitur, publicum testimonium pro veritate eucharistiæ dabitur. Quoties formulas orandi adhibemus, toties fidem in materia de gratia profitemur. Psalmodia, & lectiones, quibus officium ecclesiasticum constat, clericos compellit ad linguas discendas, in qua publice recitantur, & ex quo illa vulgaris esse desiit. Nihilque magis exploratum, quam nos soli religioni in acceptis referre, quod linguarum mortuarum scientiam retinuerimus, sine quibus primævos scripturæ codices, & antiquorum scriptorum libros amisissemus.* Verum considerandum est, quod ritus in *divinos*, & *humanos* distinguere possimus. Ritus divinitus instituti sunt immutabiles, & ideo plurimum conferunt ad conservationem dogmatum. quemadmodum etiam ante legem novam modus Deum colendi per sacrificia a Deo ordinatus fuit ad conservandam, & propagandam promissionem venturi Messiæ, etiam in lege nova ritus baptizandi per Trinitatis personas dogma de Trinitate, aliique ritus alia dogmata conservant: quod si tamen sermo sit de ritibus mere humanis, qui nullum habent cum conservatione, & propagatione dogmatum nexum, eorum multitudo universim non est probanda, prima siquidem ad superstitionem via sunt ritus nimis aucti, aptique eum inducere errorem, ut vulgus putet, in his externis actibus essentiam religionis esse positam, uti ipsa nos sæpius docuit experientia.

2. Inscribuntur hi libri de *divinis officiis*, divinum enim officium stylo istius ævi idem erat, quod ceremonia religiosa. Rationes rituum in his libris, quæ redduntur, maximam partem longe petitæ sunt, falsæ, coactæ, imo pueriles, & ridiculæ.

§. 70. De singulis ritibus introductis sermonem instituere operosum nimis, nullius quoque utilitatis foret, ideo pauca tantum monebimus. Festis Latinorum diebus anno 998. accessit authoritate *Odilonis* Abatis Cluniacensis *commemoratio omnium fidelium defunctorum*. Ante hoc quidem tempus, jam usitatum erat, ut certis diebus preces pro defunctis fierent, quæ tamen vel ad consanguineos, vel ad quasdam fidelium societates pertinebant, at ab Odilonis tempore ad omnes defunctorum animas extendi cœpere hæ preces.

§. 71. Cultus Mariæ sub finem seculi X. auctus est *officio*, quod *parvum* vocare solent Latini, confirmatumque postea fuit ab *Urbano II.* Papa in concilio Claromontano. *Rosarii* quoque non obscura seculo decimo haberi vestigia contendunt quidam, quidquid autem sit, qui S. *Dominicum*, seculo XIII. rosarii authorem prædicant, certa non habent opinionis suæ testimo-

nia, uti hoc ex instituto demonstravit *Jo. Mabillonius* Præfat. ad Acta S. S. Ord. Bened. seculo V.[1].

1. Illud vero prorsus est absurdum, quod vulgus credit, B. Mariam Dominico adparuisse, eique institutionem rosarii injunxisse. Prima rosarii vestigia ad expeditiones cruciatas aliqui referunt. alii *Paulum* Eremitam authorem faciunt, qui, cum tercentas oratiunculas singulis diebus recitare solebat, totidem lapillos ad eas numerandas adhibebat.

§. 72. Seculo nono immoderatum adeo erga sanctos invaluit studium, ut sibi quisque cœtus, imo homo patronum adsciscebat, & apud Deum deprecatorem. Hinc mos nascebatur, novos sanctos continuo creandi, quorum res gestas monachis nemo felicius comminiscebatur. Impiæ huic licentiæ novis in dies incolis cœlum ditandi modum concilia ponere studuerunt, in quibus cautum est, ne quis sanctus haberetur, nisi qui in concilio provinciali hoc honore dignus pronunciatus est. Pontifex vero hoc jus paulatim ad se traxit [1], hisque initiis *canonizatio sanctorum* nata est.

1. Ferunt a *Leone III.* circa annum 800. celebratam fuisse primam solemnem canonizationem sanctorum, eamque fuisse S. *Suitberti* episcopi, de quo *Surius* ad diem secundum Martii, sed *Benedictus XIV.* L. I. C. 7. & 8. demonstrat, primam canonizationem solemniter factam fuisse *S. Udalrici* episcopi Augustani peractam a *Joanne XV.*

CAPUT QUARTUM

DE

HIERARCHIA.

§. 73. Continua etiam his tribus seculis sibi succedebant serie episcopi Romani, quos inter fœminam quamdam sub nomine *Joannes* fuisse, quidam tum Catholicorum, tum Protestantium propugnarunt [1]. Dicebant siquidem defuncto *Leone IV.* anno 855. fœminam quamdam *Joannam Anglicam* nomine ex Moguntia oriundam unanimi omnium voce Papam fuisse electam. Quare ponebant Papissæ Joannis regimen inter Leonem IV., & Benedictum III [2].

1. At non Catholici tantum, sed etiam Protestantes, & Reformati eam confutarunt, & præcipue *David Blondellus* reformatæ ecclesiæ addictus in familiari elucidatione quæstionis, utrum fœmina in sede pontificia Romæ sederit? quam gallico scripsit idiomate. Veram autem esse hanc historiam doctius, & ingeniosius ceteris defendit *Frid. Spanhemius.*

2. Fœmina hæc juxta testimonium Florentini Archiepiscopi, quod desumpsit ei Martino Polono, in puellari ætate a quodam suo amasio in habitu virili Athenas deducta sic in diversis scientiis profecit, ut nullus sibi par inveniretur, adeo ut post Romæ in triviis legens magnos magistros discipulos, & auditores habuerit. Et cum in urbe ob scientiam magnæ opinionis esset, in Papam concorditer electam fuisse. Narrant porro eam ecclesiam Romanam annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor administrasse, usque dum in solemni supplicatione doloribus circumventa peperisset, & in puerperio obivisse. Hac de re monachus poeta cecinit: *Papa pater patrum peperit papissa papellum.*

§. 74. Totam hanc narrationem fabulam esse rationibus validis evincere [1], ac contra sentientium argumenta diluere [2] non est arduum, quid autem fabulæ occasionem dederit? eruditi non conveniunt [3].

1. Rationes hujus sunt sequentes: 1.) Factum adeo memorabile, quod in conspectu totius urbis Romæ perpetratum fuisse, scriptores coævi, & synchroni, qui alias res minus notabiles litteris consignarunt, commemorare non omisissent. Jam vero nullus scriptorum seculi noni, quin etiam seculi decimi de hac re mentionem fecit. Primus, qui a longe fabulam hanc insinuat, fuit *Marianus Schotus* seculi undecimi scriptor monachus, qui anno 1086. obiit. 2.) scriptores seculi noni omnes Joannam Papissam ex serie Pontificum excludunt, siquidem Leoni IV. anno 855. vita functo immediatate Benedictum III. successisse referunt. 3.) *Photius* vir ævi sui doctissimus, & Romanæ sedi infensus hoc factum adducere non omisisset. 4.) Fabula hæc semper magis, magisque evoluta, & variis aucta est circumstantiis; nam Marianus Schotus scripsit ad annum 853. Leoni IV. successisse Joannam fœminam duobus annis quinque mensibus, & quatuor diebus. *Sigebertus*, qui anno 1113. obiit, ad annum 854. in suo chronico jam fusius eam describit fabulam, dicens, fœminam, quæ Joannes Anglicus vocari voluit, peperisse. *Martinus Polonus* Ord. Præd. qui obiit anno 1270. id est, anni 184. post obitum Mariani Schoti, & 415. post electionem Benedictus III. scripsit, fœminam illam ex Moguntia oriundam in solemni supplicatione peperisse templum inter S. Clementis, & Colossæum, atque in hujus execrationem facinoris supplicationes solemnes per hanc deinceps viam non transiisse. *Theodorus Nicemius* addidit, statuam in memoriam istius eventus erectam fuisse. *Wilhelmus Brevin*, & *Platina* jam sellam perforatam commenti sunt, in qua novus Pontifex sedens ab ultimo diacono sexus causa exploratur. Adeo scilicet adaucta est hæc narratiuncula ut vix 460. anni satis fuerint ad hujus monstri formationem.

2. Contra sentientes adducunt sequentia, posterioribus temporibus in supplicationibus solemnibus semper istam viam, in qua Joanna Papissa peperisse dicitur, nimirum inter S. Clementem, & theatrum a Neronis Colosso *Colosseum* nuncupatum Pontifices obliquarunt. Romæ in ipsa via, in qua Papissa peperit, observabatur statua marmorea, quæ mulierem cum infante adumbrabat, quæ per multos annos, & quidem adhuc anno 1413. superstes visa est. & demum quid sibi vult sella perforata *stercoraria* dicta? verum ad hæc reponitur, obliquationem viæ non ad detestationem facti hujus sed ideo fieri, quia angusta nimis, & anfractuosa, consequenter comitatui Pontificis incommoda erat. Statua olim Romæ visa non mulierem, & infantem inter ubera matris positum repræsentabat, sed grandiorem puerum, qui præire videbatur, quare Ethnicum quemdam sacerdotem cum ministro repræsentabat, præsertim quia palmæ ramum manu deferebat. Sedes stercoraria ideo est dicta, quia sedente in ea Pontifice chorus canebat Psalmi 113, *suscitat de pulvere egenum, & de stercore erigit pauperem.*

3. *Joannes Aventinus* originem fabulæ repetit ex electione Joannis IX., quia potentia *Theodoræ*, cujus amator erat, ad sedem evectus fuit. *Onuphrius* ex Joan-

nis Papæ XII. impura vita manasse credit, quibus etiam assentitur *Schrœkkius*, *Baronius* vero ex levitate animi Joannis VIII. qui in Photii restitutionem consensit.

§. 75. A *Gregorio V.*, qui in fine seculi X. præfuit ecclesiæ Romanæ, collegium septem virorum, seu collegium electorale [1], fuisse institutum, *Bellarminus* de translatione imperii, aliique, qui Papam supremum omnium regnorum dominum volunt, contendunt, verum hos falli rationes indubiæ evincunt [2].

1. Collegium hoc, penes quod stat potestas eligendi Regem, & Imperatorem Romano — Germanicum olim septem constituerunt Germaniæ Principes tres ecclesiastici, & quatuor laici Moguntinus Germaniæ, Trevirensis Galliæ, Coloniensis Italiæ Archicancellarius, Rex Bohæmiæ Pincerna, Palatinus Dapifer, Dux Saxoniæ Archimareschalus, Marchio Brandeburgicus Anticamerarius. His posterioribus annis duo adhuc adnumerati sunt, & quidem Dux Bavariæ, quem Ferdinandus II. ad initium seculi XVII. electorali decoravit dignitate, quare ab illo tempore Dux Bavariæ Dapiferi, & Palatinus Archithesaurarii munus agit. Dux Hanoveranus Archivexilifer ab Imperatore Leopoldo in numerum electorum est asumptus anno 1692.

2. Sunt hæc sequentes: 1.) Veteres authores qui de rebus Germaniæ scrip-
serant, uti *Witkindus*, *Ditmarus*, *Lambertus*, *Schafnaburgensis*, *Regino Prumien-*
sis, *Otto Frisingensis*, *Sigebertus*, aliique nullibi hoc factum retulerant.
2.) Imperatores ab *Ottone III.* usque ad *Fridericum III.* non a septem dum-
taxat Principibus electoribus, sed vel a populo per deputatos ad comitia con-
veniente, vel a Principibus imperii feudatariis electi sunt; nam Henricus II. qui
ad annum 1002. successit Othoni III. ab *omnibus regni primoribus electus est* (Otto
Frisingensis L. 6. Cap. 27). Iterum Conradus II. ad annum 1024. defuncto sine
filio Henrico ab omnibus electus est, inter cujus electores Abbas Uspergensis
nominat etiam episcopum Bambergensem, qui septem electorum collegio ad-
scriptus nunquam fuit. Eodem modo electus Henricus IV. & V. Lotharius II., &
ad annum 1152. Fridericus I. Ænobarbus, vel Barbarrosa (Otto Frisingen. L. 2.
de gestis Frid. C. 1.). Et ne videri cuidam queat, omnes quidem Principes so-
lemnitis causa electioni interfuisse, solos tamen septem electores suffragia de-
disse, adtendenda est Gregorii VII. Epist. 3. L. 4. ad omnes Germaniæ episcopos,
Duces. & comites data, qua eos hortatur, ut alium, nisi Henricus resipuerit,
Imperatorem eligant. 3.) necdum ad initium seculi XIII. electorale substi-
tisse collegium, intelligitur ex electione Friderici II., de qua Abbas Uspergen-
sis ita habet: *Anno 1210. Otto excomunicatus denunciatur. Tunc Principes Ale-*
maniæ, Rex videlicet Bohæmiæ, Dux Bavariæ, & Landgrafius Thuringiæ, &
alii quamplures convenientes Fridericum Regem Siciliæ elegerunt in Imperatorem
coronandum. Jam vero Landgrafius Thuringiæ nunquam septem virorum collegio
fuit adscriptus, & Dux Bavariæ primo a Ferdinando II. Elector nominatus est.

§. 76. Cum vidissent curiæ Romanæ assentatores, a Gregorio V. septem electorum institutionem repeti nullatenus posse, ut tamen aliquem Pontificum ejus autorem facerent, in diversas abierunt opiniones. Aventinus, & Onuphrius authorem electorum faciunt, Gregorium X. [1] Alii Innocentium IV. in Lugdunensi concilio, quod ex actis illius probandum sibi sumpsit Baronius [2].

1. Gregorium X. eorum non fuisse authorem inde adparet, quod scriptores eo anteriores collegii electoralis jam meminerint; nam Martinus Polonus, qui sub

Innocentio IV. scripsit, in suo chronico ita habet: *Et licet isti tres Ottones per successionem generis regnaverint, tamen postea fuit institutum, ut per officiales imperii Imperator eligeretur, qui sunt septem; videlicet primi tres cancelarii Moguntinus, Coloniensis, Trevirensis, Marchio Brandeburgicus camerarius est, Palatinus Dapifer, Dux Saxoniæ ensem portat, Bohœmus Pincernam agit.*

2. Contra Baronium illud pugnat, quod author tractatus de *Principum regimine*, qui supponitur esse Thomas Aquinas, aut Ostiensis, quorum uterque ante concilium Lugdunense scribebat, de electorali collegio mentionem faciunt, meminit & *Albertus* Abbas Stadiensis, qui anno 1240, proin quinquenio ante concilium Lugdunense suum scripsit chronicon, & hic quantum deprehendere licet, primus est author, qui a septem tantum Germaniæ Principibus eligendum esse Imperatorem, ac isthoc quidem non ex authoritate pontificia, sed ex Principum consensu, scripsit. Hæc docent, eorum quoque opinionem improbandam esse, qui hujus collegii institutionem Carolo M. tribuunt.

§. 77. Seculo VIII. Pontifices territorium temporale sunt consecuti; quum enim *Pipinus* Regis Franciæ Childerici Vicarius, seu Major — domus, qui potestatem omnem regiam jam usurpabat, Dominum suum nomine etiam Regis, & honore privare vellet, Francorum Proceres in comitiis anni 751. ea de re coactis poscebant, ut Romanus ante omnia Pontifex consuleretur, num quod Pipinus cupiebat, fieri legitime posset? Igitur ex *Zacharia*, qui tum ecclesiæ Romanæ præerat, per legatos a Pipino missos querebatur, *num gens fortis, & bellicosa Regem ignavum, & ad nullam imperii partem utilem throno deturbare, atque in ejus locum digniorem, & jam dudum de republica egregie promeritum salvo jure divino sufficere posset*? Respondit Zacharias adfirmative, cum Pipini auxilio ad compescendos Græcos, & Longobardos ipsi permolestos indigebat, quo oraculo in Gallia cognito nemo resistebat, ne Childericus regia dignitate exueretur, & in ejus locum Pipinus succederet. Zachariæ successor *Stephanus II.* anno 754. in Galliam proficiscens non modo translationem regni a Zacharia factam confirmabat, verum etiam Pipinum jam in tertium annum Regem coronabat [1].

1. Famosa inter scriptores historiæ ecclesiasticæ fuit olim controversia de translatione regni Francorum a Childerico ad Pipinum. Cum Natali Alex. multi translationem regni a Zacharia, aut Stephano II. factam esse ea de causa negant, ne admittere cogantur, ante Gregorium VII. aliquem Pontificum potestatem indirectam in Principum temporalia exercuisse. Bellarminus e diametro ut Pontificibus potestatem indirectam in temporalia vindicet, translationem regni authoritate Papæ factam fuisse propugnat; verum tota hæc disputatio inutilis est, & superva anea, eo quod in translatione regni Francorum a Childerico ad Pipinum *casus indirectæ dependentiæ* ne quidem adfuerit. (§. 457 2. Tom. I.)

§. 78. In illa Italiæ parte, quæ in Græcorum adhuc potestate erat, per decreta contra imagines a Leone Isauro & Constantino Copronymo edita turbæ, & seditiones exortæ sunt. Longobardorum Reges occasione horum motuum usi paulatim provincias Græcorum in Italia occuparunt. Qua felicitate elatus *Aistul-*

phus Longobardorum Rex urbi etiam Romæ, ejusque tractui inhiabat, totiusque Italiæ imperium affectabat. Hæ temporum angustiæ cogebant Stephanum II. magni patroni sui Pipini auxilium implorare. Is anno 754. trajectis cum exercitu Alpibus impetrabat ab Aistulpho, ut jurejurando promitteret, se Ravenatensem exarchatum, Pentapolim, & omnia, quæ occupaverat, restiturum. Cum vero Aistulphus datam fidem falleret, & denuo vix ac Pipini exercitus trans Alpes fuerat, copiis collectis ad obsidendam urbem properaret, nullum Stephano erat in his angustiis remedium, nisi ad arma gallica perfugium. Scripsit itaque, vel potius finxit epistolam nomine S. Petri Apost. ad Pipinum datam, qua eum, ut quantocyus urbi Romæ suppetias ferret, vehementer adhortatur, ac sub comminatione perpetuæ a cœlo exclusionis terret. Itaque Pipinus iterato cum copiis in Italiam profectus eum in promissa servanda adigebat, ereptasque illi Græcorum terras, id est, exarchatum cum Pentapoli Papæ donabat. (Carolus Sigonius de regno Italiæ L. 3.) [1].

1. Quinam autem exarchatus hujus donati fines essent, valde controversum est, & multum ab eruditis disputarunt. Lis hæc dirimi haud potest, nisi ex ipsis donationis tabulis.

§. 79. Mortuo Pipino Rex Longobardorum *Desiderius* denuo terras a Pipino ecclesiæ Romanæ donatas invadebat. *Hadrianus I.* tunc Romanus pontifex ad Pipini filium Carolum, qui *Magni* nomen obtinuit, confugiebat. Is ergo anno 774. superatis cum valido exercitu Alpibus regnum Longobardorum in Italia, quod ducentis, & amplius annis steterat, evertebat, Regeque Desiderio in Galliam relegato ipse se Longobardorum Regem creabat. Eo in itinere cum Romam Carolus etiam venisset, non modo liberalitatem sui patris probabat, verum etiam superabat, atque alias Italiæ urbes, & provincias, præter eas, quas Pipinus donavit, Pontificibus dederat [1].

1. Causam novæ liberalitatis Caroli Pontifex ipse Hadrianus dicit fuisse *peccatorum expiationem*; sic enim in Epist. ad Carolum M., quæ 92. est codicis Carolini in Muratorii script. rer. Italic. T. 8. P. 2. „Venientes ad nos de „Capua. quam B. Petro Apostolorum Principi *pro mercede animæ vestræ*, „atque sempiterna memoria cum ceteris civitatibus obtulistis." Non quidem dubitandum, Carolum, qui pius ex lege seculi sui videri volebat (§. 68.) causam hanc in tabulis, seu donationis diplomate expressisset, at qui characterem illius ætatis novit, hoc unicum donationis fuisse motivum non credet. Carolus per istam liberalitatem viam sibi sternere voluit ad imperium occidentis, vix vero honeste nisi suffragante, ac juvante Romano Pontifice, ut tunc erant tempora, id obtinere poterat.

§. 80. Postquam Pontifices a seculo octavo domini temporales sunt facti, seculo nono etiam eorum potestas in rebus spiritualibus supra modum augeri cœpit, atque inde initia juris ecclesiasti-

ci a Pontificibus, eorumque assentatoribus depravati. Quo facilius autem aures, & animos *novum* istud ecclesiæ jus reperiret, antiquis opus erat documentis, quibus stabiliri posset. Hæc inter Romanæ potentiæ fulcra spuria principem fere tenent locum vulgo dictæ *decretales Isidori* Mercatoris, seu *Peccatoris* [1], eum præcipue in finem confictæ, ut illimitatum quoddam Romani Pontificis imperium, quasi antiquissima illud traditione niteretur, demonstraret [2].

1. *Dionysius* enim cognomine *exiguus* (§. 332. Tom. I.) exordio seculi sexti præcedentium Pontificum epistolas decretales (§. 492. Tom. I.) qua valuit diligentia collegit, suæque collectioni canonum adjecit. In iis recensendis a Papa *Siricio*, qui sub finem seculi quarti decessit, facit initium. Defectum hunc ut suppleret edita collectione alia canonum obscurus quidam author, quem promiscue Isidorum *peccatorem*, vel *mercatorem* adpellant, seculo octavo ad finem vergente novas epistolas in suo natas cerebro a Clemente Pontifice usque ad Siricium singulis, & ab eo usque ad Gregorium M. plerisque Pontificibus adfingere, imo & genuinas, quotquot reperit, aut mutilare, aut adulterare non erubuit.

2. Singularis & non contemnenda est opinio *Spittleri* de origine decretalium Isidorianarum, quam idcirco adscribendam esse duxi: *Cuando se dividió el vasto reino entre los hijos de Luis en muchas porciones, y los señores de ellas mantenian continua guerra entre si, se extendian sobre los obispados, y tenian los sufragáneos una buena ocasion para no obedecer á sus Obispos, cuando estos no tenian algun Rey por su señor. Un Obispo que queria sustraerse de la autoridad de su metropolitano, y del sinodo provincial, no tenia mas camino que el de ponerse bajo la proteccion del Obispo de Roma. Para facilitar este paso le vino al pensamiento á uno de estos sufragáneos rebeldes, el componer una coleccion de tales leyes eclesiásticas, fingiendo las decretales de los Obispos de Roma de los tres primeros siglos. Largo tiempo antes era conocida en Francia una coleccion de leyes eclesiásticas, que llevaba el nombre de Isidoro, Obispo Español. Esta coleccion apoyaba la invencion de los falsarios, mintiendo sobre de donde venia este libro, y dióse por cierto que habia sido traido á Francia en el reinado de Carlomagno. Todo el objeto de los falsarios era destruir la autoridad del metropolitano y de los sinodos provinciales y poniendo todo el poder de la iglesia en las manos de los Obispos de Roma. Asi se trastornaba necesariamente toda la gerarquia de la iglesia y se mudaban enteramente todas las relaciones de la iglesia con el estado.* (*Spittler.*).

§. 81. Figmenta Isidori ubique authoritatem nanciscebantur, eamque satis diu conservarunt [1]; nam primi, qui illis bellum indixerant, erant centuriatores Magdeburgici (§. 74. proleg.) Contra eos desperatam causam defendit *Franciscus Turrianus*, quem mox debellavit *David Blondellus* in libro, cui titulus: *Pseudo-Isidorus, & Turrianus vapulans* [1].

1. Rationes, ob quas privati hominis figmenta ubique authoritatem obtinuerint, non adeo remotæ sunt: siquidem 1. animadvertendum est seculo VII. *Isidorum* episcopum Hispalensem, & sanctitate, & doctrina celebrem, collectionem canonum edidisse, quæ in ecclesia Latina magni erat momenti. Præterea illo tempore episcopi humilitatis causa, ut advertit Petrus de Marca, se subscribebant *Peccator*. Jam cum author obscurus pseudo decretalium se subscripserit *Isidorus peccator*, pronum erat judicare, authorem hunc esse episcopum Hispalensem, quia hujus nominis nullus præter illum cognitus erat,

ideo collectio Isidori peccatoris habebatur pro collectione Isidori Hispalensis, idque eo magis fieri poterat, quia 2.) iis temporibus ars critica ignota fuit, cujus ope falsitatem detegere potuissent. Hac forsitan opinione prædictas epistolas primus in Galliam, & Germaniam intulit *Riculphus* Archiepiscopus Moguntinus, remque eo deduxit, ut multum iisdem adtribueretur, quod etiam præstitit illius successor *Rabanus Maurus*. Horum tamen conatus in propagandis pseudodecretalibus non satis efficaces fuissent (nam *Hincmarus* Rhemensis, aliique eruditi obstrepebant, quamvis ex defectu artis criticæ argumenta falsitatis proferre non valebant) nisi 3.) *Nicolaus I.* Papa anno 865. in gravi ad episcopos Galliæ epistola Isidori receptionem ursisset.

2. Argumenta falsitatis gravia æque, ac copiosa sunt: nam 1.) si hæ epistolæ genuinæ essent, qua ratione factum, ut Eusebio, Hieronymo, Dionysio Exiguo, aliisque scriptoribus, qui in conservandis Romanorum Pontificum decretis adeo solliciti erant, ignotæ fuerint? 2.) cur talia monumenta antiquitatis usque ad Isidorum, id est, usque ad seculum VIII. toti mundo erant ignota? cur nuspiam illorum exemplar ad tempus usque Isidori habebatur, quæ tamen vi inscriptionis ad varias ecclesias mitti debuissent? 3.) Nulla in his epistolis fit mentio earum rerum, quæ tribus primis seculis erant frequentissimæ, uti de hæresibus illorum temporum, de persecutionibus, de pœnitentiis publicis &c. 4.) Quod author harum epistolarum vulgata scripturæ versione, quæ Hieronymum authorem habet, usus sit. 5.) Quod nullus Pontificum usque ad Nicolaum I. iis usus sit ad jura sedis Romanæ amplianda. 6.) Non minus etiam momenti habet styli similitudo, quæ denotat, omnium epistolarum eumdem fuisse authorem, falsa temporum consignatio, & orationis barbaries primis seculis non congrua.

§. 82. Ceteros religionis ministros, quod adtinet, eos variis vitiis seculo VIII. deditos fuisse, cordatorum nemo negat. Ut enim omittam luxum, libidinem, aliaque, solum commemoro, episcopos se venationi, & militiæ totos tradidisse, quod efectus erat dominationis barbarorum [1]. Sed tamen neque illud prætereundum, episcopos cum bona ecclesiastica possiderent, ad armorum societatem a laicis quadam necessitate pertractos fuisse [2]. Hinc episcopus a Rege vocatus suas copias in hostem ducere debebat [3].

1. Id quidem non in ipsis exordiis factum; nam a principio barbari, licet Christiani, ad ordines ecclesiasticos non admittebantur; præter ignorantiam enim indita a natura ferocia, & animi levitas eis administrationem sacramentorum, & curam animarum committi prohibebat. Vix ante seculum VII. æque ac Romani ad officia ecclesiastica nullo discrimine ordinari cœperunt, quantum ex nominibus episcoporum, & clericorum, quæ usque ad illa ferme tempora Romanæ linguæ genio congrua notantur, conjicere licet; namque etiam ante illud seculum non occurrunt in conciliis canones prohibentes clericis, ne militent, aut venentur.

2. Illo enim tempore jus feudale est introductum, ac propterea bella non militibus pecunia conductis, & stipendia accipientibus gerebantur, sed satellitibus illorum, quibus viri Principes, & Reges fundos possidendos ea conditione concesserant, cuilibet præscriptum erat, quot homines, quot equos, quantum aliarum rerum in expeditionibus bellicis necessarium conferre teneretur. Itaque quia ecclesiæ jam illo tempore pinguia prædia habebant, episcopi sicut & alii optimates reipublicæ exorto bello auxilium præstare Principibus, ac Regibus suis cogebantur.

3. Carolus M. quidem supplicis populi sui precibus dedit, ut jure hoc adquisito

cederet, & episcopis onus procedendi in aciem relaxaret, si modo milites suos mitterent; verum salutare decretum male servatum est, quippe posteriori tempore sicut ante episcopos armatos, dimicantes, captos in bello occisosque videmus.

§. 83. Ut vero de bello taceamus, jurisdictio temporalis illis seculis ecclesiis adquisita episcoporum animos distrahere cœpit in varia. Reipublicæ negotia ab optimatibus tractari solebant vel in comitiis generalibus, vel in Principum curia, cumque episcopi viri essent litterati, utiliora obsequia Regibus præstabant, quam laici. Igitur episcopis semper nova itinera erant suscipienda, nam nec Principis curia in certo loco erat fixa nec comitia publica in una urbe celebrari solebant [1]. (*Fleury Diss. III. in H. E.*)

1. Si, ut hujus rei exemplum demus, Caroli M. vitam perpendimus, eum modo citra, modo ultra Rhenum, jam in Italia, jam in Saxonia, hodie Romæ, post menses tres Aquisgrani videbimus nunquam non magno numero episcopos post se trahentem. Quanta temporis jactura! quomodo residentiam lege divina præceptam observare poterant?

§. 84. Jam a seculo III. consuetum fuisse quotannis concilia celebrandi provincialia constat. (§. 174. Tom. I) Hac quoque ætate habebantur quidem curiæ, seu conventus generales, qui concilia dici poterant, sed non illa concilia ex canonum præcepto in qualibet provincia ab episcopis vicinis olim celebrata. Erant vero totius Francorum imperii concilia nationalia, in quibus simul Archiepiscopus Coloniensis, & Turonensis cum Narbonensi, & Mediolanensi, episcopi Italiæ, Saxoniæ, & Aquitaniæ considerare conspiciebantur, ideo quidem statuta in omnibus his provinciis sibi ipsis magis fuerant consentanea, sed episcopis raro in ecclesiis suis præsentibus vix unquam effectui dari poterant [1].

1. Conventus memorati proprie comitia reipublicæ, & *occasione tantum* concilia ecclesiastica erant, ne inutilis esset tot episcoporum præsentia. Ergo materia præcipue in iis discutienda ad salutem reipublicæ spectabat, nec tamen episcopis abesse licebat, quia cum ceteris optimatibus vocabantur. Inde illa spiritualium, & temporalium rerum commixtio religioni maxime noxia originem duxit.

§. 85. Licet vero clericorum mores corrupti varias parerent querimonias, haud tamen impediebant, quo minus clerus a plebe coleretur. At longe tamen latius veneratio episcoporum, eorumque authoritas patebat in occidente, quam oriente. Cujus quidem rei causam intelliget facile, qui barbarorum populorum in Europa hoc tempore dominantium statum, & mores ante suscepta sacra Christiana noverit. Nempe omnes illa ætate gentes, antequam Christo nomen darent, in sacerdotum suorum potestate fuerant, ac sine illis nihil alicujus momenti sive militare, sive civile agere

ausi sunt [1]. Post susceptam dein fidem maxima sacerdotum suorum Gentilium jura in novæ religionis Antistites transferebant. Hinc illa incredibilis sacri ordinis in Europa authoritas.

1. Docet nos hoc imprimis *Julius Cæsar* de bello Gallico L. 6. cap. 13. ita scribens: *Druides magno sunt apud eos honore; nam fere de omnibus controversiis publicis, privatisque constituunt, & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, si de finibus controversia est, iidem decernunt præmia, pœnasque constituunt, si quis aut privatus, aut publicus eorum decreto non steterit, sacrificii interdicunt. —— —— Druides a bello abesse consueverunt, neque tributa una cum reliquis pendunt: militiæ vocationem, omniumque rerum habent immunitatem &c.* Tacitus item Germ. cap. 7. *Neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem nisi sacerdotibus permissum, non quasi in pœnam, nec Ducis jussu, sed velut Deo imperante.* Etiam Helmoldus Chron. Slavor. L. 1. Cap. 36. de Rugianis: *Major flaminis, quam Regis apud ipsos veneratio est.* Idem de Slavis L. 2. Cap. 12. p. 235. *Rex apud eos modicæ æstimationis est comparatione flaminis, ille enim responsa perquirit —— —— Rex, & populus ad illius nutum pendent.*

§. 86. Ad authoritatem, & jura, quibus in occidente episcopi, & clerus utebantur, immensæ accedebant opes, ex quo omnes hæc invasit opinio, pœnas peccatis debitas nulla alia ratione facilius redimi posse, nisi donationibus ecclesiis, & clero factis (§. 68). Bona vero, quibus Principes, & divites peccata sua expiare volebant, non *privata* tantum erant, quæ quilibet civium possidere potest, verum *publica* etiam, Principibus, & rebus publicis propria, quæ *Regalia* nominantur. Imperatores enim, Reges, Principes provincias, urbes, castella, cum omnibus, quibus Principes utuntur juribus, episcopis, templis, monachisve donarunt [1].

1. Itaque qui paupertatem profitebantur, præter omnem opinionem *Duces, Marchiones, Comites* fiebant, atque jus non modo populo dicebant, sed cum militibus etiam suis in bellum proficiscebantur. Origo hæc insignium est calamitatum, quæ Europam deinceps afflixerunt, nominatim tristium de *investitura* bellorum, & certaminum de *regalibus*, ut suo videbimus loco.

§. 87. Eximiæ hujus liberalitatis, cujus ante seculum octavum, & etiam seculo octavo extra Europam nullum invenitur exemplum, causa etiam in forma gubernationis apud gentes Europæas tum valde bellicosas usitata continetur; gentium enim harum Reges clientes, & amicos suos ita sibi devincire solebant, ut magnos illis terrarum tractus cum omni jure, retento sibi solo dominio directo, traderent. Rationibus præterea politicis obedire sibi videbantur Principes ditandis hac ratione episcopis, & sacerdotibus, fideliores enim sibi fore sperabant homines ad religionem obligatos, & Deo sacros, quam proceres laicos, homines bellicosos rapinis, cædibusque assuetos: & per episcopos etiam, quorum sacra fulmina magnum terrorem habebant, turbulento suos clientes in officio continere volebant [1]. Erroneo enim conceptui de excommunicatione jam seculo octavo posita fuere initia, quæ se-

culo decimo plene sunt stabilita; putabatur siquidem, excommunicatum jura omnia civilia amittere, omniumque bonorum temporalium jacturam facere [2]. Ex hoc jam adparet, quæ nobis unice ex superstitione, & peccatorum redemptione nata videtur episcoporum, & sacerdotum potentia, eadem simul erat fructus artis regnandi, seu prudentiæ politicæ.

1. Egregius, qui hic ponatur, est locus Guillelmi Malmesburiensis L. 5. de gestis rerum Angliæ: *Carolus M. pro contundenda illarum gentium ferocia omnes pene terras ecclesiis contulerat, consiliosissime perpendens, nolle sacri ordinis homines tam facile, quam laicos fidelitatem Domini rejicere, præterea si laici bellarent, illos posse excommunicationis authoritate compescere.*

2. Ratio erronei de excommunicatione conceptus in eo est, quod a novis his, & rerum omnium ignaris Christianis confundebatur cum illa veteri ethnica, qua sacerdotes Gentiles usi fuerant. Jam vero excommunicatio Gentilium teste *Julio Cæsare* de bello Gallico L. 6. talis fuit: *Si quis aut privatus, aut publicus Druidum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ita interdictum, ii numero impiorum habentur, iis omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur.*

CAPUT QUINTUM

DE

MONACHIS.

§. 88. Regulam S. Benedicti seculo VIII. tum in Germania, tum in Francia, & Anglia pene omnia suscepere monasteria [1], ad cujus instituti propagationem quatuor potissimum concurrebant causæ [2].

1. Synodus Germanica anno 743. Can. 16. statuit: *ut monachi, & ancillæ Dei monasteriales juxta regulam S. Benedicti monasteria, vel xenodochia sua ordinare studeant, & vitam propriam degere secundum prædicti patris ordinationem non negligant.*

2. Harum erat 1.) regulæ ipsius præstantia, ejusque adprobatio, ac elogium Cregorii M., qui eam vocabat *discretione præcipuam*, 2.) conjunctio plurium in unis, iisdemque monasteriis regularum. 3.) monastici ordinis per illa tempora unio, seu unitas. Cum enim monasticus ordo nondum in varias clases divisus, regulæ Benedictinæ propagationi nec ordinum monasticorum diversitas, nec regularum, quarum plures in eodem monasterio junctim observari poterant, varietas obstitit, 4.) denique non parum ad illius propagationem contulit clades monasterii Cassinensis a S. Benedicto conditi, ex quo factum est, ut illius monasterii monachi Romæ humanissime excepti sint a *Pelagio II.*, quo ex loco eorum fama, adeoque & regula circumquaque diffundi facile potuit.

§. 89. Monachi æque, ac moniales seculo octavo episcopis adhuc subditi erant [1]. In erronea igitur ii sunt opinione, qui exemptionis monachorum a jurisdictione episcopali initia ad seculum sextum referunt [2].

1. Id inter cetera probant statuta Bonifacii Archiepiscopi Moguntini, qui cap. 11. statuit: *ut Abbates, & Abbatissæ sic caste vivant, ut subjectos, subjectasque illorum, vel illarum exemplum ostendant sanctæ conversationis. Quod si non fecerint, ab episcopo corrigantur, si autem episcopum minime audierint, episcopus Imperatori indicari faciat.* Idem legitur can. 3. Concilii *Vernensis.*

2. Quæ enim seculi sexti immunitates, & privilegia monachorum in corpore juris pontificii refert Gratianus Caus. 18. q. 2. aut supposititia sunt, aut nihil aliud monachis concedunt, quem liberam Abbatis electionem, aut ad summum immunitates a nonnullis oneribus, quæ monachorum quietem turbaverant, salva Episcoporum jurisdictione, ut ex formulis privilegiorum a *Marculpho* collectis liquet.

§. 90. Monasteria, quæ seculo VIII. extiterant, conformiter ad monumenta historica in *regalia*, & *episcopalia* dividi possunt. Regia illa dicebantur, quæ vel a Regibus fuerant fundata, vel a fundatoribus in jus regium traducta [1]. Eodem quoque seculo quosdam Abbatum pro ingressu in monasterium pecuniam accepisse, varia ostendunt monumenta [2].

1. *In Regia monasteria* (ait Natalis Alex.) *potestatem maximam ecclesia Regibus dedit*; verum rectius dixisset: *in monasteria Regia Reges sua jura majestatica exercuere*: eorum enim potestas in talia monasteria in eo consistebat, ut rationem expensarum, & redituum ipsis reddere debuerint, & absque eorum voluntate institui Abbates, aut Abbatissæ ab episcopis non potuerint.

2. Synodus enim generalis VII. ita habet: *In tantum inolevit avaritiæ facinus in rectores ecclesiarum, ut etiam quidam eorum, qui dicuntur religiosi viri, & mulieres obliviscentes mandatorum Domini decipiantur, & per aurum introitus accedentium ad sacrum ordinem, quam ad monasticam vitam efficiant, unde fit, ut quorum initium improbabile est, omnia sint projicienda.* Synodus Francofurdiensis can. 16. *Audivimus, quod quidam Abbates cupiditate ducti præmia pro introeuntibus in monasterium requirant. Ideo placuit nobis, ut pro suscipiendis in sancto ordine fratribus nequaquam pecunia requiratur, sed secundum regulam S. Benedicti suscipiantur.* Hinc Carolus M. in capitulis, quæ proprie monachos spectant, cap. 15. statuit: *Ut nullus Abbas pro susceptione monachi præmium quærat.*

§. 91. Collapsam jam fuisse seculo nono disciplinam monasticam inde paret, quia *Ludovicus Pius* opera *Benedicti Anianensis* in concilio Aquisgranensi anno 817, eamdem restauravit, inde Benedictus iste alter monachorum occidentis parens adpellari solet; conflavit enim in prædicto conventu Aquisgranensi veterum Patrum regulas undique conquisitas in unam, ita ut non minus deinceps ponderis hæc Benedicti Anianensis *regularum concordantia*, quam ipsa princeps regula S. Benedicti habuerit.

§. 92. Sed tamen factam virtutis monasticæ jacturam reformatio hæc reparare non potuit; seculo enim X. varias ob causas disciplina monastica in occidente pene extincta jacebat. Munificentia *Wilhelmi* Aquitaniæ Ducis monasterium *Cluniacense* in Burgundia anno 910. fundatum est, ejusque regimen *Bernoni* Abbati Belmensi concessum. Is reformationem novam adgressus traditionem observantiæ regulæ Benedictinæ purioris collegit, eamque paululum immutatam, assumpto etiam atro vestitu, fundamenti loco posuit. Ejus succesor S. *Oddo* rem plene perfecit, cujus præsertim opera brevi duo millia cœnobitarum sunt reformata. Abhinc nomen ordinis *Cluniacensis* [1] innotuit.

1. Corrigendus hic quorumdam error, qui in ea sunt opinione, ac si ordo Cluniacensis novum institutum monasticum, seu novam monachorum sectam significet. Qui enim ita putant, in eo errant, quod sensum vocabuli *ordo* verum non perspiciant, sed ex significatione hodierna veterem ejusdem notionem metiantur, contra ac regulæ criticæ exigunt; *Ordinis* enim nomine intelligitur quoque multorum monasteriorum societas, seu congregatio, quæ unum habet caput, & easdem vivendi leges sequitur. Cluniacensis itaque ordo non fuit nova monachorum familia, sed *societas* monasteriorum, quæ juxta regulam Benedictinam vivebat, quorum caput Cluniacensis erat Abbas.

§. 93. De puerorum oblatione a parentibus facta ex præscripto regulæ Benedictinæ nata est seculo nono controversia, an in posterum irrevocabilis censeri deberet? *Rabanus Maurus* scriptum ad Ludovicum Imp. dedit libellum *contra eos, qui oblationem contra regulam S. Benedicti destruere volebant.* (§. 37.) viguit proin etiam deinceps in ordine Benedictino oblatio puerorum non secus, ac antea, ut constat ex Pascasii Radberti expositione psalmi quadragesimi quarti, qui eas vocat vota parentum, imo in Conventu Aquisgranensi de anno 817. Abbatum Franciæ canone quadragesimo quinto statutum: *ut scholæ in monasterio non habeantur, nisi eorum, qui oblati sunt* (§ 517. Tom. 1.)

§. 94. Dignissimum notatu est, Carolum M. lege lata prohibuisse, ne quis monasterio, aut etiam clero nomen daret absque suæ majestatis licentia, quia nonnulli ignavia instigante vitam monasticam profitebantur, ut se a publicis functionibus liberarent, alios Abbates cupidatate suadente circumveniebant, ut eorum bona monasteriis, quibus se mancipabant, donatione obtingerent [1].

1. Lex hæc lata in Capitulari II. anni 805 sequentis est tenoris: *De liberis hominibus, qui ad servitium Dei se tradere volunt, ut prius hoc non faciant, quam a nobis licentiam postulent. Hoc ideo, quia audivimus, aliquos ex illis non tam causa devotionis hoc fecisse, quam pro exercitu, seu alia functione regali fugiendo, quosdam vero cupiditatis causa ab his, qui res illorum concupiscunt, circumventos audivimus; & hoc ideo fieri prohibemus.* Hanc Caroli legem ab ecclesia non fuisse receptam ait Natalis Alexander, qui in re vir doctus vitio sui ævi abreptus erravit, cum tunc temporis jus publicum universale nondum satis excultum fuit.

MEMBRI II. SECTIO I.

DE

FATIS ECCLESIÆ EXTERNIS.

CAPUT PRIMUM

DE

FATIS ECCLESIÆ PROSPERIS.

§. 95. Saraceni seculo nono Siciliam occuparunt, neque ullis inde tam Græcorum, tam Latinorum iteratis conatibus expelli adhuc poterant. Hac vero ætate anno 1059. *Robertus Guiscardus* Normanus Apuliæ Dux authoritate *Nicolai II.* Papæ cum fratre suo *Rogerio* magno eos animo adgrediebatur, nec bellandi ante finem faciebat Rogerius, quam totam insulam occupasset & a Saracenis purgasset. Quo opere magno anno 1090. perfecto deletam pene a Machumedanis Christianam religionem restituebat, episcopos constituebat, templaque extruebat [1]. Posteri ejus ad duodecimum seculum primo Ducum, deinde Regum nomine Siciliam possederunt.

1. Ab hoc fortissimo viro *Monarchia Sicula* originem habet; *Urbanus* enim II. ei indulsit, ut nullum in suis ditionibus legatum pontificium recipere teneretur, qui præter voluntatem suam missus esset, imo ut ipse authoritate apostolica, quæ per legatum pontificium cohibenda forent, cohiberet. Diploma, quo Urbanus Rogerium, ejusque succesores legatos natos creasse dicitur, aula Romana fictum esse contendit, unde illæ contentiones inter Pontifices, & Reges Siciliæ de *Monarchia Sicula* etiam hoc seculo natæ.

§. 96. De propaganda in Asia religione Christiana, & maxime de abripienda Machumedanis Palæstina jam *Sylvestro II.* cogitabatur. (§. 10.) Sed ob calamitates Europæ consilium effectu caruit. Gregorius VII. in pontificatus sui exordio Christianorum Asiaticorum de crudelitate Machumedanorum querimoniis excitatus ipse bellum sacrum gerere volebat, & jam ultra quinquaginta millia se præparabant ad eum in hac expeditione sequen-

dum, ut constat ex illius Ep. 31. L. 2., verum lis cum *Henrico IV.* aliique improvisi eventus dimittere eum hoc propositum jubebant.

§. 97. Elapso fere seculo XI. *Petrus* quidam cognomine *Eremita* renovandi ejus occasionem *Urbano II.* suppeditabat. Is in Palæstinam anno 1093. profectus magno cum animi dolore incredibiles molestias, & ærumnas spectaverat, quas Machumedani Christianis ad loca sacra commeantibus inferre solebant. Itaque zelo quodam, quem divinum nominabant, animatus per Europam discurrebat, Principesque Christianos ad bellum Palæstinæ tyranis inferendum inflamabat, imo epistolam de cœlo ad populum Christianum hac de re scriptam circumferebat, quo facilius simplices animos caperet.

§. 98. Mentibus hac ratione calefactis Urbanus II. anno 1095. in concilio, quod Placentiæ celebrabat, bellum hoc sacrum primum suadebat; verum paucis periculosissimum negotium placebat. Felicius in concilio, quod paulo post sequebatur, *Claromontano* res succedebat; Gallorum enim animos tumida Urbani oratio adeo commovebat, ut innumerabilis multitudo omnis ordinis, & ætatis ad bellum in Palæstina inchoandum paratissimam se præberet [1]. Qui hæc castra sequebantur *cruciati*, & ipsa expeditio, quam susceperant, *cruciata* dicebatur [2].

1. Formidolosus, & ad ardua quævis superanda idoneus exercitus hic videbatur, revera tamen debilis, & ignavus erat, maxima enim sui parte ex monachis, opificibus, oratoribus, mercatoribus, servis, facinorosis, infimaque tardæ plebis, & meliorem fortunam quærentis sentina constabat, a quibus fortitudinem bellicam frustra quis expectat.

2. Id partim propterea, quia se crucem Domini ex manibus hostium ejus ereptum proficisci asseverabant, partim quia crucem ex alba, rubra, viridive lana dextro humero affixam gerebant.

§. 99. Octies igitur centena hominum millia, quod fide non indigni scriptores memoriæ prodiderunt, anno 1096. ex Europa, sed variis itineribus, & diversis sub præfectis Constantinopolim tendebant, ut hinc *Alexii Comneni* Imp. Græci consilio, & ope adjuti in Asiam migrarent. Author belli Petrus Eremita fune succinctus primus agmen 80000 per Hungariam, & Thraciam ducebat, sed hoc maximam partem ab Hungaris, & Turcomanis misere trucidabatur, neque alios quosdam hujus generis exercitus imperitis belli ducibus instructos fortuna melior expectabat.

§. 100. Paulo felicius iter hoc conficiebant, quibus Duces erant rei militaris periti. *Godofredus Bullionæus* inferioris Lotharingiæ

Dux vir maximus sui temporis heros cum fratre *Balduino* bene compositum 80000 millium tum peditum, tum equitum exercitum per Germaniam, & Hungariam ducebat, fretum Galliopolitanum trajiciebat, & in Bithyniam transibat. Obsidebat primo metropolim Bithyniæ *Nicæam* (ubi tum temporis Saracenorum Imperator sedem suam habuit) & anno 1097. expugnabat. Hinc per Asiam minorem in Syriam proficiscebatur, & anno 1099. urbem Hierosolymam in potestatem suam redigebat [1].

1. Die a capta urbe octavo Godofredus Rex Hierosolymitanus cunctorum suffragiis fuit declaratus, quo tamen titulo modestiæ causa abstinebat, procumbentique ad sepulchrum Domini, dum auream coronam abjecit, spinea imposita fuit. Hinc epigrama illud:

Lauream non hominem gestare, nec aurea Regem
  Fas, ubi Res Divum spinea serta tulit.

§. 101. Novum, quod Hierosolymis condiderunt Christiani regnum sub exordium seculi XII. florere, & firmis uti præsidiis videbatur. Sed secundis his rebus post breve tempus adversæ succedebant: nam cum plerique sacrorum militum domum reversi essent, Christiani autem Duces, & Principes, qui in Palæstina manserant, privata magis commoda sua spectarent, quam publica, Machumedani collectis undique copiis Christianos perpetuis bellis lacessebant. Hi quidem per plures annos fortiter hostes depellebant, postquam vero *Atabek Zenghi* post diuturnam obsidionem urbem *Edessam* ceperat, Regum Christianorum in Europa opem implorarunt, & novos cruce signatorum militum exercitus poscebant. Favebant Pontifices his precibus [1], nihilque intentatum relinquebant, ut alteram expeditionem in Palæstinam Imperatori, ceterisque Regibus persuaderent.

1. Plurimi conjiciunt, Pontifices expeditiones cruciatas suasisse, ut potestatem, authoritatemque suam amplificarent, Latinorum vero Imperatorum, Regumque potentiam debilitarent, præter opinionem autem Pontificum per ipsas expeditiones cruciatas Reges potentiores factos fuisse, cum per eas clientes, vasallosque suos bellicosos longius amoverint, & insuper opibus exuerint. Sed fundamento hanc conjecturam destitui, qui adcuratius omnia consideraverint, non dubitabunt, certe divinare, & prævidere non poterant Pontifices fore ut tot Principes, & omnis generis homines ex Europa in Palæstinam proficiscerentur, imo ante videre non poterant, has expeditiones utiles illis futuras; omnia enim, quæ ad Pontifices, totumque clerum ex his bellis venere emolumenta, & tam authoritatis, quam divitiarum incrementa non statim in ipso belli exordio inventa, & constituta, sed paulatim, & gradatim casu potius, quam consilio introducta sunt, ut adeò de proferendis potestatis suæ finibus per hæc bella eorum authores pontifices ne quidem cogitaverint. Adde existimasse ipsos Pontifices, una expeditione, eaque brevi rem totam confectum iri, Deumque ipsum miraculis Christianæ religionis hostes, & injustos Palæstinæ possessores oppressurum esse, porro Hierosolyma expugnata plerosque Principes Europæos, & milites in Europam rediisse, quod certe non permisissent Pontifices, si ex bello hoc gloriæ, & opum incrementum expectassent.

§. 102. Deliberabatur de hoc bello sacro diu in nonnullis comitis populorum, & conciliis. At dirimebat litem sub Eugenio III. Papa celebris ille Claraevallensis Abbas S. Bernardus, vir immensae authoritatis. Quum enim is anno 1146. in Gallia, & Germania maxime in comitiis Gallorum *Veziliacensibus* (ut illa aetate loquebantur) *crucem praedicaret*, & magnas victorias, prosperrimosque rerum successus policeretur *Ludovicus VII.* Gallorum Rex, ingensque numerus procerum sacrae se militiae devovebant. *Conradus III.* Germanorum Imperator primum S. Bernardi monitis resistebat, at post moram tamen quamdam exemplum Gallorum Regis sequebatur. Uterque igitur numerosissimo cum exercitu, diverso tamen itinere in Palaestinam proficiscebatur; verum pars maxima utriusque exercitus in via partim fame, partim gladio Machumedanorum, partim naufragiis misere periit. Conradus Majo mense anni 1157. in viam se dabat, & ejusdem anni mense Novembri *Nicaeae* maxima suorum parte in itinere amissa Ludovico se jungebat. Uterque anno 1148. Hierosolymam proficiscebatur, & anno 1149. paucos, qui supererant, milites in Europam reducebat, nihil enim propter intestina Principum dissidia effici ab illis poterat.

§. 103. Neque tamen res Christianorum in oriente per infelicem secundae expeditionis sacrae exitum desperata fiebat. Si Christiani Principes junctis viribus, & amota discordia hostes adgressi essent, restitui ea potuisset; at Latini omnes, proceres imprimis suis ipsi rixis, & inimicitiis se debilitabant. Hinc *Saladin* fortissimus Dux Machumedanorum in fatali praelio anno 1187. ad Tiberaidem commisso Christianos prostravit, eodemque anno Hierosolymam urbem in potestatem suam redigebat. Post tantam cladem omnis rerum Christianarum in oriente spes in auxilio Regum Europaeorum posita erat. Obtinuit illud Romanus Pontifex post multas, variasque sollicitationes, sed eventus votis haud respondebat.

§. 104. Inchoabat tertiam expeditionem sacram *Fridericus* I. cognomento Aenobarbus a rusa barba, Italis Barbarrossa vocatus, qui anno 1189. magno cum Germanorum exercitu per Graecorum provincias in Asiam minorem, & hinc in Syriam penetrabat. Cum vero Imperator sequenti anno in fluvio *Saleph*, vel ut alii ajunt, *Serra* incertum qua ratione infeliciter periisset, magna pars militum ejus in Europam revertebatur, reliqui sub Imperatoris mortui filio bellare quidem pergebant, at plurimos pestis consumebat, quae postquam ipsum etiam eorum Ducem Imperatoris filium occidisset, pauci superstites ad suos redibant.

§. 105. Sequebantur Imperatorem Fridericum anno 1190. Rex Galliæ *Philippus*, & Angliæ *Richardus* cognomine *Cor Leonis*. Uterque itinere maritimo in Palæstinam selecto cum exercitu pervenit, nec infeliciter primo cum hoste certarunt. Verum Galliæ Rex anno 1191. mense Julio post expugnationem urbis *Acræ* Europam repetebat, relicta tamen exercitus sui in Palæstina parte. Post ejus discessum Rex Angliæ bellum acriter prosequebatur, nec Saladinum tantum præliis quibusdam vincebat, sed etiam *Jaffam*, & *Cæsaream* Palæstinæ urbes occupabat, verum idem a Gallis, & Italis desertus, aliisque gravibus rationibus commotus anno 1192. trium annorum, totidemque mensium, & dierum inducias cum Saladino paciscebatur, & paulo post cum suis Palæstina excedebat [1].

1. Tempore harum expeditionum tres celeberrimi ordines equestres, seu militares nascebantur, quorum munus erat itinera latronibus purgare perpetuis Machumedanos certaminibus lacessere, pauperibus ad loca sacra comeantibus, & ægrotos invisere. Primus ordo *equitum S. Joannis Hierosolymitani* nomen habet a domo hospitali, seu xenodochio S. Joanni Baptistæ in urbe Hierosolyma dicato, quo pii quidam fratres inopes, & ægrotos Hierosolymam venientes excipere, ac fovere solebant. Quum hæc domus post conditum a Christianis regnum Hierosolymitanum liberalitate bonorum virorum majores in dies reditus adquireret, ejus præfectus seu magister *Raymundus du Buy* circa annum 1120. cum fratribus suis in bellum etiam contra Machumedanos sumptibus suis se proficisci velle spoponderat. Ita repente ac præter opinionem ex pauperum, & ægrotorum ministris ab omni strepitu remotis milites fiebant, totusque ordo in tres classes dividebatur, in *equites*, id est milites nobiles, & ilustri loco natos, quorum esset pro religione Christiana dimicare, in *sacerdotes*, qui sacra in templis ordinis facerent, & *in fratres servientes*, id est, ignobilis conditionis milites. Maxima edidit hic ordo fortitudinis suæ specimina, & immensas per eam opes sibi comparabat. Amissa Palæstina transibant equites in insulam Cyprum, postea insulam *Rhodum* vi, & armis anno 1310. ocuparunt (inde milites Rhodi dicti) quam duobus fere seculis tenuere, donec a *Solimano* diuturna obsidione, & numero hostium magis oppressi quam victi mutare solum coacti *Melitam* insulam Caroli V. Imp. beneficio acceperunt, unde & *Melitenses* vocantur.. Alter ordo non ex militibus & sacerdotibus compositus, sed totus militaris erat. Dicebatur ordo *Templariorum* a domo templo Salomonis vicina, quam Balduinus II. Rex Hierosolymitanus primis equitibus ad tempus dabat incolendam. Cœpit is anno 1118. Hierosolymis authoribus *Hugone de Paganis*, *Godofredo de S. Amore*, ac septem aliis, quorum nomina ignota sunt. Regulam vero, & stabilitatem anno 1128. in concilio *Trecensi* in Gallia accepit. Jubebantur equites armis religionem Christianam defendere, viarum securitati prospicere, in Palæstinam denique peregrinantes tutos a Machumedanorum crudelitate, & latrociniis præstare. Peperit sibi etiam hic ordo magnam celebritatem, & divitias, sed postea extinctus, ut suo videbimus loco. Tertius ordo *equitum Teutonicorum* S. Mariæ Hierosolymitanæ similis est primo, id est, curam pauperum, & ægrotorum præter militiam exigit. Ortus est anno 1190. in obsidione urbis Acræ, seu *Ptolomaidis* (quamquam sint, qui ante hanc obsidionem Hierosolymæ initia ejus, sed perobscura quærunt). In hac obsidione cum boni quidam, & pii Germani militum ægrotorum, & vulneratorum curam susceperint, institutum hoc ita Germanis qui præsentes erant, Principibus placuit, ut ordinem equestrem ejus causa instituendum esse ducerent, quem *Cœlestinus III.* Papa deiu probavit. Nullis ad hunc ordinem aditus patebat, nisi Germanis, iisque nobilibus. Qui vero recipiebantur, religionis Christianæ, atque terræ sanctæ defensioni, miserorum pauperum, & ægrotorum ministerio se consecrabant. Initia ordinis valde erant severa, præmia enim laborum, quos sustinebant equites, vestimenta erant, panis, & aqua.

§. 106. Seculo XIII. primam expeditionem sacram *Innocentius* III. Papa imperabat, at pauci Europæi jussis ejus obtemperabant. Post varios conatus plerisque in provinciis vanos proceres quidam Galliæ facto cum Venetis fœdere cum mediocri exercitu mari se committebant; at non is erat hujus belli eventus, quem Pontifex sperabat, Franci enim, & Veneti non in Palæstinam, sed Constantinopolim navigabant, & anno 1203. hanc urbem expugnabant, ut Imp. *Isaacum Angelum*, qui eorum opem contra injurias fratris *Alexii* imploraverat, in dignitatem restituerent.

§. 107. Alteram expeditionem sacram anno 1217. sub Papa *Honorio III.* Itali, & Germani junctis copiis suscipiebant. Dux exercitus erat *Andreas* Hangariæ Rex, cui se *Leopoldus* Austriacus, *Ludovicus* Bavarus, aliique Principes junxerunt. Andreas post paucos menses Europam revertebatur, reliqui Duces anno 1200. *Damiatam* Ægypti urbem munitissimam expugnabant, sed non diu secunda hac fortuna utebantur, sequenti enim anno classis Saracenorum classem Christianam commeatu interclusо funditus evertebat, quam jacturam nullo consilio reparabilem jactura Damiatæ, & omnis simul spei, quam maximam Christiani conceperant, sequebatur.

§. 108. Novus igitur per universam Europam exercitus militum pro cruce certaturorum ab oratoribus, & legatis Pontificis conscribebatur, qui tanto major, & nobilior erat, quanto certior spes affulgebat, fore ut ipse *Fridericus II.* Imp. Ducem se ei præberet. Promiserat enim hoc Fridericus Pontifici, & crucis signum ad Hierosolymitanam expeditionem ex manu *Hugolini* Cardinalis Ostiensis accepit, nec fidem fallere posse videbatur, postquam cum *Jolanda* filia comitis Brieniæ, & Regis Hierosolymitani, quam anno 1123. matrimonio sibi junxerat, dotis loco regnum Hierosolymitanum acceperat. Cum vero vario obtentu iter per decem annos differebat, ab *Honorio III.* precibus, & minis ad implenda promissa frustra excitatus a *Gregorio IX.* Honorii successore anathemate perculsus est. Post hæc exiguo cum comitatu copias adventum ejus ægre in Palæstina expectantes sequebatur. Præsens in Palæstina bellum non gerebat, sed componebat: invitis enim, & insciis commilitonibus pacem, seu potius decem annorum inducias cum *Melic-Camelo* Machumedanorum Duce anno 1229. faciebat.

§. 109. Collabentibus post hæc in dies magis Christianorum in oriente rebus *Ludovicus IX.* Galliarum Rex, qui sanctorum fastis est adscriptus, in gravissimo morbo suscepto ex eo con-

valescens anno 1244. voto ad expeditionem Palæstinam se adstrinxit, & crucem ab archiepiscopo Parisiensi accepit. Ad annum 1248. usque negotia domestica voti executionem retardarunt, hinc hoc anno valido cum exercitu, magna classe in Ægiptum navigabat, ut hac provincia occupata eo facilius in Palæstinam, & Syriam penetrare posset. Initia satis læta erant, nam *Damiatam* celebrem Ægipti urbem capiebat, at progressus belli tristissimus. Pestis enim, & fames, intercepto a Machumedanis commeatu, exercitum anno 1250. invadebat: Frater Regis *Robertus* improvide hostem adgresus infelici prælio interficiebatur, Rex ipse cum duobus fratribus & maxima parte exercitus capiebatur. Magna vi pecuniæ (40000 librarum Gallicarum) redemptus quatuor annos in Palæstina consumebat, & anno 1254. cum paucis in Galliam redibat [1].

1. Nam de duobus millibus, & octingentis equitibus illustri loco natis, qui Regem ex Francia comitati erant, non plures erant superstites, quam centum, quum ex Palæstina navigaret.

§. 110. Tot miseriis minime fractus invicti animi Rex anno 1270. bellum instaurabat. Igitur ingenti classe denuo extructa multis proceribus comitatus in Africam tendebat, futuro bello Asiatico propugnacula ibi paraturus. Expugnabat statim post adventum castrum Carthaginis: verum paulo post lues pestifera in portu Tunetano maximam copiarum partem, & ipsum Regem die 15 Aug. anni 1270 necabat [1].

1. Post hunc nemo Regum Europæorum tanti laboris, & periculi negotium tentare ausus est. Quare Latinorum in oriente regnum paulatim contabescebat, anno vero 1291. expugnata per Machumedanos Ptolumaide prorsus extinguebatur.

§. 111. Quæstionem de *justitia* expeditionum cruciatarum historici suam non faciunt, sed jurisconsultis relinquunt, dubia certe, & anceps horum bellorum est *causa justifica*, siquidem sine partium studio consideretur [1]. At quidquid interim de hac re sit, illud certum, infinita mala ex his bellis in utramque rempublicam redundasse, quorum ad nostra usque tempora reliquiæ supersunt [2].

1. Bella hæc ratione *formæ* justa fuisse, nullum est dubium, eo quod authoritate publica suscepta sint; at vero num etiam ratione *materiæ* justa fuerint? jam seculo XII., & sequenti disputabatur, nam Cathari, seu *Waldenses* contra justitiam *viæ ultramarinæ* (sic nominabant tum hæc bella) opponebant I. ad Corinth. cap. 10. v. 32. *sine offensione estote Judæis, & gentibus, & ecclesiæ Dei*, ad quod illis *Moneta* Dominicanus seculi XIII. scriptor reposuit Gen. Cap. 12. v. 7. Deum dixisse Abrahæ: *Semini tuo dabo terram hanc*, sed nos Christiani sumus semen Abrahæ, ut dicit Apost. ad Gal. Cap. 3 v. 29, nobis igitur data est illa terra in possessionem. Sed nec Waldensium argumenta magna, nec Monetæ responsiones solidas esse nemo non videt, siquidem belli causam justificam esse unice

læsionem aliter non declinabilem ex jure gentium constat, solam autem religionum diversitatem non esse causam sufficientem ad inferendum bellum jam S. Thomas XIII. scribens seculo, quo cruciatæ adhuc frequentes erant, docuit (2. 2. q. 10. art. 8.)

2. Europa enim maxima incolarum suarum parte privabatur, immensa vis argenti in terras extraneas transferebatur, plurimæ familiæ divites antea, & potentes aut interibant prorsus, aut ad summam paupertatem redigebantur: capita enim familiarum quo sumptus itineris facere possent, terras. agros, prædia aut oppignorabant, aut vendebant. Alii subditis suis intolerabilia tributa imponebant, quorum moles sic eos terrebat, ut & ipsi domos, agrosque desererent, & crucem sumerent. Taceo nova, & permulta sæpe jura, quibus hæc bella occasionem suppeditabant. *Un cruzado era soldado de la iglesia, y gozaba de todos los privilegios de los súbditos de la iglesia. Sus bienes estaban bajo la proteccion de la iglesia, y erán tan sagrados como los eclesiásticos. No podia ser citado ante los jueces civiles: pertenecia al fuero eclesiástico. Ninguno podia apremiarle, y la delacion de los pagos no le ocasionaba el pagar los réditos porque la cruzada los eximia de ellos. ¿Qué estraño es pues que á una empresa con tantas ventajas acudiesen tantos?* (*Spittler*). Hinc autem evenit, ut qui vel mutuum accipere, vel emere, vendere, aut alias conventiones inire vellent, *privilegiis* eorum, qui vel crucem sumebant, vel sumere promiserant, renunciare cogerentur. Non minora religio detrimenta ex istis bellis capiebat, opes enim templorum, & monasteriorum multis modis augebantur, quia crucem sumentes, quoniam sese vitæ periculis objecerant, testamenta plerumque condebant, & in his templis, ac monachis partem bonorum suorum legabant. Sed hæc detrimenta ex opum incremento in religionem manantia modica sunt si cum iis comparentur, quæ ex episcoporum, & Abbatum, magno numero in Asiam migrantium, diuturna absentia oriebantur: subditi enim eorum sine legibus vivebant, inde corruptio tum cleri, tum monachorum. Ex Græcia, & oriente expeditionum cruciatarum tempore multi in Europam sancti antea Latinis ignoti transferebantur, de quorum vita, rebusque gestis merito dubitatur, reliquiarum denique falsarum multitudo in Europam portabatur; omnes enim qui domum ex Asia redibant, sacras reliquias, quas magno pretio a fraudulentis Græcis, & Syris emebant, tamquam spolia egregia secum tulerant.

§. 112. In occidente Borussi, gens ferocissima, adhuc seculo XIII. ineunte in majorum superstitione persistebant, neque cohortationibus, & rationibus, sacerdotum ad eos aliquoties missorum, ut Christo nomen darent, adduci poterant. Hinc *Conradus* Massoviæ Dux vim adhibendam esse duxit, atque ordinis teutonici equites, qui ex Palæstina ejecti Venetiis consederant, magnis promissionibus anno 1230. ad Borussos domandos, & Christianis sacris initiandos invitavit. Venerunt hi Duce *Hermano Balkio*, atque bellis pertinaciter per quinquaginta tres annos gestis ægerrime ab illis impetrabant, ut equitum dominationem ferrent, & Christo nomen darent.

§. 113. Seculo XV. pene consumpto Lusitani navigando in Indiam, & Æthiopiam penetrabant, nec multo post anno 1492. *Christophorus Columbus* aditum ad Americam detectis insulis Hispaniola, Cuba, Jamaica, aliisque patefecit. Posthac *Americus Vespucius* civis Florentinus ad continentem pervenit. Harum regionum Europæis antea incognitarum incolas novi hi Argonautæ

notitia evangelii illustrandas esse censuerunt. Quum dein America inter Hispanos, & Lusitanos divisa est, ab utraque gente hortante *Alexander VI.* Papa Dominicanorum, & Franciscanorum multi in has terras missi sunt, qui populos ad Christum ducerent. (*Mamachii orig. & antiq. christ. Tom. II. de introducta per gradus in America religione Christiana*).

CAPUT SECUNDUM

DE

FATIS ECCLESIÆ ADVERSIS.

§. 114. Seculo XI. Saraceni, quamvis ipsi variis premebantur malis, omni tamen calamitatum genere Christianos obruebant alios trucidantes, mutilantes alios. Turci vero non modo Saracenos in angustias redigebant, verum optimas etiam imperii Græci provincias ad Pontum Euxinum sitas sibi subjecerant, reliquas perpetuis incursionibus exhauriebant, nec valebat Græcorum respublica enervata resistere.

§. 115. In Hispania Saraceni maximam Christianorum partem præmiis, conjugiis, pactis inducebant, ut ad Machumedana sacra transirent. Qui Danos inter, Hungaros, & Slavos antiquis superstitionibus magna adhuc copia faventes vivebant Christiani, ab iis crudelissime vexabantur, quare Christiani Principes supplicium passim in eos statuerunt, qui idololatriam sectabantur.

§. 116. Seculo XIV. Turci æque, ac Tartari in Asia dominantes variis in locis Christianæ religionis semina funditus deleverunt. Machumedanam religionem Tartarorum gens, ipseque potentissimus illius Imperator *Timurbeg*, sive *Tamerlanes* suscepit qui deinceps nutu suo innumeram hominum multitudinem ad deserenda sacra Christiana incitavit; at vero etiam adhibebat & arma (*Muratorius.*)

§. 117. In Orientis regionibus in dies aliquid de amplitudine religionis Christianæ per Machumedanos detractum est. Neque in Tartaria, neque in alia harum amplissima provincia seculo XV. vestigia religionis Christianæ cernere licet [1]. Decus tandem omne rei Christianæ occidit capta a *Machumede II.* anno 1453.

[1] *Gm. hist. eccl. T. II.*

Constantinopoli, non enim fuit amplius Christianis quo adversus quotidianas victorum injurias res suas munirent, aut irruentem inscitiam, & barbariem fugarent [2].

1. In China tantum Nestoriani generis tenues quædam reliquiæ reperiuntur. Constat enim seculo adhuc decimoquinto supremum Nestorianorum in Chaldæa Pontificem in Cathajam, & Chinam episcopos misisse.

2. Cohortatus est quidem *Pius II.* Papa Muchamedem II. ad sacra Christiana suscipienda, sed in incassum.

MEMBRI II SECTIO II.

DE


FATIS ECCLESIÆ INTERNIS.

CAPUT PRIMUM

DE

STATU LITTERARUM, AC ERUDITIONIS.

§. 118. In ecclesia Latina seculo XI. studia quodamodo inter monachos reviviscebant, ceteri enim, maxime viri nobiles, & potentes ingenii cultum despiciebant. Ad hujus quidem seculi exordium nullæ erant in Europa scholæ, quam monasticæ, & episcopales, nulli litterarum tam sacrarum, quam humanarum magistri nisi monachi Benedictini. Sed ineunte hoc seculo alii etiam sacerdotes, & viri docti in multis Galliæ, & Italiæ urbibus juventutem sibi erudiendam sumebant, qui quidem & plures disciplinas docebant, quam monachi, & felicius quasdam earum, quas monachi tractarunt, explicabant.



§. 119. Sub initium seculi in plerisque scholis adhuc septem, quæ vocabantur, artes liberales tradebantur. Initium fiebat a gramatica, hinc ad rhetoricam progrediebatur, sequebatur dialectica. Hoc *trivio*, uti loquebantur, superato, qui majorem adpetebat

doctrina, per *quadrivium* pergebat. Hic vero docendi ordo in omnibus occidentis scholis non leviter elapsa media seculi parte mutatus est; nam quum *dialectica*, quæ metaphysicam etiam, saltem partem ejus complectebatur, acutorum quorumdam meditatione magis, quam ante excoleretur, ita plerosque animos hæc disciplina capiebat, ut grammaticam, rhetoricam, litterasque omnes tam humaniores, quam reliquas negligerent, sola dialectica, seu logicis, ac metaphysicis quæstionibus contenti [1]. Hinc ille contemptus linguarum, eloquentiæ, aliarumque artium, & magna illa barbaries, quæ per plura secula orbem latinum oppressit, & theologiam non minus, quam philosophiam corrupit.

1. Maximam illo tempore laudem ex dialectica emendanda, & ad vitæ humanæ usum accomodanda consecuti sunt *Lanfrancus* Italus, *Anselmus* uterque episcopus Cantuariensis in Anglia, & *Odo* episcopus Cameracensis. Quorum quidem primus tanta illa ætate artis hujus cognitione valebat, ut *dialecticus* vulgo diceretur. Ab Anselmo celeberrimum istud argumentum, quod Carthesianum vulgo dicitur, excogitatum est, quo existere Deum ex entis perfectissimi notione demonstratur, ejus autem firmitatem *Gounilo* monachus Gallus illa jam ætate oppugnabat, cui singulari libro Anselmus satisfacere studebat.

§. 120. Vix vero paululum adoleverat dialectica, cum acris inter cultores ejus contentio de *objecto* hujus artis nasceretur [1]. Dabant hoc omnes, dialecticam in considerandis, & comparandis inter se *universalibus* occupari, quum rerum singularium utpote mutationi obnoxiarum nulla possit esse scientia metaphysice certa, dubitabatur vero, utrum universalia ad clasem *rerum*, an vero ad clasem *nominum* referenda essent? Itaque alii universalia contendebant esse res, qui Platonis, Boethii, aliorumque authoritate nitebantur, alii e contra ea nihil esse dicebant præter vocabula, & nomina, & hi Aristotelis, Porphirii, aliorumque suffragiis sese tuebantur. Illi *Reales*, hi *Vocales*, seu *Nominales* vocabantur. Utrique iterum in varias sectas progrediente tempore distracti.

1. Contentio hæc in se quidem levis, & futilis, dudumque in scholis agitata, at si eventum spectes, magna & gravis erat, quoniam dissidentes sententias suas ad explicanda religionis dogmata adhibebant, & mutuo se odiosis consectariis onerabant, quin etiam hæreseos una pars alteram incusabat.

§. 121. Seculo XII in ecclesia Latina magnam partem ardor incredibilis invadebat scientias amplificandi [1]. Coibant hinc passim collegia, & sodalitates virorum doctorum varias disciplinas tradentium, ad quas quum juvenes discendi causa confluerent, paulatim scholæ illæ majores formabantur, quas sequenti seculo *universitates* nominarunt. Lutetia Parisiorum virorum doctorum, scholarum varii generis, discentium denique numero cunctas Europæ urbes superabat. In Italia schola Bononiensis hac ætate erat

celeberrima, quam quidem illi potissimum adibant, qui juris cognitionem adpetebant. In eadem provincia schola medicorum Salernitana insignem discipulorum numerum alliciebat [2].

1. Horum conatibus quidam Pontificum, Regum, ac Principum, qui litterarum, ad rempublicam firmandam, & ornandam utilitatem perspexerant, authoritate sua, & munificentia subvenerant, ut adeo illud Martialis huc quadret: *Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones.*

2. Tot scholis in Europa orientibus, Papa *Alexander III.* anno 1179. in concilio Romano singulari lege scholas etiam monachorum claustris, templisque cathedralibus ubique addi, & additas antea instaurari jubebat. Vim vero legis hujus crescens in dies majorum scholarum splendor, & gloria inervabat, atque ita scholæ *claustrales* & *episcopales* paulatim contabescebant.

§. 122. Adhuc omnis initio seculi XII. eruditio septem artibus liberalibus continebatur, quarum quidem tres gramatica, rhetorica, dialectica vulgo *trivium* nominabantur, quatuor reliquæ arithmetica, musica, geometria, & astronomia *quadrivium.* His artibus deinde addebatur *Theologia*, non illa vetus, ac simplex, quæ ordine carebat, & nexu, & unice scripturæ, Patrumve authoritate nitebatur, sed philosophica, seu scholastica, *jurisprudentia* itidem, ac *medicina*, quam physicam iis temporibus nominabant [1].

1. Hoc autem facto communis divisio artium etiam mutanda fuit. Igitur septem illæ liberales artes paulatim uno *philosophiæ* nomine comprehendebantur, quibus theologia, jurisprudentia, & medicina jungebantur. Unde quatuor illæ *facultates*, sequenti seculo in universitatibus natæ sunt.

§. 123. Veteris juris Romani authoritas in Italia effloruit, & reliquarum legum antea receptarum usum debilitavit, postquam sub *Lothario II.* Imp. anno 1137. in expugnatione Amalphitana codex celeberrimus *Pandectarum*, seu *Digestorum* inventus erat, & in Pisanorum manus venerat [1]; scholæ enim hujus juris Romani in academia Bononiensi aperiebantur, quod institutum etiam ad alias deinde urbes tum in, tum extra Italiam propagabatur, quibus rebus evenit, ut, cum antea variis legibus homines viverent, jus Romanum paulatim in præcipua Europæ parte primas obtineret, legesque Salicas, Longobardicas, Burgundicas, ac alias extruderet.

1. *Las principales causas que hubo para que el derecho de Justiniano se introdujese en Italia fueron: primero, la disputa critica sobre la significacion de la palabra A. S.: segundo, la grande habilidad de Irnerio que estudió en Constantinopla, enseñó las bellas letras en Ravena, y fue llamado tambien á enseñarlas en Bolonia, y despues se dedicó enteramente al derecho; y tercero, el descubrimiento de las pandectas en tiempo del Emperador Lotario II, año de Jesucristo* 1137. *en Amalfi, cuyo código regalo el Emperador á los Pisanos, y el año de*

1406. *llegó á Florencia, donde se conserva con gran respeto.* (*Compendio de la historia de las ciencias de J. A. Fabricio, tom.* III. *pág.* 736.)

§. 124. Postquam studium juris civilis Romani in academia Bononiensi reviviscere, etiam jus canonicum ibidem publice prælegi cœpit. Non deerant quidem canonum collectiones antiquæ, nulla tamen scholæ usui accomodata erat præter illam, quam anno 1150. adornavit *Gratianus* monachus Benedictinus cum inscriptione: *concordia canonum discordantium* (quod tamen Gratiani opus hodie communiter *decretum* nominari solet). *Eugenius III.* illud magna cum sui commendatione Bononiam misit, indulsitque expresse, ut publice prælegeretur. Doctores decreti *Decretistæ*, juris Romani vero *Legistæ* vocabantur [1].

1. Ex Germania æque, ac ceteris provinciis juvenes copiose Bononiam migrarunt, ut gradum doctoris juris aut civilis tantum, aut & hujus, & canonici simul adipiscerentur. Inde postea consuetudo invaluit, doctores studii juridici adpellandi doctores *juris utriusque* civilis nimirum, & canonici, quo utroque omne studium juridicum tum temporis continebatur, jure naturali, civitatis, feudali, criminali, aliisque jurisprudentiæ partibus, ex quibus hodie facultas juridica constat, aut ex integro, aut maxima ex parte adhucdum ignotis.

§. 125. Sicut principes doctores juris Bononiæ, sic vicissim principes doctores theologiæ seculo XII. vivebant Lutetiæ Parisiorum. Quamobrem quincumque disciplinas sanctiores ex instituto discere volebant, ex universa Europa Lutetiam migrare solebant. Erant autem qui theologiam in Gallia profitebantur, in sectas diversas distracti, prima erat theologia *veterum*, qui dogmata sacra simpliciter ex scriptura, Patribus, & conciliorum decretis demonstrabant, raro vero aliquid ex profanis scientiis admiscere solebant, quos inter præcipui erant hoc seculo *S. Bernardus*, & *Petrus Cantor*. Ab hac secta ex toto differebat illa, quæ *positivorum*, & *sententiariorum* nomine deinceps adpellabatur, ea enim exemplo *Anselmi*, *Lanfranci*, Hildeberti, & aliorum præcedentis seculi doctorum sacra quidem dogmata scripturæ, & Patrum oraculis potissimum muniebat, sed ad rationem etiam, & philosophiam, maxime cum objectiones removendæ erant, confugiebat [1]. Ab hoc ergo tempore doctores theologiæ distingui cœpere in *biblicos*, qui & *veteres* dicebantur, & in *scholasticos*, qui & *sententiarii*, seu novi vocabantur [2].

1. Primas in hoc genere laborum *Petrus Lombardus* (id est, Italus ex Lombardia) Archiepiscopus Parisiensis tulit, cujus *libri quatuor* sententiarum postquam anno 1162. exierint, tantam subito authoritatem adepti sunt, ut omnes doctores sibi eas explicandas sumerent. Dictus fuit Lombardus *magister sententiarum*, quod nomen inde accepit, quia in suis libris quatuor sententiarum Patrum sententias collegit, & in certum ordinem redegit. Emortualis ei annus 1164.

2. Illi sacram scripturam in suis scholis misere licet plerumque interpreta-

bantur, & dogmata fidei seposita ratione & philosophia nude explicabant. Hos vero, cum acumine, ac ingenio ceteris præstare videbantur, juventus in oculis ferebat, & diligentissime audiebat, cum *biblici* doctores paucos, interdum nullos haberent discipulos.

§. 126. Seculo XIII. maximi litterarum patroni, ac mæcenates erant *Fridericus II.* Imp. & *Alphonsus X.* Rex Castellæ [1]. Itaque ubique fere hac ætate majores scholæ erigebantur, juvenibus ad eas confluentibus varia jura concedebantur, & scholis publicis majoribus forma quædam reipublicæ, & propria jurisdictio tribuebatur.

1. Horum prior academiam Neapolitanam condidit, Aristotelis libros latine converti jussit, viros doctos, quos poterat, in aula sua congregavit, alter vero tabulis astronomicis condendis, aliisque libris componendis æternam sibi memoriam peperit.

§. 127. In his autem scholis publicis, quæ Patavii, Mutinæ, Neapoli, Capuæ, Tolosæ, Salamantiæ, Lugduni, Coloniæ, aliisque locis condebantur, non omnes universæ doctrinæ partes explicabantur, sed quædam tantum disciplinæ. Illa, quæ Parisiis florebat, non tantum numero docentium, & discentium ceteras anteibat, sed etiam omnes artes, ac scientias complectebatur, & prima idcirco fuit *universitas*, sive ut loqui solebant, *studium universale*, ad cujus dein exemplum aliæ paulatim formabantur [1].

1. In hac ergo omnium universitatum matre primum in quatuor collegia pro scientiarum, quas profitebantur, diversitate doctores distributi sunt, quæ quidem collegia *facultates* deinde vocabantur. Singulis facultatibus præfuit unus ex doctoribus reliquorum suffragiis creatus, cui *Decani* nomen impositum. Totius universitatis caput primum erat *cancellarius* episcopus nimirum Parisiensis, qui cum officio deesse videretur, deinceps *Rector* ei adjungebatur. Collegium, seu facultatem theologorum ordinabat imprimis, & dotabat anno 1250. Rob. de *Sorbono* vir pius, & opulentus S. Ludovici IX. Regis Galliæ amicus a quo & nomen illud *Sorbonæ* accepit, & ad nostram ætatem utitur.

§. 128. Varie ante Latini philosophabantur, at hoc seculo omnes Aristotelis legibus, & imperio sese subjecerunt. Libri quidem Aristotelis præsertim metaphysici latini Lutetiæ Parisiorum jam sub exordium seculi publice explanabantur, ex his vero quum *Almericus* errores suos de Deo, aliisque rebus hausisse videretur, anno 1209. in concilio Senonensi sunt damnati flammis, attamen paucis annis elapsis anno nimirum 1215. dialectica Aristotelis in academiam Parisinam reducebatur physicis tamen, & metaphysicis ejus libris exclusis. Post hæc Imp. *Fridericus* II. libros Aristotelis, aliorumque veterum philosophorum partim ex arabico, partim ex græco in latinum sermonem converti jubebat. Quæ interpretatio cum ab Imperatore academiæ Bononiensi, aliisque

commendaretur, Aristotelis authoritas præter omnem modum in scholis Europæis crescebat.

§. 129. Supremum existimationis gradum adtingebat Aristoteles, cum fratres mendicantes Dominicani, & Franciscani philosophiam ejus amplecterentur, & in scholis ubique traderent. Principes enim litterarum tum divinarum, tum profanarum hi fratres illo tempore in Europa erant, quos sequebantur fere omnes, qui supra vulgus sapere volebant [1].

1. Primi commentarios scripsere in Aristotelem *Alexander de Hales* Anglus Franciscanus, & Parisiensis doctor, qui nomen doctoris *irrefragabilis* obtinuit, & *Albertus Magnus* Germanus Dominicanus, & episcopus Ratisbonensis. vir certe non vulgaris ingenii, & communis suorum temporum magister. Post hos discipulus Alberti magnum illud scholarum lumen *Thomas Aquinas* Dominicanus *Doctor Angelicus* dictus unus omnium maxime gloriam Aristotelis amplificavit; nam & docendo, & scribendo libros ejus interpretatus est, & novam operum ejus latinam versionem priori veriorem, & clariorem a quodam sui ordinis socio confici curavit. His igitur, aliisque nonnullis autoribus Aristoteles reluctantibus haud paucis theologis, & ipsis Pontificibus invitis inter Latinos principatum obtinuit.

§. 130. Neque tamen viri excellentes, & subtilis ingenii deerant, qui, tametsi magni facerent Aristotelem, humanæ tamen doctrinæ fines longius proferre vellent, & jejunam ex libris Aristotelis philosophandi rationem contemnerent. Inter hos maximum præter ceteros nomen consecuti sunt, & suo etiam jure *Rogerius Baco* Anglus Franciscanus *doctor admirabilis* dictus, vir egregius philosophiæ, matheseos, chymiæ, artium mechanicarum, linguarum multarum longe supra ætatis suæ modum peritus, præclarisque inventis nobilissimus. *Arnoldus Villanovanus*, quem Francum multi, alii Hispanum esse volunt, Petrus de Abano, seu Apono [1].

1. Hi tamen omnes hunc ingenii fructum cœpere, ut in magorum, & hæreticorum numerum ab imperita turba referrerentur, & ægre rogum effugerent. Baco multos annos in carcere consumpsit, bini reliqui post fata flammis digni ab *Inquisitoribus* judicati sunt.

§. 131. Hæc de philosophia. Teologiæ statum seculi XIII. quod adtinet, principatum inter omnes obtinuit *Thomas Aquinas*, quamprimum enim ejus *Summa*, seu institutio theologiæ in publicum prodiit [1], omnes hoc opus avidissime amplexi sunt, & præter Lombardum docendi, discendique normam assumpserunt. Ad exemplum itaque Thomæ Aquinatis pars maxima theologorum istius ætatis ad Aristotelis se disciplinam composuit, ejusque dialecticam, ac metaphysicam ad fidei dogmata explicanda adhibuit. Hi tamen præter styli barbariem nec definiunt adcurate, nec apte materias distribuunt, imo periculosas hinc inde miscent opinio-

nes de materia, de mundo, de rerum originibus, de animæ natura &c. [2].

1. *Jo. Launojus* Thomam celeberrimi hujus libri authorem esse eam ob rationem negat, quia *Clemens VI.* in oratione B. Thomæ recens cœlitum numero adscripto habita inter laudationis capitula etiam recenset multitudinem librorum ab eo compositorum, quorum cathalogum cum summa diligentia conscripserit Pontifex, in eo tamen *summa tripartita* desideratur, quomodo autem opus tam grande, si Thomæ fœtus esset, fugere potuit Pontificis diligentiam? verum ei reponimus: argumenta negativa in quæstionibus facti nullam vim habere, si ex parte opposita adsunt argumenta positiva ex coævorum, aut supparium testimoniis petita, porro autem multi authores S. Thomæ coævi, aut suppares summam theologicam ipsi asserunt. Quid? quod se ipsum in sententiarum libris citet summæ theologicæ author, & opiniones, quas in eo opere junior docuit, corrigat.

1. Hæc si quis illis exprobrabat, respondere solebant: *philosophice* hæc dogmata vera esse, & rectæ rationi consentanea, at facile se concedere, *theologice* falsa esse, quæ quidem responsio satis est inepta, cum recta ratio revelationi, & vice versa contradicere nequeat.

§. 132. Studium juris canonici, seu pontificii hoc seculo etiam amplificatum est, nam Raymundus de *Penafort* jussu Gregorii IX. epistolas decretales Pontificum in libros quinque distributas collegit, quæ anno 1235. Bononiæ publicatæ sunt, & anno 1241. ibidem etiam publice doceri cœperunt, ex quo tempore doctores juris pontificii jam non *Decretistæ* (§. 124.), sed *Decretalistæ* dicebantur.

§. 133. Philosophia seculo XIV. æque sicut præcedenti aristotelica, seu *peripatetica* fuit, at minus bene ab his intellectus, & omni quam habebat, pulchritudine nudatus est Aristoteles. *Realium & Nominalium* controversiæ acrius, quam antea renovatæ sunt authore *Wilhelmo Occamo* Franciscano doctore Parisiensi, qui princeps fuit Nominalium [1], & doctor *invincibilis*, vel *singularis* dicebatur. Reales adversarios suos tanquam heri natos philosophos contemnebant, & *modernorum* nomine notabant. Nominales contra illos nugas agere spectraque mentis pro rebus vere existentibus habere disputabant.

1. Reales tamen numero superabant Nominales, Pontificis simul Romani benevolentia valebant; Occamus enim nominalium princeps cum schismatis tempore *Angelo de Curiario* contra Joannem XXII. adhæsisset, hic Joannes primum, dein successores ejus nihil intentatum reliquerunt, ut Nominalium philosophiam, quæ inimica videbatur ecclesiæ, opprimerent, hinc academia Pariensis anno 1339. publice philosophiam Occami damnavit.

§. 134. Theologi hujus seculi toti quanti erant scholastici, dialecticas subtilitates ad dogmata adplicantes, variisque de rebus magnas inter se controversias alentes [1], quibus hoc seculo novam & copiosissimam materiam suppeditabat *Joannes Duns Scotus*,

doctor subtilis dictus, ex ordine S. Francisci, qui res nonnullas Thomæ Aquinatis oppugnabat [1].

1. Distinctio nimirum virtualis intrinseca, seu formalis a parte rei, non actualis realis, natura concursus divini, modus gratiæ, aliæque ineptæ scholasticorum disputationes diviserunt Scoti discipulos a discipulis Thomæ Aquinatis, hinc binæ illo tempore potentissimæ familiæ, Dominicani & Franciscani, inter se divisæ *Scotistarum*, & *Thomistarum* sectam condiderunt.

§. 135. Seculo XV. Græcorum, & Orientalium populorum musis Machumedanorum tyranis silentium fere imposuit. Inter Latinos e contrario bono omine ingenuæ artes pristinam gloriam recuperarunt. Causæ hujus erant 1.) Mæcenates, [1] 2) artis typographicæ inventio [2], 3) Græcorum clades, & imperii Constantinopolitani excidium [3].

1. Hos inter eminet *Nicolaus* V. Papa, illustris familia *Medicea* in Italia, & Alphonsus VI. Rex Neapolitanus, qui æternum sibi nomen sua liberalitate, & eruditionis amore compararunt. Hinc academiæ in Germania, Gallia, Italia extructæ, & bibliothecæ magnis sumptibus collectæ sunt, qui conatus non poterant non magnum scientiis ferre subsidium.

2. De artis hujus inventore *Cellarius* dixit: *illum plus commodi ingenio suo ad communitatem tulisse, quam vel Columbus, aut Americus novi orbis investigatione.* Jam quidem seculo VII. post Christum natum typographiæ speciem invenerant *Sinenses*, sed ea, quam hodie habemus, longe imperfectiorem, solebant nimirum in tabula lignea sculpere litteras, earumque cavitates atramento, aut quocumque colore illinire, atque ita tot, quot libuerat, exemplaria imprimere poterant. Hæc Sinensium inventio Europæis ad annum 1428. ignota fuit, quo tempore Laurentius *Kuster* fortuito proprio marte eamdem imprimendi libros methodum detexit, primusque, quem hæc modo impressit, liber erat *speculum salutis*, & *Donatus*. Kusterum imitatus est anno 1440. Moguntiæ Joannes a *Guttemberg*, qui dein opera Jo. *Fausti* vel *Fusti* medici, & Alchymistæ celeberrimi, ac Petri *Schæfer* adjutus jam non in tabulis ligneis litteras sculpebat, sed litteras ære fusas adhibuit, qua methodo anno 1452. prima vice biblia latina impressa est, cujus exemplar Faustus Parisiis 120. florenis vendidit, dum alias exemplar bibliæ manuscriptæ octingentis, aut etiam mille florenis stetit, quamobrem Faustus suspicionem præstigiatoris incurrebat, ac ex Gallia fugere cogebatur. Inde fors notissima de doctore Fausto fabula, & ludi theatrales. Imperfecta quidem adhuedum Guttembergii erat ars typographica, attamen brevi magis exculta, inde vero factum, ut antiqui authores classici Græcorum, & Latinorum in lucem publicam prodierint, ad eorumque manus etiam venerint, quibus eos sibi in manuscripto procurare res angusta domi non sinebat, uti cecinit *Apruntinus* episcopus:

Nuper ab ingenio Rhenanæ gentis, & arte
Librorum emersit copia longa nimis!
Et qui e divitibus vix Regi obvenerat olim,
Nunc liber in tenui cernitur esse casa.
Quæ doctos latuit Græcos, Italosque peritos
Ars nova Germano venit ab ingenio.

3. Doctissimi enim gentis hujus viri expugnata Constantinopoli in Italiam migrarunt, atque hinc in reliquas Europæ provincias dispersi sunt. Hi juventutem ubique græcarum litterarum studiis fideliter, ut haberent unde viverent, initiabant, hinc nulla fere illa ætate urbs, aut academia celebrior fuit, in qua non

Græcorum unus ingenuas artes docuisset. Nusquam vero frequentiores erant, quam in Italia, ubi Mediceæ familiæ beneficio, & summa erga bonas litteras voluntate fovebantur, ex quo evenit, ut ex ceteris regionibus discendi cupidi certatim in Italiam commearent.

§. 136. Philosophia aristotelica ante Græcorum in Italiam adventum omnibus in deliciis erat, sed Græcorum aliqui in Italia magnis quibusdam viris loco rixosæ peripateticorum disciplinæ mansuetam & divinam, ut vocabant, Platonis sapientiam commendarunt, cujus amore Itali quidam capti juvenes quosdam illa imbui curarunt. His studiis contigit, ut repente binæ philosophorum sectæ in Italia nascerentur, quæ diu variis scriptis inter se certarunt: utri philosophorum Platoni, an Aristoteli principatus decerni debeat? Vicerunt tamen Aristotelici, at absurdas religionem naturalem, & revelatam callide subvertentes sententias docuere, illi maxime, quorum dux erat *Averroes*: iis enim docuit, unicum tantum intellectum in orbe existere, qui indivisibiliter inest singulis hominibus, hunc autem esse animam rationalem, quo quidem posito sequitur, unam tantum existere animam, cujus omnes homines participes essent [1].

1. Pressi hi philosophi ab *Inquisitoribus* hæreticæ pravitatis sententias suas *philosophice* tantum, non item *theologice* veras esse ajebant. Astutæ huic temeritati modum posuit seculo sequenti Leo X. in concilio generali Lateranensi V., ubi Sess. VIII. damnavit asserentes: *unam in cunctis hominibus esse animam.*

§. 137. In Gallia, & Germania sectæ philosophicæ Realium & Nominalium non solum argumentis, & rationibus, verum etiam adcusationibus, & legibus acerrime inter se pugnabant, & nulla fere academia belli hujus expers erat. Plerisque vero in locis Reales potentiores erant Nominalibus, quos etiam *Terministas* dicere solebant. In Parisiensi academia, dum Jo. *Gerson* vivebat, ejusque discipuli, eximia erat Nominalium authoritas, his vero mortuis anno 1473. Ludovicus XI. Rex instinctu episcopi Abricensis qui ipsi a confessionibus fuit, doctrinam Nominalium vetabat, & libros omnes hujus sectæ tolli, ferroque ac clavis alligari jussit at mitigabat hoc edictum anno 1474; & quosdam Nominalium libros solvi catenis patiebatur, postremo anno 1481. omnibus Nominalium libris libertatem, sectæ ipsi vero pristinam dignitatem in academia restituit.

§. 138. In theologorum scholis fere regnabant illi, qui vocabulis, & distinctionibus dialecticis memoriam onerarunt, ut de rebus divinis ex proposito disputare possent. Pauci restabant ex theologis veteribus, qui *biblici* dici solebant. Exosi tamen jam tum erant multis hi theologi scholastici, a variis enim varie de his sordibus tollendis, aut emendandis deliberabatur [1]. Horum autem

consiliis & conatibus authoritas, quam summam habebant, Dominicanorum, & Franciscanorum obstabat, utpote qui in hoc doctrinæ genere excellebant, neque gloriam, quam rixando, & disputando sibi pepererant, obscurari patiebantur.

1 Noti sunt magni Gersonii in sanandis gregis scholastici morbis labores assidui, qui opusculum edidit *de methodo theologiam studendi*, qui conatus etiam placuere *Savonarolæ*, & *Petro de Aliaco*, præcipue vero *Nicolao Cusano*, cujus extat liber de docta ignorantia.

CAPUT SECUNDUM

DE

SCHISMATIBUS, HÆRESIBUS ET INQUSITIONE HÆRETICÆ PRAVITATIS.

§. 139. Schisma Græcorum, quod Photius seculo nono inchoavit (§. 53.), seculo XI. *Michael Cerularius* Patriarcha Constantinopolitanus perfecit. Anno enim 1054. epistolam dedit ad *Petrum* Antiochenum Patriarcham, in qua decem septem contra ecclesiam Romanam adcusationis erant capita[1]. Respondebat ad illa *Leo IX.* Romanus tum Pontifex prolixa, & vehementi epistola.

1. Horum erat 1) quod Latini azyma consecrantes cum Judæis communicent, nec
aptam assumant eucharistiæ conficiendæ materiam, 2) quod suffocata come-
dant, 3) quod barbas radant, 4) quod sabbatis jejunent, 5) quod immun-
dorum animalium carnibus vescerentur 6) quod monachi Latini carnes edant, 7)
quod Latini primam quadragesimæ hebdomadam, necnon quinquagesimæ car-
nium esu violent, 8) quod symbolo Constantinopolitano particulam *Filioque* ad-
diderint, ac male de spiritu sancto sentiant, 9) quod in litturgia hæc verba
alta voce proferant: *unus sanctus, unus Dominus Jesus Christus in gloria Dei
patris per spiritum sanctum*, 10) quod apud Latinos duo fratres duas sorores
ducant, 11) quod in missa tempore communionis ministrorum alter alterum
osculetur, 12) quod Latini episcopi a nullis ornentur ceu ecclesiarum sponsi,
13) quod Latini episcopi ad bellum proficiscantur, & manus suas hu-
mano sanguine contaminent. 14) quod mersionem unicam in baptismo usur-
pent, 15) quod baptizatis sal in os immittatur, 16) quod nec sanctorum ima-
gines, nec reliquias venerentur, 17) quod *Alleluja* tempore quadragesimali
non canant.

§. 140. Litem hanc ut in suo ortu extingueret *Constantinus* cognomine *Monomachus* Imp. Græcorum Pontificem rogabat, ut legatos Constantinopolim mitteret, qui de pace agerent. Veniebant igitur tres Pontificis legati, litterasque secum ferebant tum ad Imperatorem, tum ad Patriarcham, sed tristis erat legationis hujus exitus; nam cum omnis de pace deliberatio irrita reddita esset, le-

H:

gati Romani anno 1054. Cerularium cum *Leone* Acridano excommunicarunt in templo S. Sophiæ, & exemplari excommunicationis in ara majori posito, pulvereque pedibus excusso abibant. At Cerularius vice versa Pontificem pariter excommunicavit, exemplar vero excommunicationis a Latinis in Græcos latæ comburi jussit [1].

1. De magno occidentis schismate inferius opportunior erit dicendi locus.

§. 141. *Berengarius* canonicus, & scholæ præfectus Turonensis, dein archidiaconus Andegavensis seculo XI docuisse fertur, Christum in eucharistia realiter præsentem non esse [1]. Oppugnabant eum statim nonnulli in Gallia, & Germania, *Leo* vero IX Papa anno 1050. in concilio primum Romano, deinde in Vercellensi damnavit. Accedebat ad Pontificis judicium Parisiense concilium eodem anno a Rege Francorum *Henrico* convocatum.

1. Recentiores tamen contendunt ex actis concilii Romani sub Gregorio VII. adversus Berengarium habiti, quæ acta ipse Berengarius conscripsit, eum minime circa realem Christi præsentiam errasse, sed tantum asseruisse, panis & vini substantiam etiam post consecrationem perseverare.

§. 142. Mortuo Leone, successor ejus *Victor II.* primo in synodo Florentina, dein ejus legati in synodo Turonensi Berengarium damnarunt. Post obitum Victoris, & *Stephani X.* brevem pontificatum *Nicolaus II.*, qui eidem successit, Romæ anno 1059. synodum habuit, in qua Berengarius sententiam suam revocavit. Post hanc synodum revertens in Galliam cum Regem Henricum obiisse, eique succesisse Stephanum vix tum septennem cerneret, sententiam, quam pœnarum metu ejuraverat, rursus docere cœpit. Denuo *Gregorius VII.* in duobus synodis Romanis eum damnavit, in quarum posteriori sententiam suam ficto animo revocatam aliquamdiu secutus est quidem, attamen postea relictis omnibus in insulam *Cosmæ* Turonibus vicinam migravit, ibique obiit.

§. 143. Subtilem litem anno circiter 1089. Gallia de Trinitate movebat *Roscelinus* [1]; negabat enim, ullo modo intelligi posse, quomodo filius Dei humanam induere naturam potuerit, non vero simul pater, & spiritus S., nisi statuatur, tres in Deo personas tres *res*, seu naturas separatim existentes.

1. Fuit canonicus Compendiensis, dialecticus acutus, sectæ Nominalium addictus, & *Petri Abælardi* præceptor. Cogebatur anno 1092. hunc errorem in concilio Suessionensi detestari, verum periculo superato eum resumebat, hinc solum vertere jubebatur. Tandem bis exul in Aquitaniam concessit. (*Mabillonius.*).

§. 144. Græcis, & ceteris orientis Christianis acriter seculo

XII. cum varii generis fanaticis pugnandum fuit, qui feruntur credidisse duplicem Trinitatem, conjugii & carnis usum rejecisse, omnem cultum Dei externum baptismum etiam cum eucharistia sprevisse. Græci, ceterique orientis populi hoc hominum genus vocant *Massalianos* seu *Euchetas*. Ex hoc genere prodiisse dicuntur *Bogomili* [1], quorum author *Basilius* medicus & monachus sub *Alexio Comneno* Imp., quum ad frugem revocari nullo modo posset, Constantinopoli igne damnatus est. Quæ de hoc homine, ejusque sententiis memoriæ sunt prodita, satis perspicue docent, ad Manichæorum, & veterum Gnosticorum religionem disciplinam ejus accessisse [2].

1. Nomen sectæ huic est a misericordia divina, quam continuo implorasse dicuntur, nam *Bogomilus* lingua *Mysorum* est, qui misericordiam Dei implorat.

2. Mundum siquidem, & corpora non a Deo, sed a dæmone condita esse statuebat, hinc & Christo verum corpus fuisse negabat, hinc legem Moysis respuebat, hinc resurrectionem corporum negabat, quæ ad pravam materiam reditura esse putabat.

§. 145. *Petrus de Bruis*, & discipulus ejus *Henricus* [1], ut refert *Petrus* Cluniacensis Abbas, sequentia docuere: 1) homines ante usum rationis baptizandos non esse, eo quod non aliena sed propria fides cum baptismo salvet dicente Domino: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui autem non crediderit, condemnabitur*, 2) templa non esse extruenda, & jam extructa demolienda, eo quod ubique Deus in taberna, & in ecclesia, in foro & in templo eos, qui merentur exaudit, 3) cruces sacras esse confringendas, quia instrumentum mortis Christi non venerandum, sed ad ultionem mortis ejus omni dedecore afficiendum, 4) in eucharistia Christum realiter non adesse [2].

1. Petrus post viginti annorum itinera Anatiliæ, sive ad fanum S. Ægydii crematus est, Henricus vero in carcerem fuit conjectus, ubi decessit.

2. Manichæos etiam fuisse Petrobrusianos fama vulgavit, quam tamen incertam fuisse ipse Petrus Cluniacensis significat. Sane Manichæum non fuisse Brusium id palam ostendit, quod a carnibus non abstinuerit.

§. 146. In Italia *Arnaldus de Brixia* Petri Abælardi discipulus vir moribus severus res novas moliebatur, contendens, omnia bona temporalia esse laicorum, & injuste a clericis retineri, nec salutem consequi posse episcopos regalia, & monachos possessiones habentes. Cum eam ob rem ab *Innocentio II.* in concilio Lateranensi anno 1139. damnatus fuisset, in Helvetiam secedere coactus est, at Innocentio mortuo redibat. Post varia fata anno 1155. jussu *Friderici* Imp. captus ad rogum condemnatus, cineresque

in Tyberim projectæ: *ne stolidæ plebis, quem fecerat improbus error, martyris ossa novo, cineresque foveret honore*, ut cecinit Guntherus [1].

1. Excusari Arnaldus posset, & pœna rogi impulsu *S. Bernardi* in eum lata satis iniqua fuit, cum enim vidisset, ex immensis divitiis Pontificum, episcoporum, & monachorum mala multa bellaque nasci, tum reipublicæ, tum ecclesiæ salus poscere videbatur, ut sacer ordo *congrua* sustentatione contentus opes suas imperantibus civilibus reddat; non enim jus habent ob ministerium sacrum præter congruam sustentationem quid exigendi ministri sacri.

§. 147. Inter doctores *scholasticos*, qui veritatem violasse visi sunt, primas tenet *Petrus Abælardus* [1], auctore potissimum S. Bernardo in concilio Suessionensi, & Senonensi anno 1220, & 1240. condemnatus [2]. Ipse Abælardus ad sedem Romanam provocavit, ad quam accessurus præpeditus est morbo, obiitque anno 1142. apud monachos Cluniacenses a Petro Venerabili Cluniacensium Abbate cohonestatus amplo, splendidoque epitaphio [3].

1. Post consuetudinem cum *Heloisia*, ex qua filium suscepit, & cujus causa procurante *Fulberto* canonico Parisiensi Heloisiæ patruo virilia ei exsecta fuere, monachus S. Dionysii Parisiis factus est.

2. Bernardus enim in Senonensi concilio asserebat, Abælardum loquentem de Trinitate sapere cum Ario, agentem de gratia sentire cum Pelagio, & de Christi persona scribentem adhærere Nestorio, quod Bernardi judicium confirmatum fuit epistola Innocentii II. ad episcopos Galliarum, in qua hæc habentur: *Dolemus, quod in Petri Abælardi perniciosa doctrina Arii, Manichei, Nestorii, Eutychis, & Dioscori hæreses pullulare cœperunt: unde universa ipsius Petri perversa dogmata cum suo authore damnamus &c.*

3. Epitaphium Abælardi, ut habetur apud Caveum in seculo Waldensi ita clauditur.

Est satis, in tumulo Petrus hic jacet Abailardus
Cui soli patuit, scibile quidquid erat.

§. 148. In concilio Rhemensi, quod anno 1148. præsidente Papa *Eugenio III.* habebatur, homo quidam fatuus ex minori Britania damnabatur *Eon* nomine. Quum enim in formula exorcismi hæc verba audivisset: *per EUM, qui venturus est judicare vivos & mortuos*, ex convenientia vocabuli EUM cum nomine suo concludebat, se illum *eum* esse, qui vivos, & mortuos judicaturus erit [1].

1. Medicis tradendus stolidus homo, non hæreticis adnumerandus. Ipse in carcere obibat, multi vero sectatorum ejus, quos in Britania minori habebat, cum ab ejus veneratione abduci non poterant, supplicio ignis necati.

§. 149. Rusticani, & illitterati homines quidam seculo XII. *Apostolicorum* sectam condiderant; nam vitæ integritatem os-

tentates, omniaque exercentes exterioris pietatis officia se Apostolorum successores esse gloriabantur. Baptismum parvulorum, sanctorum invocationes, & orationes pro defunctis rejiciebant. Non solum ex nuptiarum damnatione, sed etiam ex abstinentia a carnibus, a lacte, & omnibus ex coitu genitis Manichæorum sobolem se probabant.

§. 150. Nulla vero secta ex iis, quæ seculo XII. sunt exortæ, majorem sibi famam, majoremque sectatorum numerum peperit, quam *Waldensium.* Auctor sectæ erat Petrus *Waldo* ex oppido *Vaulx* dives mercator [1]. *Reinerus* quondam inter Waldenses episcopus, dein vero ad ecclesiam nostram reversus, ordinemque Prædicatorum ingressus in suo de secta Waldensium opusculo errores, quorum adcusabantur, in tria partitur capitula, primum complectitur conceptus de ecclesia, & clero Romano [2], alterum circa sacramenta, & tertium reprobationem quorumdam rituum ecclesiæ Romanæ. Communia cum Waldensibus habuere dogmata *Albigenses* exorti seculo XIII. nomen sortiti ab Albigensi civitate, seu Abia, aut Albiga provinciæ Narbonensis in Occitania, ubi plurimum invaluerunt regnantibus Philippo Augusto, & Ludovico VIII.

1. Condidit eam anno 1160. sequenti ocasione: cum civis quidam Lugdunensis subito cecidisset, Waldo mortis imagine perterritus vim ingentem pecuniæ pauperibus erogavit, quæ beneficentia multitudinem pauperum maximam ipsi consociavit, quibus voluntariam paupertatem, ac Christi exemplar sectari persuasit, hinc ejus sectatores dicti sunt *pauperes de Lugduno*. *Cathari*, seu pueri in Sabaudiæ autem, & Pedemontii vallibus *les Barbets. Sabatatos* etiam, & Insabatatos dixere, non quod in Sabato judaizarent, ut comenti sunt aliqui, sed quod ob nimiam paupertatem calceos deferrent ligneos quos Galli vocant *Sabost.* Dividebantur etiam in *perfectos* & *imperfectos*, quorum quidem illi sponte omni se possessione abdicabant, ipso habitu, & vestitu rerum omnium inopiam profitebantur, crebris jejuniis corpus attenuabant, hi vero paulo liberalius, & receptis moribus convenientius, etsi sine omni fastu & luxu vivebant.

2. Fleuryus ad annum 1184. scribit Waldenses initio errasse in eo dumtaxat, quod paupertatem desidem, & fanaticam profitebantur, spernebantque ecclesiasticam potestatem. Reinerus autem in iis sequentia reprehendit: 1) quod adfirmaverint, ecclesiam Romanam sub *Sylvestro* Papa defecisse, quia temporalia, & immobilia bona tunc possidere cœpit, 2) quod ecclesia Romana sit meretrix in Apocalipsi descripta propter ornatum superfluum, 3) Papam esse omnium errorum caput, episcopos scribas, & monachos pharisæos, 4) Papam, & episcopos homicidas esse ob bella injusta (§. 111 1) ab ipsis adprobata, & decreta, 5) uni Deo parendum esse, non prælatis, 6) neminem in ecclesia altero majorem juxta illud Matth. C. 23. *Omnes vos fratres estis*, 7) decimas solvendas non esse, quia in ecclesia primitiva non solvebantur, nec clericos possessiones habere debere juxta illud Deuter. C. 18. *non habebunt sacerdotes, & omnes, qui de tribu Levi sunt, partem, & hæreditatem cum populo Israel, quia sacrificia comedunt, & nihil aliud accipiant*, ideo clericos omnes manibus operari debere Apostolorum instar.

§. 151. Seculo XIII. anno circiter 1230. *Stadinghorum* ho-

minum fanaticorum secta in Germania [1] erupit; somniabant enim, se dæmone magistro uti, qui se ipsis in diversis formis in secretis eorum scholis conspiciendum præberet, eosque informaret ad sui cultum. Feruntur hi extinctis lucernis promiscuam libidem exercuisse. Corpus Domini singulis annis in paschate e manu sacerdotis accepere, illudque in ore servantes in latrinam expuebant, Luciferum a Deo violenter & injuste in infernum præcipitatum fuisse putabant, clericos & monachos, si forte in illorum manus inciderent, omnibus injuriis affecerant.

1. Ingens numerus, præsertim rusticorum sectam hanc profitebatur, qui in confinibus Frisiæ & Saxoniæ paludibus, & fluminibus circumdati ac muniti suadente Gregorio IX. Papa ab *Henrico* Brabantiæ Duce, & *Florentino* Hollandiæ Comite maxima clade prostrati sunt. Sex millia cæsa, ceteri partim aquis submersi, partim in varias regiones dispersi (hæc constat ex Gregorii IX. Epist. ad Archiepis. Moguntinum).

§. 152. *Fratres, & sorores liberi spiritus* multos utriusque sexus homines magna pietatis specie in partes suas trahebant, disputantes ex Rom. Cap. 8. v. 2. 14. se veros Dei filios in plenissimam esse libertatem assertos, variaque nomina in diversis provinciis sunt sortiti. In Germania enim, & Belgio *Beghardi* & *Beguttæ*, in Gallia *Beghini* & *Turpulini* dicebantur. Discurrebant vero per agros, & urbes panem clamoribus poscentes, laboris osores, mulierum clandestina commercia se sectantes [1] populum a publicis conventibus sacris avocabant (***Millerus in Moshemii compen.***)

1. His tamen longe deterior erat secta *Guillelminæ* fœminæ ex Bohemia ortæ a *Berrio. Buriellio* descriptæ. Hujus sectæ viri & mulieres post quasdam preces sub medio lumine abscondito ad fortuitos concubitus gradiebantur, ut *Spondanus* refert ad annum 1360. sed Guillelminam quoque asserebant esse spiritum sanctum fœmineo sexu incarnatum, aliaque absurdissima fingebant deliramenta. Obiit hæc fœmina anno 1281, & anno 1300. exhumata, ac combusta (*Jo. Mabillon. Musæi Ital. p. I. 20.*)

§. 153. *Flagellantium* cruenta secta circa annum 1260. in Italia est exorta. Magna hominum copia omnis ordinis, ætatis, & sexus per urbes, & agros flagella manibus tenens discurrebat, nudatumque corpus flagellis misere lacerebat bis in die per dies tres, & triginta in memoriam annorum a Christo in terris transactorum. Quidam impostor sectæ huic addictus finxit, delatam ab angelo epistolam, qua universis peccatoribus securitas veniæ datur, qui triginta quatuor diebus flagellantium devotionem exercent, neminem autem a peccatis absolvi asserebant, qui sectæ huic nomen non dedisset, ideo mutuo audita confessione se absolvebant. Renovata est hæc secta anno 1349. in Germania,

& Hungaria [1]. Neminem ad suam recipiebant sectam, nisi qui quatuor ad minus denarios singulis diebus ad victum haberet, ne mendicare cogeretur, nisi peccata confessus esset, & suæ haberet uxoris consensum. [2].

1. Eodem enim anno 1349. ducenti Spiræ magno honore sunt excepti, centum alii ad ipsos illuc accesserant, Argentorati mille numerabantur. Damnavit illos eodem anno universitas Parisiensis, vetuitque Philippus Rex, ne sub vitæ discrimine Gallias pervaderent, damnavit eos etiam *Clemens VI.* Adhuc seculo XV. inferioris Saxoniæ incolis molesti erant, ab antiquioribus tamen diversi, nam rejiciebant omne cultum externum, in fide, ac flagellatione omnem salutis spem collocantes. Dux sectæ in Thuringia *Conr. Schmidt*, Quedlinburgi *Nic. Schadem*, in reliquis provinciis innumeri alii vivi ab *Inquisitoribus* combusti sunt. (Illorum scripsere historiam *Albertus Argentinensis*, *Schottgen*, *Jo. Gersonius* vero speciali eos tractatu confutavit.)

2. Huic lugubri sectæ toto genere opposita erat hilaris illa *saltantium* Aquisgrani anno 1373. orta & per Belgium diffusa. Utriusque autem sexus homines choreas ducebant repente, manibusque sese invicem tenentes, tanto ardore tamdiu saltabant, donec suffocati fere conciderent, interea sibi mirabilia visa obtingere perhibentes. Dæmoni hæc cæca illa ætas tribuebat, morbumque exorcismo impugnabat, quem medicus citius, aut lictor armatus, simpliciusque vicisset.

§. 154. De *Fratricellorum* secta & veteres, & recentiores tam confuse, & dubie disserunt, ut difficulter erui possit, quæ eorum origo, doctrina, & mores fuerint. Probabilius videtur Fratricellos (qui etiam latine *fratres parvos*, aut *fraterculos de paupere vita* sese nominabant) monachos fuisse Franciscanos, sed a magna Franciscanorum familia segregatos, præpositi generalis, & Pontificis authoritatem recusantes, qui Francisci legibus perfectius obtemperare volebant, quam ceteri Franciscani, eaque de causa nec communiter, nec separatim aliquid possidebant, sed mendicando quotidie victum quærebant, laceris ac sordidis utentes vestibus [1]. Putabant professos regulam Francisci non esse obstrictos ad obediendum Romano Pontifici in suis declarationibus, seu interpretationibus circa regulam factis, eo quod regula sit ipsum Christi evangelium, negabant Papam ordinem Francisci abrogare posse, Christum & Apostolos etiam in communi nihil habuisse putabant, in eoque positam esse evangelicæ paupertatis perfectionem.

1 Cultu sordido incedentes (ait *Nat. Alex.*) gyrovagi, hypocritæ paupertatis evangelicæ speciem sibi arrogabant, se orationi, & contemplationi addictos mentiebantur, ideoque ad laborem non teneri. Unde ad sectam ignavorum hominum colluvies pastores porcorum, gregum, ac pecorum, cementarii, carbonarii, fabrique confluebant panem ut otiosi comederent, & mendicitate (ut ipsis quidem videbatur) non indecora vitam sustentarent.

§. 155. *Georgius Palamas* Græcus monachus, ac postea episcopus Thessalonicensis *Palamitarum* [1] sectæ nomen dedit, *Bar-*

laamus gente Calaber, monachus S. Basilii, episcopus postea in Calabria Hieracensis Græciam peragrans, & in monachorum mores inquirens sectam hanc detexit; et veterum enim magistrorum suorum præscripto quotidie in remoto quodam angulo sedentes oculos constanter in medium ventrem, seu umbilicum per certum tempus dirigebant, in illò vero statu divinam quamdam lucem se intueri jactabant. Quæsiti, qualis hæc lux esset? responderunt, ipsam esse Dei gloriam, lumen vero, quod in transfiguratione Christi adparuit, exempli loco adferebant [2].

1. Sectam hanc plerique illorum monachorum sunt professi, qui se ἡσυχαςτά a quiete, & animo imperturbato nominabant; *Hesychastæ* enim latino vocabulo sunt *Quiescentes*, Barlaamus eos etiam *Euchetas*, *Massalianos*, & novo vocabulo ομφαλογύψ8ς, *Umbilicos* vocabat.

2. Non est, cur quis miretur, monachos quosdam orientales ad eam dementiam devenisse, ut putarent, se lumen Dei, ejusque gloriam videre, si oculos ad umbilicum figunt; nam omnes populi orientales, qui vitam *contemplativam*, seu *mysticam* profitebantur, seu Christiani fuerint seu Machumedani, in institutis suis habebant, oculos in certum punctum quotidie per horas aliquot pertinaciter defigendos esse, quod qui fecerit, illum extra se velut rapi, resque cernere admirabiles, & frui voluptate nulla re explicanda. Explicatum res hæc planum habet, si adtendatur, facultatem imaginandi, ac phantasiam ex prædicto situ corporis diu servato multa proponere objecta imaginaria.

§. 156. Anno circiter 1420. *Adamitarum* sectam suscitavit quidam *Picardus*, qui ex Gallia Belgica per Germaniam in Bohemiam penetravit, seque Adam, ac Dei filium nominabat. Ejus asseclæ nudi incedebant addicti promiscuis connubiis in omnem exardescentes libidinem, atque adeo inverecundi, ut illos Zischka dux Thaboritarum omnes gladio deleverit duobus tantum reservatis, ex quibus gentis superstitionem cognosceret. Paulo modestiores his erant *fossarii*, qui ad instar brutorum promiscuam libidinem in abditis locis, fossisque, unde nomen habent, explebant.

§. 157. Opportuna se hic offert occasio disserendi de origine inquisitionis hæreticæ pravitatis, quæ in hac epocha est exorta. Cum enim seculo XIII. Waldenses, & Albigenses in provinciis Galliæ, præsertim Tolossana latius quotidie se extenderent *Innocentius III.* sub initium seculi XIII. anno 1204. *Arnaldum* Abbatem Cisterciensem, *Petrum* de Castro novo, & *Radulphum* monachos ejusdem ordinis illud delegavit, ut in inquirendis hæreticis episcopos adjuvarent, imo plenissima authoritate papali muniti eorum in persequendis hæreticis defectum supplerent, qui dein *Inquisitores fidei*, seu *hæreticæ pravitatis* dicti sunt. At tum episcopi, tum magistratus civiles eorum missionem licet a Papa sæpius confirmatam agnoscere detrectabant, adeo ut biennio

jam prædicationi insistentes nihil, aut parum se profecisse viderent. Quare idem Pontifex Innocentius III. anno 1206. *Didacum* episcopum Oxomensem, & *S. Dominicum* [1] ejusdem ecclesiæ tum canonicum ut se prioribus jungerent, eadem authoritate ablegavit.

1. Dominicus mox socios hujus operis sibi conquirere, & novi ordinis ad hunc scopum instituti autor. Iisdem temporibus S. Franciscus cum suis fratribus hoc munus contra hæreticos in Italia sibi sumpsit. Mox eo ventum est, ut fratrum mendicantium turbæ quaquaversum per provincias discurrerent, tum voce tum scriptis hæreticos impugnarent, populum ad belli societatem signo panei crucis pectori affixo excitarent iisdem indulgentiis concessis, quas nacti sunt milites cruciati.

§. 158. Hactenus quidem omni jurisdictione destituti magis *delatorum*, quam *judicum* officio fungebantur, quod ut effectu non destituatur, Innocentius III. in concilio Lateranensi IV. anno 1216. archiepiscopis, & episcopis sub pœna depositionis imperavit, ut in convictos, aut suspectos de hæresi debitis animadvertant pœnis, Principes vero, & magistratus civiles juramento obstringi voluit, vi cujus promittere debuere, se de terris sibi subjectis universos hæreticos esse exterminaturos, si quis autem requisitus & monitus suam terram purgare neglexerit ab hæreticis, eum excommunicari jussit, per annum vero in excommunicatione persistentis terram Catholicis occupandam se daturum edixit [1].

1. Accesserunt *Friderici II.* constitutiones de anno 1221., quibus judicibus secularibus hæreticos ab ecclesia judicatos puniendos commendavit: obstinatis pœnam ignis, pœnitentibus vero carceres perpetuos præstituit, pœnas criminis perduellionis & læsæ majestatis ad crimen hæreseos extendit, omnesque leges tum jure civili, tum canonico contra hæreticos latas confirmavit, præterea inquisitores, id est, fratres Minores & Prædicatores tuendos recepit, (Constitutiones hæ extant apud *Goldast. Constit. Imp. Tom.* 1. *p.* 293.)

§. 159. *Gregorius IX.* eodem zelo animatus legatum suum ad provincias, quas Albigenses inhabitabant, misit, qui anno 1229. celeberrimum illud celebravit concilium, in quo peculiaris contra hæreticos procedendi modus primum definitus est. Et quia episcoporum rigor ei non videbatur sufficere, tandem anno 1231. inquisitionis officium solis fratribus Dominicanis commisit, sed nimius inquisitorum fervor & rigor in causa fuit, quod hoc inquisitionis tribunal in Gallia non diu perstiterit.

§. 160. Friderici II. leges (§. 158. 1.) anno 1243. *Innocentius IV.* confirmavit, pluraque anno 1252. pro stabiliendo inquisitionis tribunali adjecit, quod & ipse Dominicanis & Franciscanis per Lombardiam, Romaniolam una cum episcopis exercendum mandavit tanta severitate, ut sæpius mitigari debuerit. Hæc est inquisitio *Italica*, quæ postea in Tuscia quoque, quin & in aliis

Italiæ partibus successive stabilita nullibi tamen sine maximo labore, & perpetuis contra inquisitionis abusus querelis [1].

1. Potest huc quoque referri inquisitio *Veneta*, quæ a temporibus Nicolai IV. a curia Romana independenter propria reipublicæ authoritate exerceri cœpit. Regnum *Neapolitanum* ob dissidia Regum, & Pontificum intactum ab hoc judicio mansit.

§. 161. Ex Italia mox in alia regna penetravit inquisitio & imprimis instinctu *Raymundi de Pennafort* anno 1233. in Aragoniam migravit. Ibi pœne jam extincta erat, cum *Ferdinandi Catholici* precibus Sixtus IV. anno 1483. *Thomam de Turrecremata* Dominicanum inquisitorem generalem dedit, quem biennio post in hoc munere Innocentius VIII. confirmavit. Illius authoritate anno 1484. conventus Hispalensis celebratus est, quo universum judicii ordinem, quo ad nostra usque tempora utebantur, designavit, & intra annos quartuordecim, per quos hoc munere fungebatur, 14000 ad rogum sunt damnata [1]. Hispani hujusmodi tribunal in Belgio quoque moliebantur, ubi Dux Albanus regnante Philippo II. armata manu rem adgressus est, cujus immanitatis metu defecere Batavi cum fœderatis provinciis, nec in reliquo Belgio ullum dudum supererat inquisitionis vestigium, nisi innata quædam populi Belgici ejus execratio. (*Van-Espen*) Inquisitio *Lusitanica* ad normam Hispanicæ a Paulo III. anno 1535. postulante *Joanne II.* Rege est erecta.

1. Circa idem tempus, quo opera Raymundi de Pennafort inquisitio migravit in Aragoniam, etiam venit in Germaniam, cum jam a Gregorio IX. Papa primus Germaniæ inquisitor denominatus est *Conradus* Marpurgensis, at Germani eum, cum muneri suo incumberet, juxta natale solum suum Marpurg anno 1223. necarunt.

§. 162. Processus ipse inquisitionis hoc ordine peragebatur: Inquisitor mandatum a Papa, aut ejus vicariis acceptum exhibebat episcopo ejusve vicario, & magistratibus civilibus, hosque cogebat ad jusjurandum de executione legum civilium & ecclesiasticarum contra hæreticos [1]. Deinde munus suum solemni oratione in æde primaria, in qua proponit *edictum fidei* [2], auspicatur.

1. Primi inquisitores a Principibus litteras liberi commeatus, & jusjurandum de legum contra hæreticos executione adeo rigide exegerunt, ut detrectantes excommunicarent, & civitates interdicto subjicerent, sed postquam certa tribunalia sunt consecuti, eorumque jurisdictio agnita est, violentis his mediis abstinuerunt.

2. Sic appellabant monitum generale ad omnes homines, ut sub pœna excommunicationis intra certum tempus eos omnes, qui hæreseos suspecti sunt, denunciant. Terminus præstitutus fuit triginta dierum, intra quem qui venerant, & se ipsos accusabant, a pœnis ordinariis liberabantur, unde terminus *gratiæ* dictus fuit.

§. 163. Proposito edicto fidei adcusationibus vel denunciationibus aures præbebat, & suspectum in carcerem abripiendum jubebat, interrogabatque non adeo exacte servato juris ordine. Inquisitor autem cuncta alta voce promebat, ne adcusati aut pœnam effugere, vel ceteros erroribus contaminare potuerint. Causa præparata adhibito episcopo, vel vicario suo generali, itemque doctorum ac proborum virorum consilio sententiam protulit in loco publico cum debita solemnitate, & hoc ipsum est, quod Hispani *actum fidei* (AUTO DE FE) adpellabant, quem ut tanto celebriorem redderent, plerumque plures diversorum criminum reos asservabant, quos simul supplicio tradebant. Erexerant in loco frequenti suggestum, ex quo inquisitor vel socius verba fecit ad populum de *fide*, deque erroribus illorum, quos in sublimi loco expositos ostendit populo, denique sententia lata mox executioni dabatur.

§. 164. Qui convicti, aut violenta suspicione gravati sed pœnitentes erant, publice abjurata hæresi ab excommunicatione absolvebantur. Insigne pœnitentis acceperant vestem, quam *saccum benedictum* (SAN BENITO) vocabant [1]. Qui convicti, & impœnitentes erant, vel etiam pœnitentes sed relapsi, judici seculari tradebantur ad supplicium [2], atque hoc erat in Hispania omnium spectaculorum maximum, quod ut eo terribilius reddant, impœnitentes saccis nigris, quibus flammæ infernales & dæmonum figuræ depictæ erant, indutos rogo injecere [3].

1. Erat hæc vestis instar humeralis cruce Andreana a tergo & in pectore signata, quamque quoad vivunt gestare, ac certis diebus ad portam ecclesiæ cum cereo accenso in manibus se sistere vel similem pœnitentiam agere tenebantur, nonnumquam in perpetuum carcerem detrudebantur.

2. Equidem ne *irregularitatem* contraxerint inquisitores, sententiæ inserebatur formula, qua evitandæ irregularitatis causa efficaciter intercedebant, ut citra mortis periculum judex sententiam moderetur. Sed ita universis illudebant; nam si judex vel recusaret, vel momentum differret exequi leges, quæ supplicium ignis in hæreticos decernunt, excommunicabatur, & si per annum in excommunicatione persistit, ex tunc velut hæreticus condemnabatur. Hinc hæc Inquisitorum intercessio & protestatio de praxi adeo in meram ceremoniam, & formalitatem abiit, ut ne adtendi quidem potuerit a judice seculari, nisi ipse se voluit exponere periculo, ut qua hæreticus damnetur. Quod vero magis mirandum illud est: ipsi Imperanti denegatam fuisse facultatem adgratiandi in sententia ab Inquisitoribus lata.

3. *Scopus institutæ inquisitionis est, loca ubi viget, ab hæreticis vel purgare, vel præservare. Ast media ad hunc finem obtinendum adhibita sunt ejusmodi, ut spectato naturæ ordine hypocrisin & ignorantiam producant. [illegible] quis denunciatur, in carcerem detruditur, & ob simplicem suspicionem, cujus fundamentum erit verbum quoddam [illegible] prolatum, punitur; impedit quo minus aliquis de eo, quod religionem concernit, loquatur, dubia si quæ habet proponat, quæstiones formet, ac se instrui curet. Brevissimam simul ac tutissimam*

est aut tacere, aut loqui, & agere sicut alii sive interna cum externis correspondeant sive non. Peccator consuetudinarius, qui concubinam suam dimittere non vult, paschalem obire communionem non omittit, ne in fine anni tanquam de hæresi suspectus inquisitioni denuncietur; regiones ubi inquisitio viget, laxissimis casuum doctoribus abundant. Optimum in litteris proficiendi medium est lectio; verum hæc in ejusmodi loco admodum difficilis est. Sacra scriptura ibidem non in lingua vernacula sed latina solum prostat, & qui biblia hebraica habet, de judaismo se suspectum reddit. Plures probatæ Patrum, aliorumque scriptorum ecclesiasticorum editiones hic prohibitæ sunt, quia ab hæreticis, aliisque authoribus suspectis adornatæ. (Fleury Diss. 7. in H. E. §. 13.). Verendum est, ne homines alienæ jurisdictionis ministri mandati regulas migrent, culpasque, ac suspiciones augeant, exaggerentque, ut sit, quod agant. Porro inconcinnum est, ut in terris, in quibus per duo secula hæretici non tolerantur, quotidie hæretici vel apostatæ inventi puniantur. (Idem in *Instit. jur. eccles.*)

CAPUT TERTIUM

DE

CONCILIIS.

§. 165. Anno 1122. sub *Callixto II.* Papa, & *Henrico V.* Imp. Romæ in Lateranensi basilica habebatur concilium, quod est *generale IX.* & *Lateranense I.* Interfuere episcopi trecenti (in Pandulphi Pisani scriptis *nongenti* mendose leguntur). Occasio illud celebrandi erat dissidium inter sacerdotium, & imperium circa investituras per annulum, & baculum, de quo infra dicetur. Canones sunt conditi viginti duo & expeditio cruciata propositis indulgentiis decreta.

§. 166. Romæ in eadem basilica Lateranensi anno 1139. habebatur concilium inter *generalia X.* & Lateranense II. sub Papa Innocentio II. & Conrado III. Imp. Aderant Patres circiter mille. Occasio convocandi fuit schisma *Petri Leonis* Antipapæ [1]. Pronunciatum anathema in Petrum de Bruis (§. 145.) & Arnaldum de Brixia (§. 146.) canones conditi triginta, inter quos notabilis ob datum est decimus quintus *privilegium canonis.*

1. Eadem enim die, qua Innocentius II. est electus, factio seditiosa intrusit Petrum Leonis nomine Anacleti II. usurpato. Innocentius Roma secedens ad Ludovicum VI. Galliarum Regem, deinde ad Lotharium perrexit, a quo Romam deductus, & restitutus est. Discedente autem ex urbe Lothario Innocentius nondum extincta Anacleti factione Pisas advenit ibidem commoratus usque ad obitum Anacleti. Verum huic seditiosi substituerant iterum alterum, quem Victorem IV. appellarant. Hic post tres menses dejectus est, & celebrato concilio schisma extinctum.

§. 167. Romæ iterum in Laterano sub Alexandro III. Papa,

& Friderico II. Imp. anno 1179. celebratum est concilium inter *generalia XI.* & Lateranense III. Aderant episcopi trecenti. Anathemate sunt proscripti Waldenses, & Albigenses (§. 150) canonesque conditi numero viginti septem.

§. 168. Romæ denuo in Laterano sub Innocentio III. Papa & Friderico II. Imp. anno 1215. convocatum concilium inter *generalia XII.* & Lateranense IV. Aderant Metropolitæ, & Primates 76, episcopi 412, Abbates & Priores 800. Occasio illud convocandi erat expeditio contra Saracenos, & errores Joachimi Abbatis, ac *Almerici* Carnotensis [1]. Expositum est symbolum fidei ad stabiliendam transubstantiationem, damnataque Joachimi, & Almarici doctrina, canones numero septuaginta sunt conditi [2].

1. Ortus fuit Carnuti (Chartres) in Gallia Celtica, commentus est, nullam futuram fore generationem, sexusque discrimen, si Adam non peccasset, cessasse jam cum lege Moysis potestatem patris, & ipsius Almerici ætate legem Christi. Vigere autem modo legem spiritus S., per quam omni religione externa sublata unusquisque sola interiori gratia salvetur. (*Martene* Tom. 4. Anecdot. *Fleury* ad annum 1210. num. 59.)

2. Canone tertio fuit statutum, ut hæretici magistratibus civilibus puniendi tradantur, canone quinto, post Romanam ecclesiam locus nobilior conceditur Constantinopolitanæ, quæ illum a concilio Constantinopolitano anno 381. usurpaverat, canone vigesimo primo, cunctis præcipitur fidelibus, ut saltem semel in anno recurrente paschate proprio sacerdoti peccata confessi sacram cœnam sumant. Decretum quoque fuit, ut Judæi, & Saraceni inter Christianos degentes aliquo indumenti genere ab iis secernantur.

§. 169. Concilium *Lugdunense I.* inter *generalia XIII.* habebatur anno 1245. sub Innocentio IV., & Friderico II. Imp. Aderant episcopi centum quadraginta & Balduinus Imperator orientis. Conditi ibidem canones decem septem, quorum duodecim a Bonifacio VIII. inserti fuerunt Lib. 6. decretalium, cum pertractent de judiciis ecclesiasticis, reliqui spectant ad subsidia mittenda crucesignatis [1].

1. Dicta quoque sententia excommunicationis, & depositionis in Fridericum II. ob rationes infra adducendas. Disputare solent num Imperator authoritate totius concilii, utrum vero a solo Innocentio consentientibus ei aliquibus tantum episcopis exauthoratus fuerit? de qua re coram dici potest.

§. 170. Concilium *Lugdunense II.* inter *generalia XIV.* celebratum fuit sub *Gregorio X.* Papa & *Rudolpho I.* Imp. anno 1274. Interfuere episcopi 500. Abbates 70, Prælati alii 1000. Definita est processio spiritus S. a patre & filio, ac rursus Græci in communionem recepti sunt, statuta auxilia Christianis bellum in Syria gerentibus, & canones conditi triginta.

§. 171. Concilium *Viennense* in Gallia *generale XV.* habebatur sub Clemente V. Papa & Henrico V. Imp. Interfuere præter cardinales episcopi trecenti. Actum est in hac synodo de recuperatione terræ sanctæ, extinctus ordo Templariorum [1], damnati fuere Beguardi, & Beguinæ, indictumque suadente Raymundo Lullo, ut in Oxoniensi, Parisiensi, aliisque academiis hebraica, chaldæa, & arabica lingua traderetur.

1. Sunt, qui existimant *Philippum Pulchrum* Galliarum Regem divitiis Templariorum inhiasse, eorumque extirpationem hac de causa ursisse; verum constat, Philippum bona, quæ possederant, amplissima partim aliis ordinibus, maxime equitibus S. Joannis hodie Melitensibus tradidisse, residuum vere fisco regio intulisse, probabilior proin eorum est sententia, qui scribunt, ob enormia, quorum adcusabantur, crimina fuisse extirpatos; nam *Thomas Walsinghamus* in historia anglicana in vita Eduardi II. narrat: *Depositum fuit contra Templarios, & compertum, quod quando receperunt quemquam ad ordinem, amotis omnibus exceptis fratribus ejusdem ordinis adduxerunt illum ad locum privatum, & totaliter denudaverunt, & tunc unus accederet ad eumdem, & eum oscularetur in posteriori parte, deinde indueretur & cingeretur corrigia de Sambuco. Et post crux portaretur & ibi diceretur sibi, quod crucifixus non est Christus, sed quidam falsus propheta deputatus per Judæos ad mortem propter delicta sua, & fecerunt eum ter spuere super illum, & postea projecerunt crucem ad terram, & cum pedibus conculcari fecerunt, deinde ostenderent sibi caput cujusdam idoli, quod quotidie adorabant. Et præter hæc depositum est contra eos, quod vitio fœdarentur sodomitico statuentes, quod nullus utatur mulieribus, sed quilibet altrutro, cum voluerit.*

§. 172. Occasione *magni schismatis occidentis* celebratum est concilium *Pisanum*, *Constantiense* [1] *Basileense*, ac *Ferrariense*, de quibus infra opportunior erit dicendi locus.

1. In hoc concilio præter schismatis compositionem etiam agebatur de damnatione *Wiclefti*, & *Hussi*, ideo hic loci utriusque damnatio est exponenda.

§. 173. In sess. VIII. damnata est doctrina ac memoria Joannis Wiclefii [1], ac speciatim articuli 45. ibidem inserti quidam ut hæretici, alii erronei, alii ut scandalosi & blasphemi, quidam ut piarum aurium offensivi, nonnulli ut temerarii & seditiosi [2], ejus pariter libros omnes & tractatus concilium igne damnavit, ossa ejus denique exhumari jussit, & procul ab ecclesiæ sepultura projici.

1. Erat natione Anglus, theologiæ doctor, & professor Oxoniensis vir acris ingenii, atque ut ista tempora ferebant, in primis eruditus. Ab initio contra monachos mendicantes insurrexit, juraque academiæ Oxoniensis contra illos defendebat; postea vero cum anno 1367. a Simone *Langhamio* Archiepiscopo Cantauriensi præfectura collegii Cantauriensis privaretur, qui monachum in ejus locum suffecit, Urbanusque V. Papa, ad quem adpellavit, judicium Archiepiscopi ratum habuisset, tum monachos, tum Pontificis potestatem scriptis, sermonibusque acriter est adgressus, asserens, ecclesiam Romanam esse synagogam sathanæ, authoritatem decretalium, eorumque studium, monachorum institutionem, vota, & mendicitatem reprehendit &c. Obiit anno 1385.

2. Cum in hoc concilio variis notis, seu *censurarum* generibus articuli Wicleffi proscripti sint, usus invaluit, ut in theologia dogmatica in similibus occasionibus eædem notæ non solum distingui, sed multiplicari etiam cœperint.

§. 174. Sess. XV. *Joannis Huss* articuli damnati sunt, qui tunc temporis Pragæ munus professoris theologiæ, & concionatoris obibat. Natus in Bohœmiæ pago *Hussinez* (unde nomen suum accepit) anno 1373. ab obscuris parentibus in universitate Pragensi tantos fecit progressus, ut anno 1393. factus fuerit baccalaureus, 1396. magister, 1400. concionator, & confessarius Reginæ Sophiæ Bavaræ Regis Wenceslai conjugis, 1401. decanus facultatis theologicæ, & 1409. universitatis rector.

§. 175. Hussus jam ab anno 1408. academiam Pragensem a Gregorio XII., seu Angelo Coriario, cui Bohœmia adhuc adhæserat, abducere studuit. Ægerrime vero hoc Archiepiscopus Pragensis & reliqui ferebant sacerdotes, qui Gregorii partibus addicti erant. Hinc magna inter Hussum, & Archiepiscopum inimicitia. Ad hanc primam odii erga Hussum causam, quæ superari poterat, accedebant aliæ majores. Primum *realium* partes in philosophia sectabatur, & ea re *nominales* pro ætatis illius more premebat, horum vero magnus in academia Pragensi erat numerus, nec mediocris authoritas. Deinde anno 1408. efficiebat, ut in Germanorum & Bohœmorum controversia de suffragiorum numero secundum Bohœmos pronunciaretur [1], qui longæ litis exitus Germanos sic offendit, ut una die supra duo millia Pragam reliquerint, nec multo post tria millia secuti fuerint, & *Lipsiam* trium dierum itinere a Praga distantem adierint, ubi *Fridericus* cognomine *Bellicosus* Saxoniæ elector eorum causa anno 1409. academiam condidit.

1. Legibus enim academiæ statutum erat, ut in deliberationibus academicis tribus suffragiis Bohœmi uterentur, unico vero reliquæ tres nationes Bavarica, Polonica, & Saxonica, quæ communi nomine nationis *Germanicæ* comprehendebantur. Usu vero invaluit, ut Germani, qui Bohœmos longe numero vincebant, tria ferrent suffragia, Bohœmi unum tantum. Hussus igitur sive *patriæ amore*, sive *Nominalium odio*, quos maxima Germanorum pars Realibus prætulit, inflammatus authoritate, qua in aula ob eloquentiam magna valebat, perfecit, ut Germani trium suffragiorum jure privarentur, & uno contenti esse juberentur.

§. 176. Germanis Praga pulsis Hussus liberius quam antea contra aulam Romanam & cleri vitia insurrexit, Wicleffi etiam libros & sententias publice laudavit. Jungebant se ei *Hieronymus* Pragensis, & *Jacobellus* Misnensis, qui ad S. Michaelis per id tempus conciones magno cum populi plausu habebat. Cum illo congressus *Petrus* Dresdensis mirari se ait, doctum piumque vi-

rum in suis sermonibus ad populum errorem illum non animadvertisse, qui circa sacræ cœnæ administrationem in ecclesiam irrepsisset, in qua sub una tantum specie corpus Christi populo ministraretur, cum apud Joannem Evangelistam sub utraque specie sumi jubeatur dicente ibi Christo: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* His affectus Jacobellus cum evolutis SS. Patrum scriptis Dyonisii præsertim & Cypriani communionem calicis laudatam invenisset, commovere populum cœpit, ne deinceps sumptionem calicis, sine qua salvari nemo potest, negligeret. Huic Hussus ejusque asseclæ consensere, quod etiam Hussitæ Bohœmiæ semper retinebant, propterea dicti *Calixtini*, quamvis Wicleffi doctrinam maxima ex parte deseruerint [1].

1. In retinendis tamen Wicleffi articulis ab Husso adprobatis constantiores fuere *Thaboritæ* sic a loco quodam natura munitissimo adpellati, quem ad Lusinitium amnem Joannes *Zischka* Dux Hussitarum occupavit, mœnibus cinxit, extructisque domibus civitati Thabor nomen dedit, sociosque suos Thaboritas nominari voluit. Hi post Hussi mortem bellum in Catholicos immane gessere, & Zischka mortuo (qui ut e pelle sua ad terrendos hostes tympanum conficeretur mandavit) in duas scissi sunt factiones. Alii *Procopium Magnum*, quem *Rasum* quoque vocavere, in Ducem sibi elegerant, alii nullum inveniri posse dictitantes parem Zischkæ selectis paucis, qui communi consilio rem bellicam gererent, se *Orphanos* adpellavere.

§. 177. Joannes XXIII. Papa excommunicationis sententiam in Hussum tulit, simulque Pragam sacrorum peractione interdixit, donec ibi moraretur, sed a Papa ad Christum adpellabat Hussus; ac insuperhabita excommunicatione & sermonibus & scriptis doctrinam suam propagare pergebat. Ad Constantiense dein concilium *Sigismundi* Romanorum, & Bohœmiæ Regis mandato se contulit ad defendendam doctrinam suam. Jamjam autem habiturus ad basilicas omnes, monasteria, collegia, & pontem Pragensem programma affixit Latina, Germanica & Bohœmica lingua, quo significabat, se concilio adstiturum, ibique doctrinæ suæ rationem redditurum. Si tamen Archiepiscopus juberet, se in provinciali synodo compariturum, & episcoporum, aliorumque virorum ecclesiasticorum Pragensis provinciæ sententiam auditurum. Conformiter ad hæc litteras dedit ad Regem, Reginam, aulæ proceres, ac magistratum, quibus ipsis notum fecit, se ab Archiepiscopo petiisse, ut audiretur, & quæstio de hæresi, quam sui æmuli affingebant, haberetur: porro inventum fuisse neminem, qui ipsum accusaret, ideoque jussisse Archiepiscopum, ut cum suis in pace abiret, proinde rogabat Regem, ut ejus rei testimonium sibi concedere dignaretur, nullum tamen ejusmodi testimonium, sed salvum conductum tantum obtinuit.

§. 178. Congregatis eodem tempore Pragæ comitiis Hussus a

comitibus, & urbium deputatis obtinuit, ut Archiepiscopum in suum totiusque nationis honorem interrogari curarent, an ipsum hæresim docuisse compertum haberet? si affirmative responderet, se ad satisfactionem & obedientiam paratum. Archipræsul ab ordinibus rogatus respondit, illum alicujus hæreseos, errorisve reum se nescire, sed excommunicatione Pontificis innodatum, a qua absolvi ipsum necesse esset, de quo Archiepiscopi responso patentes litteras aliqui ipsi tradiderunt.

§. 179. His instrumentis præsidiisque munitus, liberoque regio comitatu lætus se itineri ad concilium Constantiense commisit [1], illucque veniens die sequenti *Joannem Chlumæum*, & *Henricum Lazembogium* ad Papam misit, qui illum Regio diplomate munitum, quo tutus esset, ad concilium œcumenicum a se deductum nuntiarent: proinde ab eo petere, ut absque periculo, & impedimento Constantiæ degere posset, cui petitioni Pontifex annuit.

1. Cum Norimbergam venisset, programa affixit, quo se Constantiam tendere significabat fidei suæ rationem redditurum, & omnibus, qui ipsum erroris adcusare vellent, responsurum, idemque fecit in omnibus urbibus, quas pertransiit.

§. 180. Brevi post suum Constantiæ adventum duplici de causa fugam meditari cœpit [1], & reipsa dominica III. quadragesimæ in curru straminibus undique tecto, & ea die ex urbe educendo se abscondit. De fuga monitus consul civitatis eum Constantiam reduci jussit, inde post octo dies in ædibus Fratrum Prædicatorum custodiæ traditus, unde cum pene evasisset, in alium carcerem translatus est. Eodem vero die ipse Papa Joannes XXIII. se Constantia subduxit, hæc causa fuit Hussum in alium carcerem transferendi: ministri enim pontificii, quibus illius custodia demandata erat, dominum secuti claves carceris Sigismundo, & synodo reddiderunt, post hæc Hussus in Constantiensis episcopi potestatem traditus in arcem quamdam trans Rhenum deportatus est diligenter custodiendus.

1. Prima erat causa, quia Realium sectæ deditus infensissimum se præbuerat Nominalibus, malo vero ejus fato præcipui judicum ejus in concilio Nominales erant, maxime illud Constantiensis concilii oraculum *Joannes Gerson* nominalium maximus patronus, & Hussi hostis, Regis Galliæ, & academiæ Parisiensis orator seu legatus in concilio. Accessit altera fugiendi causa: sacrum in hospitio sæpius faciebat Hussus licet excommunicatus, & plebs frequenter eo concurrebat. Ubi id ad episcopum Constantiensem est relatum ipsi prohibuit, ne sacris operetur, at cum Hussus non paruisset, populo diras minas intentabat episcopus, si missam ejus audiret, tum de fuga cogitare cœpit.

§. 181. Interea *Hieronymus Pragensis* anno 1415. pervenit

Constantiam tum ut doctrinam suam defenderet, tum ut magistro suo Husso suppetias ferret. Programma affixit, quo Sigismundo Imp. & synodo significabat, se paratum esse ad doctrinam suam coram universo concilio defendendam. Postquam ipsi data dies, qua in concilio se sistat, & ad ea, quæ ipsi in causą fidei objicerentur, responderet, fugam arripuit, a præfecto vero *Joannis* comitis Palatini in itinere interceptus, vinctus Constantiam ductus, & in carcerem conjectus est. Utroque jam Husso, & Hieronymo in carcere delitescente Bohœmiæ proceres ad Cæsarem, & ad synodum scribebant pro Hussi libertate, ipsum inauditum carcere condemnatum conquerebantur, violatamque salvi conductus fidem, supplicantes Imperatorem, ut fidei publicæ datæ memor eum carceribus eripiat, ex iisque eductus publice audiatur.

§. 182. Nihil tamen Bohœmiæ proceres his effecere litteris, siquidem Hussus ex carcere ad synodum deductus est sententiam damnationis excepturus. Pronunciavit synodus, eum fuisse & esse manifestum hæreticum pertinacem & incorrigibilem, adeoque degradatione peracta eum curiæ seculari tradendum statuit his verbis: *Hæc sancta synodus Constantiensis Joannem Huss atento, quod ecclesia Dei non habeat ultra, quid gerere valeat, judicio seculari relinquere, & curiæ seculari relinquendum fore decernit* [1]. Quærunt viri eruditi causas tam crudelis sententiæ in eum latæ, nec eas tamen in ipsius sententiis aut moribus inveniunt, ex quo concludunt, eum injuste ab inimicis oppressum esse [2].

1. Solemniter degradatus imposita mithra chartacea hac cum inscriptione: *Hæresiarcha*, in qua dæmones depicti erant, civili potestati est relictus. Tum Imperator *Ludovico* Bavariæ Duci jussit, ut eum lictoribus traderet, a quibus cum ad locum supplicii duceretur, pro foribus templi libros suos comburi cernens subrisit. Cum ad locum supplicii pervenisset, psalmos 30. & 51. læto, ac hilari vultu recitavit, versum illum non semel repetens: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* Priusquam bustum incenderetur, Dux Bavariæ & comes de *Papenheim* adequitarunt ipsum admonentes, ut doctrinam suam revocaret, & vitæ parceret, quod cum noluisset, ignis admotus est, cineresque ejus in Rhenum projecti, ne ab ejus assecliis in Bohœmiam deferrentur, & colantur.

2. Personale in eum Patres Constantienses gessisse odium non una ratione ostendi potest: ac 1) quidem Hussus sermonibus & scriptis suis maximos motus in Bohœmia excitavit, totique ordini sacro magnam apud populum invidiam excitavit, quia in vitia cleri acriter insurrexit. Perspiciebant igitur clerici & monachi, si homo ille in patriam rediret, & scribere docereque pergeret, actum fore de authoritate sua & commodis, itaque quantum poterant enitebantur, neque vel pecuniæ vel labori parcebant, ut tantum hostem interimerent; nam Laurentius Byzinius in Diario Hussitico pag. 135. in Ludewigi reliquiis Tom. 6 ita habet: *Clerus perversus præcipue in regno Bohemiæ, & marchionatu Moraviæ condemnationem ipsius* (Hussi) *contributione pecuniæ, & modis aliis diversis procuravit, & ad ipsius consensit interitum.* 2) In ipso concilio multi aderant potentia ac authoritate præditi, qui se valde læsos ab Husso putabant. Hussus Realium

sectæ deditus infensissimum se præbuit Nominalibus, malo vero ejus fato præcipui judicum ejus Nominales erant, maxime illud Constantiensis concilii oraculum Joannes Gerson. Ipsi Nominales in litteris ad Ludovicum Galliæ Regem in Baluzii Miscellaneis Tom. IV. pag. 534. non diffitentur, manu & telis suorum Hussum cecidisse: *Sustavit Deus doctores Catholicos Petrum de Aliaco, Joannem de Gerson, & alios quamplures doctissimos viros Nominales, qui convocati ad concilium Constantiense, ad quod citati fuerant hæretici, & nominatim Hieronymus & Joannes —— dictos hæreticos per quadraginta dies disputando superaverunt.* Non falsa hæc esse historia concilii Constantiensis demonstrat. Capitales erant istis temporibus Realium & Nominalium inimicitiæ. Una secta qualibet occasione data alteram hæreseos incusabat. Ostendit hoc examen magistrale ac theologicale magistri Joannis de Wesalia in Ortvinii Grotii fasciculo rerum expetend. & fugiend. Col. 1535. pag. 163, quo in opere dessidium Realium ac Nominalium his commemorabilibus describitur verbis: *Quis nisi ipse diabolus seminavit illam zizaniam inter philosophos & inter theologos, ut tanta sit dissensio etiam animorum inter diversa opinantes? adeo ut si universalia quisquam realia negaverit, existimetur in spiritum S. peccasse, imo summo & maximo peccato plenus creditur contra Deum, contra Christianam religionem, contra justitiam, contra omnem politiam graviter deliquisse. Unde hæc cæcitas mentis nisi a diabolo, qui phantasias nostras illudit?* 3) Magno Hussus Germanorum odio flagrabat, hoc publice Pragæ professus erat odium, hoc Constantiam eum comitabatur. Germani contra memores injuriaruum olim illis Pragæ illatarum grave pariter in eum conceperant odium. Atqui Germanorum perinsignis erat in concilio authoritas, quis dubitabit eos illa in adversarius suos usos fuisse? 4) Denique ille ipse Rector academiæ Pragensis Joannes *Hoffmanus*, quem germanica Hussus cum natione Praga ejecerat, maximus Hussi hostis episcopus Misnensis anno 1413. factus erat, & in concilio inter episcopos Germaniæ illustrem locum tenebat. De controversia, num fides Husso per salvum conductum data fuerit violata? coram.

§. 183. Sumpto de Husso supplicio synodus in causam *Hieronymi* Pragensis magistri artium, laici, Hussi discipuli, sed ipso longe facundioris, & doctioris incubuit. *Petrus de Aliaco* cardinalis, & alii a concilio deputati ei persuaserunt, ut Hussi doctrinam abjuraret, quod & fecit. Sed postea mentem mutans a synodo excommunicatus curiæ seculari traditus vivicomburio sublatus est [1].

1. Quidam referunt, eum damnationis tempore vaticinatum fuisse his verbis: *Ad justissimum Jesu Christi tribunal adpello, ut centesimo abhinc anno mihi ad hæc respondeatis.* Quidam similia ab Husso his verbis prædicta referunt: *Hodie anserem assatis* (Hussus enim idiomate bohœmico anserem significat) *centum abhinc annis niveus cygnus veniet, quem occidere non valebitis*, idque vaticinium in Luthero impletum fuisse; verum hæc commentitia esse probat silentium scriptorum coævorum Pogii, Æneæ Sylvii, & aliorum. Admiranda constantia tum Hussus, tum Hieronymus ultimum supplicum sustinuere: *Pertulerunt ambo constanti animo necem, & quasi ad epulas invitati ad incendium properarunt, nullam emittentes vocem, quæ miseri animi posset facere indicium. Ubi ardere cœperunt, hymnum cecinerunt, quem vix flamma & fragor ignis intercipere potuit. Nemo philosophorum tam forti animo mortem pertulisse traditur quam isti incendium* (Æneas Sylvius in Hist. Bohem. Cap. 26) & Poggius Florentinus in Epist. ad Leonardum Aretinum de Hieronymo scribit: *Stabat impavidus, intrepidus mortem non contemnens solum sed appetens, ut alterum CATONEM dixisses———. Nullus unquam stoicorum tam constanti animo, tam forti mortem perpessus ———. Vidi hunc exitum, singulos actus inspexi &c.*

§. 184. In eodem concilio Constantiensi communio sub *utraque specie* laicis est interdicta, damnataque sententia *Joannis*

Parvi theologi Parisiensis de tyranis licite a privato quovis occidendis [1], suppresso tamen Parvi nomine, quod illustre illud erat.

1. *Joannes* enim Dux Burgundiæ anno 1407. *Ludovicum* Ducem Aurelianensem per sicarios interfecit. Magna hinc contentione exorta pro Joanne Burgundico *Parvus* Parisiis verba fecit, atque ut culpam omnem ab eo depelleret, statuebat nihil eos peccare, qui tyranos indicta causa sive dolo de medio tollerent. *Tyranorum* vero nomine non intellexit supremos imperantes, verum cives potentiores opibus suis ad Regum patriæque perniciem abutentes.

§. 185. Anno 1512. sub Julio II. Papa, & Maximiliano Imp. Romæ in Laterano habebatur concilium generale, inde *Lateranense* V. Convocatum fuit ad dissolvendum concilium a quibusdam cardinalibus Pisis inchoatum [1].

1. Occasio concilii hujus fuit sequens: anno 1438. synodus Bituriensis sub Carolo VII. Galliæ Rege edidit *sanctionem pragmaticam*, qua authoritas concilii præfertur authoritati Pontificis, episcoporum electio confertur collegio canonicorum, gratiis expectativis locum esse non sinit, beneficiorum reservationem prohibet, numerum cardinalium ad viginti quatuor coarctat, aliaque curiæ Romanæ ingrata in viginti tres articulos distributa definit. Pragmaticam hanc sanctionem Eugenius IV., Pius II., aliique Pontifices frustra delere tentarunt, donec per *Concordatum* inter Leonem X., & Franciscum I. anno 1516. concessa Regi nominatione episcoporum reservata Pontifici confirmatione, aliisque articulis aut omissis, aut immutatis sedata est controversia. Antequam vero inter Leonem X. & Franciscum Galliæ Regem concordatum hoc fuit initum, Papa *Julius* II. indignationem *Ludovici* XII. Galliarum Regis incurrebat, hinc Ludovicus habitis apud Turones comitiis de indicendo concilio nationis Germanicæ & Gallicæ consentiente Maximiliano Imp. deliverabit, permotis ad id exequendum quibusdam cardinalibus ex parte Regis stantibus. Istis pro in authoribus concilium Pisanum anno 1511. celebrandum indictum fuit, ac stata die Pisis convenere quatuor cardinales & quorumdam aliorum procuratores, ac plures præsertim Galliarum episcopi, at *Julius* ut hoc concilium solveret, indixit Lateranense inchoandum proximo anno 1512. die 19. aprilis, lata quoque in eos, qui Pisis convenerant, bulla. Post tres sessiones concilium illud Pisanum translatum est Mediolanum, ibique lata in Julium depositionis sententia anno 1512. die 21. aprilis post sessionem VIII. fuit dissolutum. Lateranense autem V. sub Julio inchoatum est anno 1512. die 3. Maji, qui illo nondum absoluto obiit. Sub ejus successore Leone X. demum finitum est, initaque inter illum, & Galliæ Regem Franciscum concordata, uti dictum fuit.

CAPUT QUARTUM

DE

DISCIPLINA, ET RITIBUS.

§. 186. A seculo VII. disciplina circa pœnitentiam valde est immutata, pœnitentiæ enim publicæ ritus in supplicia & pœnas temporales mutabantur. Pœnitens procedere jubebatur nudus usque

ad cingulum, pendente de collo fune, virgas manibus tenens, quibus deinde a clericis cædebatur, quam pœnam, ut alios sileam, subire coactus est *Raymundus* senior comes Tolosanus (*Fleuri H. E. L.* 76. *n.* 47.), & ut acerbior esset pœnitentia mulctæ pecuniariæ adjiciebantur, quæ priusquam concederetur absolutio, exigebantur, has vero ubi pœnitentes præstiterant, de reliquis facile indulgentiam impetrabant [1] sub idem tempus consuetudo introducta est etiam in pœnitentia secreta audita confessione, tum satisfactione injuncta & acceptata extemplo absolvendi (*Morinus de pœnit. L. X. C.* 24 *n.* 8 *seq.*) cum contra in antiqua disciplina peccatores nonnisi post totam, vel certe magnam pœnitentiæ partem expletam absolverentur [2].

1. Ita pœnitentia, & absolutio tam privatorum, quam Principum in negotia temporalia degenerabant, nec vacabat diuturna probatione experiri: an corde contrito esset pœnitens, quem in finem pœnitentia canonica a veteribus fuit instituta, sed prima cura erat, ad præstandam cautionem de restitutione bonorum usurpatorum, de damnis resarciendis, & persolvenda mulcta eum adigere.

2. Hæc mutatio argumentationibus scholasticorum nitebatur: absolutionem externam illi non esse denegandam, quem per *contritionem* absolutionem internam jam accepisse supponere debemus, tumque, si esset in statu gratiæ, opera satisfactionis majori merito esse peracturum. Sed considerandum fuisset, hominis mentem spe obtinendi, quod non habet, multo acrius, quam postquam illud adeptus est, in iis quæ promisit servandis, stimulari.

§. 187. Modus opera satisfactionis injungendi a seculo XIII. magis, magisque recedebat a rigore canonum antiquorum, qui jam confessariis tanquam exempla, quibus dirigerentur, non amplius vero tanquam regulæ, quas tenerentur sequi, proponebantur, plerisque præsumentibus, defecisse naturam, nec ut olim vires corporis ad rigores pœnitentiæ ferendos pares esse [1]. Jus, quod antea solis episcopis competebat, mitigandi pœnitentiam, de rigore operum sive de tempore aliquid relaxando ad omnes presbyteros extensum (*Guil. Paris. de pœnit. C.* 17) tandem introducta regula generalis, pœnitentiam injungendam ab arbitrio confessarii pendere. (*Morinus de pœnit. L. X. C.* 25 *n.* 7.)

1. *Sicut moderni physici temperant antiquorum violentiam potionum, sic & nos plerumque antiquorum rigorem canonum pœnitentialium, quia non possumus sustinere consuetam illius temporis, quando & corpora, & merita defecerunt. Tunc enim in amore Christi ferventiores erant fideles, quando recens erat cruor Christi, ideoque & valebant & volebant non patienter solum, sed & libenter pro Christo custodire vias duras, tunc quidem robustiores erant homines &c.* (Petrus Pictaviensis in L. pœnit). Nonnulli doctores usqueadeo exorbitabant, ut dicerent, illos judaizare, qui antiquis constitutionibus canonicis ad litteram inhærendum esse adfirmarent.

§. 188. Indulgentiarum *multitudo*, easque lucrandi *facilitas*

mirum etiam in modum antiquum circa pœnitentiam rigorem relaxabant; nam episcopi seculo XII. & sequenti indulgentiam concedebant varia opera præstantibus, videlicet quidquam de suis facultatibus ad fabricam ecclesiæ, ad sarta tecta xenodochii conservanda, ad ædificia reipublicæ, ad pontem construendum, firmandum aggerem, ad reparandas vias publicas conferentibus [1]. Licet vero his indulgentiis tantum aliqua pœnitentiæ pars relaxaretur, ubi tamen plures jungebantur, tota extingui poterat [2]. Demum per indulgentias intuitu expeditionum cruciatarum concessas pœnitentiæ canonicæ lethalem acceperant ictum [3].

1. Guillielmus episcopus Parisiensis illius seculi scriptor ejusmodi indulgentias utiles esse *de sacram. ord. C.* 13. ita evincere conatur: *Cui potestas competit, satisfactionem pœnalem imponendi, ei etiam jus est eamdem vel augendi, vel diminuendi, prout honori divino, saluti animarum, publicæ vel privatorum utilitati expedire cognoverit. At manifestum est, majorem honorem Deo deberi, & majus præstari fidelium animabus bonum, si construatur ecclesia, in qua jugiter preces & sacrificia offerantur, quam si maxima pœnitentiæ tormenta peccator sustineat, ergo episcopus pœnitentiam peccatorum in majus bonum convertere tenetur.* Et inferius: *si indulgentias pro reparando ponte, vel via publica concessas spectemus, hæc opera pie peregrinantibus ad limina Apostolorum, vel Hierosolymam pergentibus prosunt, ut bonum omnibus fidelibus commune silentio prætereamus.* Verum Deus plus honoratur, cum Christianorum animi pœnitentiæ rigore puris moribus, & virtutibus excoluntur, quam cum ecclesia e lapidibus construitur, vel cum in ea cantatur: nam ista solam speciem religionis exhibent, cujus anima aut essentia virtus est.

2. Hæ sunt illæ indulgentiæ, quas concilium Lateranense IV. discretioni adversas & superfluas dicit, quod ecclesiæ claves contemptui exponant & vim pœnitentiæ eludant. Ut igitur hos abusus coerceat, præcipit concilium, ne in dedicatione alicujus ecclesiæ major quam unius anni indulgentia concederetur, etiamsi complures adessent episcopi, quilibet enim suam, ab aliorum episcoporum indulgentia distinctam, concedere ambiebat.

3. In concilio enim Claromontano ab *Urbano II.* anno 1059. celebrato (§. 98) decretum fuit proposito canone: *Quicunque pro sola devotione, non pro honoris aut pecuniæ perceptione ad liberandam ecclesiam Dei Hierosolymam profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia ei reputetur.* Hæc indulgentia primum iis solum concedebatur, qui arma arripientes ipsimet in terram sanctam proficiscebantur postea ad eos quoque extendebatur, qui militare in persona non valentes ad expeditionis successum aliquid conferrent, veluti ad fœminas, senes, & infirmos. Demum omnibus concedebatur indiscriminatim, qui ad sumptus belli sacri contribuebant servata summæ sive in vivis, sive per testamentum concessæ proportione.

§. 189. *Liturgia*, seu modus officia divina celebrandi, quæ Romæ usitata erat, in omnibus ecclesiæ occidentalis provinciis nondum recepta erat seculo XI. Igitur hac ætate Pontifices, seu quod identitatem rituum ad unitatem totius ecclesiæ quid conferre, seu quod dissimilitudinem eorumdem authoritati suæ inimicam putaverint, omnem adhibebant diligentiam, ut Romana liturgia ubique adoptaretur, qua in re imprimis Gregorii VII. di-

ligentia enituit, quod epistolæ ejus ostendunt. Nullus vero Europæ populus præter Hispanos voluntati Pontificum hac in re constantius, ac diutius adversabatur; veterem enim suam liturgiam, seu præcandi modum, qui *Mozarabicus*, seu Gothicus dicebatur (§. 490. Tom. 1.) ut cum Romano ritu commutarent, nullo modo adduci poterant. Obtinebat quidem *Alexander* II. anno 1068., ut Aragones non alienos se ostenderent a Romano ritu, nec Catalauni repugnabant. At perfecta negotii hujus gloria Gregorio VII. relicta erat, qui Aragoniæ & Castellæ Reges *Sancium* & *Alphonsum* urgere non destitit, donec sublato ritu Gothico Romanum receperint [1].

1. Sancius primus obtemperabat, sequebatur anno 1080 Alphonsus. In Castellæ regno proceres existimabant, litem hanc ferro dirimendam esse, quare duo eligebantur milites, quorum alter pro Romano, alter pro Gothico ritu singulari certamine vel duello pugnaret. Vincebat miles Gothicus. Post hæc ignis judicio rem committi placuit, uterque codex ritus Gothici & Romani rogo injiciebatur, Romanus flammis absumitur, Gothicus illæsus manet. Prævaluit tamen Pontificis authoritas, Reginæque *Constantiæ* voluntas, cui Rex Alphonsus parebat. Species hoc fuit *ordaliorum*. (§. 65. seq.).

§. 190. Illud multo majorem inter eruditos crisim excitabat, quod Pontifices usum linguæ popularis in divinis officiis prohibuerint. Dum latina lingua inter omnes occidentis populos vigebat, & in vulgus nota fuerat, nihil obstabat, ne utiliter in sacris populi Christiani adhiberetur, at postquam vulgaris esse desiit, mortuaque esse cœperit, abs dubio utilius fuisset, ut suo quilibet populus sermone in sacris uteretur. Sed non potuit hoc nec seculo XI. nec sequentibus a Pontificibus impetrari. Rursus hac in re Gregorius VII. plurimas habuit partes; nam dum *Wratislaus* Bohœmiæ Rex ab eo petiisset licentiam officium divinum lingua Slavonica celebrandi, Gregorius denegavit. Videtur ignorasse Gregorius, quæ ducentis ante ipsum annis sub Joanne VIII. gesta sunt, hunc nimirum Papam, qui etiam officium divinum lingua Slavonica celebrari prohibuerat, causa deinde melius cognita mandatum retractasse. Ceterum alias satis constat, quod in sana antiquitate & seculis clarissimis lingua illa, quæ in quibusvis provinciis vulgaris erat, prælecta fuerit sacra scriptura, & etiam divina officia celebrata. Unde discimus, hujusmodi mandata Gregorii VII. ætate non esse antiquiora [1].

1. Ratio, cur pertinaciter adeo linguæ latinæ usus hucusque in officiis divinis retentus sit, abs dubio nimia antiquitatis est veneratio. In eadem nimio vetustatis amore excedunt Christiani in oriente viventes, de quibus Ægyptii veteri Cophtorum lingua, Jacobitæ & Nestoriani syriaca, Abyssini veteri æthiopica rem divinam administrant, omnes licet hæ linguæ dudum mortuæ evaserint.

§. 191. Alexander II. Papa statuit, ut presbyteri unam tan-

tum singulis diebus missam celebrarent [1] excepto die Nativitatis Dominicæ. Definitum id fuit in synodo Romana anno 1063., olim quippe non una fuit in *Missis* agendis consuetudo [2].

1. Hanc ob causam inventæ sunt deinde missæ *bificiatæ* & *trificiatæ* dictæ, in quibus avari sacerdotes, ut pro uno sacrificio plura stipendia acciperent, plures missas diversi generis v. g. de sancto, votivam, & pro defunctis celebrarunt usque ad offertorium unam post aliam, deinde ex ordine tot secretas orationes dicebant, quot missas legebant, ac una communione peracta, & semel recitato canone totidem collectas addebant, quot ab initio præmisserant. Has missas detestatur *Petrus Cantor Cap.* 29.

2. Nam fuerunt dies a Card. Bona L. I. Cap. 18. dicti *Aliturgici*, in quibus non celebratur missa, cujusmodi est etiamnum *parasceve* paschatis, & apud Græcos quadragesimæ tempus, quo utuntur missa *Præsanctificatorum* (§. 488. Tom. I.). Caruit item apud Romanos, & Alexandrinos liturgia dies sabbati, contra consuetum fuit duas celebrare missas prima die Januarii, in vigilia ascensionis Domini, in tribus diebus jejuniorum post pentecostem, aliisque, quos Card. Bona adpellat *Polyliturgicos.*

§. 192. *Glaber Rodulphus* Hist. L. 3. cap. 4. in Duchesnii script. Franc. Tom. IV. pag. 217. hæc habet: *Infra millesimum tertio jam fere imminente anno contigit in universo pœne terrarum orbe, præcipue tamen in Italia & Galliis, innovari ecclesiarum basilicas.* Ratio hujus in eo est, quia seculo X. per totam fere Europam putabatur, elapsis mille post Christum natum annis extremum judicium futurum. Hæc opinio præter multa alia etiam id effecit, ut homines templa, ædesque sacras tanquam in posterum haud necessarias, & brevi cum orbe terrarum interituras aut collabi penitus sinerent, aut restaurare negligerent. *Anno vero infra millesimum tertio jam fere imminente* (ut habet Glaber), seu formidine de extremo judicio jam præterita ubique collapsis fere templis succurrebatur, & ingentes sumptus in eorum instaurationem conferri debebant.

§. 193. Primi erant canonici Lugdunenses, qui seculo XII. festum immaculatæ conceptionis Mariæ celebrare cœperant, ut constat ex epistola S. Bernardi anno circiter 1140. ad eos data, in qua novum hoc institutum reprobat, simulque argumenta immaculatæ conceptioni Mariæ obstantia producit. Sed nihil profecit his suis monitis Bernardus; nam non tantum concilium *Basileense* habitum anno 1439. festum istud canone trigesimo sexto in universa ecclesia celebrandum edixit, sed etiam invaluit successu temporis, ut in omnibus academiis *juramentum* defendendæ immaculatæ conceptionis ab iis exigeretur, qui in aliqua facultate ad supremam lauream admittebantur [1], ad cujus festi propagationem *Joannes Duns Scotus* abs dubio multum contulit. Ulterius quidam progressi non dubitarunt deponere votum,

quo se obstrinxerunt etiam cum periculo amissionis vitæ defendere immaculatam Mariæ conceptionem [2].

1. Lege Aug. Imp. *Josephi II.* prohibitum est in terris Austriæ hæreditariis a Neo — doctoribus facultatum academicarum jusjurandum defendendæ immaculatæ conceptionis exigere.

2. Contra hos pugnavit Ferdinandus *Valdesius*, & præprimis doctissimus Lud. Ant. *Muratorius* sub nomine *Lampridii* hoc argumento : bonum *certum* præferendum est *incerto*, vita est bonum *certum*, sententia de immaculata conceptione *incerta*, vita itaque huic opinioni non debet postponi.

§. 194. Fuerunt nonnulli, qui seculo XII. cœperunt aquam vino admiscere ante missæ initium ob controversiam isto seculo exortam, an aqua immediate in vinum, an in Christi sanguinem convertatur? in qua priorem sententiam propugnant Thomistæ, in alteram propendere videtur *Innocentius* III. de celebratione missarum [1].

1. Qui aquam in vinum verti negant, & solam ejus cum vino adstruunt permixtionem, non admodum quæstionibus hujusmodi commoventur, præsertim cum nulla talium disputatiuncularum sit utilitas.

§. 195. Seculo XIII. festum *corporis Christi* est institutum, cui rei occasionem dedit S. virgo *Juliana* Leodii apud Belgas vivens, quæ divina visione edoctam se esse prædicabat, velle Deum, ut quotannis festum corporis Christi celebretur [1]. Hac visione fidem invenit apud *Robertum* Leodicensem episcopum, qui anno 1246. per totam suam diœcesim hoc festum celebrari jussit, *Urbanus* IV. Papa vero anno 1264. festum istud universæ ecclesiæ imperavit una cum officio edito a S. Thoma Aquinate.

1. Prædicabat enim, se toties, quoties preces ad Deum funderet, conspicere plenam lunam, in cujus disco macula esset nigricans. Postquam diu animo volvisset, quæ hujus visionis esset significatio? eam interna illuminatione divinitus edoctam fuisse, lunam repræsentare ecclesiam Christianam, maculam vero nigram defectum festi corporis Christi annuatim in ecclesia Christiana celebrandi. (*Maclaine*).

§. 196. Elapso seculo XIII. anno nimirum 1300. Bonifacius VIII. publicis ecclesiæ ceremoniis celeberrimum *annum jubilæum* adjecit, concessit enim iis, qui dicto anno vere pœnitentes & confessi basilicas Principis Apostolorum visitaverint non solum plenam & largiorem, imo plenissimam omnium peccatorum suorum veniam hasque indulgentias omni anno centesimo iterandas voluit [1]. Successores ejus hoc institutum multis ritibus non modo auxerunt, verum etiam, cum usu didicissent, proficuum illud ærario suo esse, prævenerunt; *Clemens* enim VI anno 1350. annum illum centesimum prævenit novo jubilæo, & in posterum

singulis quinquaginta annis redire voluit. Rursus *Urbanus* VI magis jubilæi reditum acceleravit, statuitque, ut postea omni trigesimo tertio anno rediret, & tandem *Sixtus* IV. ad annum vigesimum quintum contraxit [2].

1. Concursus hominum Romam peregrinantium indulgentiarum lucrandarum causa tantus erat, ut infra dictum annum de mense in mensem ducenta millia advenarum Romæ numerarentur. Plerique oblationes largas secum adtulerant, quibus ærarium Pontificis est auctum, ac ex pecuniis ibidem expensis cives urbis Romæ non modicum cæperant lucrum.

2. Clemens VI. cum terminum jubilæi singulis quinquaginta annis redire voluit, rationem legis hujus petentibus regerere potuisset: quod id sit factum ad imitationem legis mosaicæ, quia Judæi singulis quinquaginta annis annum celebrabant jubilæum (*Levit. cap.* 25.), sed qui deinde arctioribus multo finibus tempus anni hujus definiverunt Urbanus VI. & Sixtus IV. difficilius satisfacerent illis, qui justas sibi hujus accelerationis causas dari voluissent; quamvis enim illorum est ratio, quam quidam proferunt, jubilæum ab anno quinquagesimo ad trigesimo tertio ideo coarctatum fuisse, quia Christus tot annis in terra versatus est, & si etiam hoc detur, ob quam tandem rationem annum jubilæi singulis viginti quinque annis redire voluit Sixtus VI? suspicari proin licet, rem hanc ad indulgentiarum quæstum pertinuisse.

CAPUT QUINTUM

DE

DISCORDIA INTER SACERDOTIUM ET IMPERIUM.

§. 197. Offert se hic primo loco lis inter *Gregorium* VII. Papam & *Henricum* IV. Imperatorem exorta. Simoniæ vitium jam a Stephani IX. tempore Pontifices eradicare satagebant, horum vestigiis insistens Gregorius VII. altero sui pontificatus anno simoniacos vehementius adgrediebatur, legesque contra simoniam in synodo Romana renovabat, inde vero bellum est enatum, quod longe difficillimum habebat exitum, atque per multos annos protractum ingens inter imperium & sacerdotium creabat dissidium.

§. 198. Henricus IV. legatos pontificios comiter quidem excepit, ejusque consilium simoniam abolendi laudavit, at nec ipse nec Germaniæ episcopi concedere legatis volebant, ut concilium in Germania cogerent, & in eos animadverterent, qui se simoniæ reos fecerant. Igitur anno 1075. in synodo Romæ habita longius progressus Gregorius familiares quosdam Henrici, quorum consilio & auxilio in vendendis episcopatibus uti dicebatur, atque non-

nullos Germaniæ & Italiæ episcopos excommunicabat, deinde sanciebat: *Ut quicumque episcopatum, aut abbatiam conferret, vel de manu alicujus laicæ personæ investituram acciperet, anathemate plecteretur* [1].

1. Ad hanc rem intelligendam necesse est exponere *originem* & *modum* illarum investiturarum, quas Gregorius damnabat. Investituræ originem suam debent feudorum introductioni, quorum usum Germani si non primi invenere, saltem communiorem reddiderunt illis præsertim temporibus, cum jus vulgo dictum *manuarium* in Germania viguit. Inde juxta Strykium in suo jure feudali *investitura* derivatur a voce germanica, quod significat firmare, vel ab *investire*, seu veste aliqua induere; solemnibus enim vestibus in ejusmodi inaugurationibus uti solebant. Si jam dominus directus feudum alicui concedit, illi aliquid extradit in signum dati feudi. Cessio itaque feudi adhibitis quibusdam signis possessionem innuentibus investitura dicitur. Signa investituræ varia pro diversitate locorum aut temporum adhibebantur, & adhoc adhibentur, nimirum vel per gladium, vexillum, baculum, sceptrum, annulum, vel quodcunque aliud signum. His jam præsuppositis ex superius dictis (§ 86.) notandum est, a Caroli M. temporibus episcopos & monachos bona publica accepisse, quæ jura *regaliæ* sibi adnexa habebant, uti jus gladii, telonii, cudendæ monetæ &c. Bona ista conditionem *feudorum* sequebantur, hinc episcopi a Regibus investituram accipere debebant; non enim prius legitimi horum bonorum possessores habebantur, nisi aulam adiissent, juramentum fidelitatis, seu homagium deposuissent, & signum translati dominii utilis, seu investituram accepissent. Signum investituræ, quo Principes tempore Gregorii VII. utebantur, erat *baculus*, & *annulus*, qui modus investiendi eo primum tempore introductus fuisse videtur, quo Imperatores electionibus per clerum & populum factis jus nominandi substituerunt; porrigebant enim antea viris ecclesiasticis eadem signa collatæ possessionis & ususfructus, quæ militibus, comitibus & aliis vasallis tradere solebant, tabellas nimirum, virgulas & alia, atque hæc consuetudo clericos & laicos iisdem signis investiendi sine dubio mutata haud fuisset, nisi clerici, quibus jus erat episcopos eligendi, spem Imperatorum arte fefellissent: mortuo enim episcopo illi, qui suum esse contendebant successorem eligere, sine mora ex gremio suo aliquem elegerunt, & consecrari curarunt. Hinc Imperatores ne tali ratione potestate privarentur episcopatus, cui voluerint, conferendi, insignia muneris sacri, annulum nimirum & baculum statim post obitum episcopi ad se mitti jubebant, nam per baculum & annulum jurisdictio episcopalis tum tradi solebat, nec idcirco ablato baculo & annulo is, quem forte clerici in episcopum elegerant, consecrari poterat, omnis vero electio, quæ consecratione nondum firmata erat, irrita reddi poterat. Quamprimum itaque quis episcopus mortuus est, aut magistratus aut provinciæ præfectus baculum ejus & annulum ad aulam mittebat. Imperator dein hæc insignia tradebat cui volebat, quo facto hac ratione episcopus designatus Metropolitanum, ad quem consecratio pertinebat, eique baculum & annulum ab Imperatore acceptum reddebat, ut ex ejus manu hæc potestatis suæ insignia denuo acciperet. Ex his jam apparet, duo fuisse puncta, quæ Gregorium offendebant: primum quod per hanc investituram jus antiquum eligendi episcopos funditus everteretur, & potestas eos nominandi ad Imperatores devolvebatur; secundum, quod sacræ potestatis insignia baculus nimirum & annulus laicorum manibus traderentur.

§. 199. Non terrebat lex Gregorii Henricum. In vendendis episcopatibus peccatum esse a se non diffitebatur, potestatem vero episcopos nominandi, eosque per baculum & annulum investiendi dimittere nullatenus voluit. Hinc Gregorius, qui non ignorabat, multis Germaniæ Principibus, maxime vero Saxonibus invisum esse Henricum, commodam sibi occasionem oblatam ra-

tus Imperatorem per legatos *Goslariam* missos Romam evocabat, ut in concilio de criminibus, quorum argueretur, causam diceret. Quo mandato vehementer offensus Imperator ipse sine mora *Wormatiæ* conventum egit episcoporum Germaniæ, in eoque Gregorium variorum flagitiorum adcusatum pontificatu indignum pronunciavit, comitiaque novo Pontifici creando indixit. Gregorius vicissim accepta hac per legatos & litteras Regis sententia eum & sacris & regno simul interdixit, populumque a juramento fidelitatis absolvit [1]. Denunciato hac ratione utrinque bello utraque respublica in binas factiones scindebatur.

1. Plerique tum temporis falsum de excommunicatione habebant conceptum, putantes, eam simul privationem jurium & bonorum temporalium post se trahere. Eam ob causam Regis fautores dixerant, Regem excommunicari non posse, id quod occasionem præbuit Gregorio prolixam dandi epistolam; qua ostendere conabatur Papæ jus esse Imperantes sacris & regno interdicere.

§. 200. Deficiebant primo ab Henrico Suevorum proceres, quorum Princeps *Rudolphus* erat Dux Sueviæ. Accedebant his Saxones, quibuscum Regi dudum graves inimicitiæ erant. Utrique a Pontifice excitati, ut novum Regem, si Henricus voluntati ecclesiæ satisfacere nollet, eligerent, *Triburiæ* prope Moguntiam anno 1076. convenerant de re tanti momenti consultaturi. Exitus deliberationis erat, ut litis cognitio inter Regem & Principes Romanos Pontifici ad comitia, Augustæ sequenti habenda anno, invitando committeretur, Rex interea privatam agere vitam juberetur, hac addita conditione, ut nisi intra annum anathemate solveretur, regno careret.

§. 201. Henricus igitur hortatu amicorum in Italiam sibi proficiscendum, & clementiam Pontificis implorandam esse judicabat, sed non tantum itineris hujus fructum, quantum sperabat, capiebat; nam peccatorum quidem veniam ægre licet a Pontifice in castro Canusii impetrabat, postquam aspera hyeme anno 1077. mense Februario per triduum intra ambitum murorum castri nudis pedibus, aperto capite, vili amictu vestitus animi dolorem professus esset, disceptationem vero de jure regni ad conventum Principum Pontifex differebat, Regemque interea omnium regiæ dignitatis & ornamentorum & jurium usu interdixit. Pactum hoc ferebant indignissime Italiæ tum proceres tum episcopi, defectionem minitantes Henrico. Quare paulo post ab eo resiliebat, & secus, quam Gregorius jusserat, depositam Regis personam resumebat. Ea re cognita Sueviæ & Saxoniæ Principes in conventu Forcheimensi anno 1077. mense Martio *Rudolphum* Sueviæ Ducem concordibus suffragiis elegerant.

§. 202. Atrox hinc in Germania, & Italia bellum. In Italia Gregorius auxilio Normanorum inferioris Italiæ Dominorum & Mathildis Longobardis pro Henrico pugnantibus non infeliciter restitit. In Germania Henricus cum fœderatis Rudolphum, ejusque socios, sed fortuna parum secunda insectabatur. Gregorius dubios belli eventus metuens neutrius partis per aliquot annos videri voluit, at post infelix Henrici cum Saxonibus ad *Fladenheimum* anno 1080. prælium audacior factus denuo Henricum diris devovit, & Rudolphum missa ei corona legitimum Germanorum Regem pronunciavit [1]. Quam temeritatem ulturus Henricus multorum Germaniæ & Italiæ episcoporum suffragiis fultus Gregorium eodem anno in concilio Moguntino iterum exauthoravit, & paulo post in Brixiensi conventu Guibertum Ravenatensem Archiepiscopum Papam creavit, qui sibi Clementis III. nomen postea adscivit.

1. Misit R dulpho coronam hac cum inscriptione: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.* Alii eumdem versum ita allegant: *Petra dedit Romam Petro: tibi Papa coronam.* Hanc Gregorii audaciam improbarunt viri tum pietate tum doctrina celeberrimi, quos inter Desiderius Abbas Casinensis, quem successorem optavit, habuitque Gregorius, Hugo Cluniacensis. Sugerius Abbas S. Dionysii &c. uti perspicue testantur temporum illorum historici, neque ipse diffitetur Gregorius Epist. 3. L. 7. ad Germanos scribens: *Quotquot Latini sunt, omnes causam Henrici, præter admodum paucos, laudant, ac defendunt, & pernimiæ duritiæ ac impietatis circa eum me redarguunt* (Steph. Rauttenstrauch Inst. Jur. Eccles.)

§. 203. Post aliquot menses Rodulphus hostis Henrici ex vulnere in prælio ad *Elistrum* fluvium accepto Merseburgi moriebatur. Itaque sequenti anno 1081. Rex in Italiam cum exercitu proficiscebatur, Gregorium ejusque asseclas, si fieri ullo modo posset, debellaturus, his enim victis sperabat fore, ut motus germanicos facilius componeret. Pugnabat per annos aliquot cum Mathildis copiis varia fortuna: bis frustra Romam obsedit, tandem anno 1084. maxima urbis parte potitus Guibertum, quem Pontificem fecerat, nomine *Clementis* III. in sede Romana collocavit, ipse ab hoc coronatus a Romanis Imperator salutabatur, denique Gregorium in castellum S. Angeli inclusum acriter pressit. Liberavit hac obsidione Pontificem *Robertus* Normanus Dux Calabriæ & Apuliæ, eumque *Salernum* abduxit, sed hic sequenti anno 1085. magni quidem & invicti animi vir, sed omnium, qui vixerant, Pontificum audacissimus diem supremam obiit [1].

1. Scribit quidem *Sigebertus* Gemblacensis in *Chronographia* ad annum 1085. Gregorium morti proximum gestorum pœnituisse, [illegible] *ut ipsi indulgentiam* [illegible]. sed refellitur graviorum coævorum etiam authorum testimoniis nimirum Hugonis Flaviacensis Abbatis, & Pauli Bernriedensis, qui inter cetera testatur, ultima Gregorii verba hæc fuisse: *Dilexi justitiam, & odi iniquitatem, propterea morior in exilio.*

§. 204. Mortem Gregorii dificillima subsequebantur tempora; Clemens enim III., seu Guibertus anti-papa & in urbe Roma & in magna Italiæ parte dominabatur, in Germania vero Henricus bellare cum Principibus pergebat. Adversarii Henrici Normanorum adjuti copiis anno 1086. Romæ Desiderium Abbatem, qui *Victoris* III. nomen assumpsit, in Gregorii locum suffecerant, isque anno 1087. parte urbis Romæ a Romanis Clementi erepta in æde S. Petri consecrabatur, sed vir in audacia Gregorio dissimillimus, placidus nimirum & timidus mox Beneventum redivit, & paulo post Casini mortuus est, veneno calici opera Henrici injecto, si fides habenda Ptolomæo Lucensi H. E. L. 19, ante mortem tamen in concilio Beneventi habito, quæ de abolendis *investituris* a Gregorio VII. sancita sunt, renovavit.

§. 205. Succedebat Victori *Otto* episcopus Ostiensis monachus Cluniacensis, qui *Urbanus* II. dici voluit. Huic arridere primo fortuna videbatur, sed redeunte anno 1090. Imperatore in Italiam, & *Guelphum* juniorem Bavariæ Ducem, Mathildimque fortiter oppugnante alia rerum facies nascebatur. Redibat anno 1091. spes Imperatorem opprimendi, quum *Conradus* filius ejus a Pontifice & reliquis patris sui hostibus adduci se sineret, ut a parente desciscceret, regnumque Italiæ sibi vindicaret, at turbulentissimus tamen manebat Italiæ status, neque Urbanus urbem Romam subjicere sibi poterat. Itaque habito *Placentiæ* anno 1095. concilio, in quo Gregorii leges contra investituras repetebat, iter in Galliam suscepit, & celeberrimum illud Claromontanum habuit concilium, quod expeditionem cruciatam, uti dictum §. 98, decrevit [1]. Rediens in Italiam castellum Romanum S. Angeli quidem in suam redegit potestatem, at paulo post anno nimirum 1099. decessit, sequenti anno anti-papa Clemens III. etiam est mortuus. Itaque post Urbanum electus Papa *Paschalis* II., antea *Reinerus* monachus Benedictinus, regnabat solus, neque enim factioni Henrico addictæ ita fortuna favebat, ut in locum defuncti Clementis III. Pontificem alium sufficere potuissent.

1. In eodem concilio, quod imprimis memorabile, Urbanus funestum bellum de investituris multo difficilius reddidit; nam Gregorius non prohibuit episcopis fidelitatem Regibus suis promittere. Urbanus vero etiam in verba Principum suorum jurare vetuit, canoni enim vigesimi quinti concilii hæc addita sunt: *Ne episcopus, vel sacerdos Regi, vel alicui laico in manibus ligiam fidelitatem faciant.*

§. 206. Paschalis anno 1102. in concilio Romano decreta contra investituras renovavit, Henricum denuo diris devovit, & hostes ei, ubicunque poterat, excitavit. Restitit quidem Henricus fortiter, at cum biennio post proprius filius ejus *Henricus V.* arma in patrem obtutu religionis caperet, actum erat; bello enim

infeliciter gesto imperio se abdicare a filio coactus est, & anno 1106. Leodii miser & relictus diem obibat [1].

1. Ad tantam ægestatem Henricum IV. venisse scribit Sigonius L. 9. de regni Italiæ, ut nullo clericorum stipem illi erogante illud Jobi gemebundus clamaverit: *Miseremini mei! miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Episcopus Leodiensis, qui cadaver defuncti Henrici in sua ecclesia sepelivit, illud tanquam hominis excommunicati corpus effodere, atque in loco non sacro deponere jussus est, unde Spiram translatum, ubi annis quinque in loculo lapideo extra ecclesiam servatum, quibus elapsis filius ejus Henricus V. Spiræ multis episcopis, & Principibus convocatis exequias patris sui celebravit, licentiam enim ei parentandi a Paschali II. obtinuit episcopis testatum facientibus, pœnitentem e vita excessisse, & tanta pompa, ut nemo antecessorum ejus majore, in sepulchro familiæ suæ sepultus.

§. 207. Henricus V. filius & successor Henrici IV. etsi episcoporum & abbatum electionem clericis monachisque permisserit, nullo tamen modo adduci poterat, ut se investitura per annulum & baculum abdicaret, hinc Pontifex in conciliis in Italia & Gallia anno 1107. habitis repetebat decreta contra investituras lata. Sequebantur aliquot annorum induciæ veluti, cum Henricus V. distineretur bellis adeo, ut hoc negotium urgere non posset. His vero bellis compositis anno 1110. magno cum exercitu in Italiam proficiscebatur Romæ longum hoc & funestum certamen compositurus. Romam lentis itineribus pergenti Papa omni se præsidio nudatum videns pacem his legibus obtulit: ut Henricus investituræ per annulum & baculum renunciaret, episcopi vero & abbates beneficia *regalia* Imperatori redderent. Probabat hoc pactum Henricus, verum episcopi vehementer ei repugnabant. Acri hinc contentione Romæ in ipsa S. Petri ecclesia exorta Henricus Pontificem comprehendi, & in arcem Trebicam captivum duci curabat, in qua quum aliquandiu delituisset, nova facta est conventio, qua Imperatori investituram per virgam & baculum concessit.

§. 208. Pacem hanc vi & armis expressam majores turbæ & graviora mala excipiebant. Primum post pactionem initam Paschalis II. in urbem regressus invenit ibi universum clerum Romanum sibi aversum, & valde improbantem fœdus istud, parum abfuit, quin apertum in schisma eruperit illa dissensio. Cum jam Papa totum clerum Romanum adversus se commotum cerneret, & ab omnibus urgeretur, ut pactum istud rescinderet, concilium in basilicam Lateranensem convocavit, factumque suum fratrum consilio corrigendum subdidit, quod concilium pactum cum Imperatore rescindebat. Multis posthac in conciliis tam Galliæ quam Germaniæ Henricus sacrorum communione est exclusus, imo hæreticis a quibusdam adnumeratus [1], Principes etiam Germaniæ cum eo pro ecclesia passim bellum gerebant. Tot, tantisque ma-

lis ut finem imponeret Henricus, iterum in Italiam cum exercitu profectus est, & Romæ comitia celebrabat, Pontifice fuga Beneventum elapso. Sed Normani auxilio venerant Pontifici, & urbem Romam expugnare tentarunt.

1. Ivo tamen Carnotensis, aliique modestius sentiebant, nec putabant sententiam investituras defendentium hæreticam esse, hinc hæresis *henriciana* figmentum est.

§. 209. Majores eventus expectabantur, cum Paschalis anno 1118. diem obiret. Paucis post ejus mortem diebus *Joannes* Cajetanus monachus Benedictinus ex monasterio Cassinensi Pontifex creatus, qui *Gelasii II.* nomen sumpsit. Ei Henricus anti-papam opposuit *Mauritium Burdinum* Bracarensem in Hispania Archiepiscopum, qui Gregorius VIII. adpellari voluit, quare Gelasius cum se tutum Romæ ac in Italia non videret, in Galliam migravit, ibique paulo post Cluniaci moriebatur. Qui comitati eum erant cardinales statim post obitum ejus *Guidonem* Archiepiscopum Viennensem comitem Burgundiæ, cognatumque Henrici imp. Pontificem crearunt, qui *Calixtus II* dicebatur. Post multiplices itaque conatus, & concertationes anno 1122. in comitiis Wormatiensibus inter Pontificem & Imperatorem his legibus pax est sancita, ut in posterum libere episcopi & abbates ab illis, ad quos jus hoc pertineret, eligerentur, præsente tamen Imperatore, qui, si eligentes inter se dissentirent, litem adscitis in consilium episcopis dirimeret, denique ut Imperator non per annulum & baculum, sed per *sceptrum* episcopos investiret [1].

1. Pax hæc sub nomine *transactionis Calixtinæ* est nota, tantaque lætitia per omne imperium est excepta, ut extent diplomata, in quibus ab ea tanquam a salutari epocha annorum notæ ordinantur. Confirmavit eam quoque Pontifex in concilio generali anno sequenti 1123. habito Romæ. (§. 165.)

§. 210. *Fridericus II.* filius *Henrici VI.* anno 1214. imperium adeptus juramento se obstrinxit expeditionem cruciatam suscipiendi, quam vero ad decem annos exsolutionem promissi protraxerit, a *Gregorio IX.* in synodo Romana anno 1228. anathemate est percussus, & cum postea suscepta expeditione cruciata insciis & etiam invitis commilitonibus pacem, seu potius decem annorum inducias cum Machumedanorum Duce fecisset (§. 108.), idem Gregorius IX. subditos ejus a juramento fidelitatis absolvit. His fulminibus territus pacem rogavit a Papa, jurataque satisfactione eamdem obtinuit. Anno 1239. eum rursus idem Gregorius varias ob causas [1] anathemate percussit, subditos a juramento fidelitatis absolvit, ac loca omnia, in quibus ageret, interdicto subjecit. Lata die palmarum sententia est in basilica Lateranensi, in cœna Domini renovata, & post aliquot dies universis orbis Christiani episcopis signifi-

cata, jussitque Pontifex litteris encyclicis eam singulis diebus dominicis & festivis in suarum diœcesium ecclesiis ritu solemni promulgari.

1. Causæ in sententia excommunicationis expressæ erant. 1) quod contra Romanam ecclesiam seditionem moverit in urbe, 2) quod Prænestinum episcopum legatum pontificium, ne in sua legatione procederet, quam in Albigensium partibus ad corroborandam fidem Pontifex ei commiserat. impediri mandaverit, 3) quod quasdam cathedrales & alias ecclesias vacantes in regno Siciliæ reparari non permiserit, & proventus ecclesiarum vacantium aut in usus suos, aut ad castrorum ædificia impenderit, 4) quod ecclesias in regno destrui, ac profanari sineret, 5) quod nepotem Regis Tunisi venientem ad Romanam ecclesiam pro recipiendo baptismo detineret, ac Petrum Saracenum civem Romanum ex parte Regis Angliæ ad sedem Romanam venientem carceri mancipasset, 6) quod terras ecclesiæ occupasset, 7) quod terras quorumdam nobilium de regno, quas ecclesia tenebat, occupaverit, ac ecclesias quasdam, monasteriaque omnibus fere bonis spoliaverit, 8) quod templarios, & hospitalarios in regno mobilibus & immobilibus spoliatos juxta tenorem pacis integre non restituerit, quod exactiones ab ecclesiis & monasteriis extorserit, quod Prælatos ecclesiarum & Abbates Cistercienses, aliorumque ordinum compulerit dare summam pecuniæ per singulos menses pro construccione castrorum, 9) quod contra tenorem pacis eos, qui adhæserant ecclesiæ, spoliatos exulare cogeret, & tandem 10.) quod negotium terræ sanctæ impedivisset.

§. 211. Videns Imperator, Papam contra Christi institutionem excommunicationis fulmen vel maxime ad conservanda jura temporalia vibrasse, immanes adversus eum iras concepit, litteras minis refertas scripsit, objectaque diluere crimina conatus est [1]. Apologeticas quoque pro eo scripsere litteras episcopus Herbipolensis, Wormatiensis, Vercellensis, & Parmensis (quas apud Matthæum Parisium legere est). At illas ceu meris commentis & frivolis excusationibus, mendaciisque scatentes sprevit Pontifex, & encyclicas ad episcopos, ac Principes orbis Christiani dedit, quibus sententiæ suæ æquitatem probare conatur, & Imp Fridericum II. impiissimi libri, *de tribus mundi impostoribus Moyse, Christo, & Machumede* authorem pronunciat [2].

1. Hos etiam versiculos sparsisse Imperatorem, & in cubiculum Pontificis immitti curasse testatur Matthæus Parisius.

Fata docent, stellæque monent, aviumque volatus,
Totius mundi malleus unus erit.
Roma diu titubans, variis erroribus acta
Totius mundi desinet esse caput.

Papam vero reposuisse:

Fama refert, scripturâ docet, peccata loquuntur,
Quod tua vita brevis, pœna perennis erit.

2. Imperatorem huius libri authorem fuisse nitebatur testimonio tum aliorum Germaniæ Principum, tum maxime *Henrici Rasponis* Thuringiæ Landgravii, qui se audivisse dicebant, quum hæc loqueretur. Forte similia Friderico ve-

M :

hementer commoto, nec raro imprudenti exciderant, & erant inter erudito philosophiam aristotelicam sectantes, quos secum plurimos habebat Imperator, qui materiam talis impietatis suppeditari possent. Hinc fabula illa fluxit libri prædicti authorem aut ipsum esse Fridericum, aut *Petrum de Vineis* Friderici administrum primarium, quod tamen falsum esse inde patet, quia in illo Jesuitarum fit mentio. *El libro que lleva por titulo*, liber de tribus baratatoribus, sive tractatus de vanitate religionum, *es realmente un libro que no existía cuando mas se hablaba de él, y del cual hablaban millares de gentes, sin que nadie lo hubiese visto. Su presumida existencia la motivó verosimilmente Simon de Tournai, doctor en teologia de la universidad de Paris en el siglo XIII.* (*Mosheim*).

§. 212. Exinde Fridericus in Pontificem bellum gessit grave. Gregorius Papa Prænestinum episcopum ad S. Ludovicum Francorum Regem legatum misit, ut ipsum ad arma contra Fridericum capienda provocaret, quin etiam Roberto comiti Atrebatensi Regis Ludovici fratri imperium Friderici dedit [1]. In Anglia pariter sententia excommunicationis in Fridericum promulgata est, & immensa pecuniæ vis ad bellum contra ipsum gerendum exacta [2], qua de re graviter conquestus est Fridericus datis ad Henricum III. Angliæ Regem litteris. *Ferdinandus* Castellæ Rex se a copiis adversus Fridericum Pontifici subministrandi excusavit, quod bello adversus Saracenos implicatus esset, at mediatorem se interposuit pro redintegranda inter Imperatorem & Pontificem pace.

1. Respondit Rex Franciæ, quod se eo bello implicare nolit, partim quia nec ipsi, nec Gallicanis Principibus justitia illius perspecta esset, partim quia fœderatum Imperatorem aggredi *perfidum*, ejus ruina crescere velle *ambitiosum* esse videretur.

2. Has vero pecuniarum exactiones legatus apostolicus ab Anglicanis abbatibus extorsit, episcopi enim Angliæ modestis exceptionibus postulata ejus elusere. Clerus Gallicanus vero respondit, quod contribuere non debeat, tum quia contributio fieret contra eum, qui contraxit cum Principe suo, tum quia fieret ad effusionem sanguinis Christiani. Rectores ecclesiarum de *Barchirse* ad contribuendum frustra etiam hortatus est legatus pontificius, responderunt enim, contra Imperatorem non esse contribuendum ut contra hæreticum, cum non sit damnatus judicio ecclesiæ, nec pro eo, quod occupat vel impugnat patrimonium ecclesiæ Romanæ. Item sicut ecclesia Romana suum proprium habet patrimonium, cujus administratio pertinet ad Dominum Papam, similiter & aliæ ecclesiæ suum ex largitione & concessione Regum, quod in nullo est censuale vel tributarium ecclesiæ Romanæ. Christum item ad Petrum solum dixisse: *Quidcunque ligaveris, & solveris, erit ligatum & solutum*, nunquam vero dixisse: *quodcunque exegeris super terram, erit exactum in cœlis.* Rege tamen & episcopis faventibus ad contributionem sunt compulsi, ut refert *Matthæus Parisius*.

§. 213. Germaniæ Præsules latam a Gregorio in Fridericum sententiam promulgare detrectarunt, & Pontificem rogabant, ut ad pacem cum illo ineundam descenderet. Pontifex scriptis ad Electores litteris jussit, ut alium Imperatorem eligant, illi vero rescripsere, non esse pontificiarum partium exuere dignitate, sed electum a Principibus coronare (*Stadensis Abbas in Chron.*)

Interea Viterbienses, aliique pontificiæ ditionis populi ad Fridericum defecere, qui in pontificios subditos horrenda crudelitate grassabantur. Imperator conflato ex diversis nationibus exercitu in Campaniam, Picenum, Marchiam, Romaniolam populabundus excurrit, Beneventum ac Faventiam longa obsidione fatigatus expugnavit, Januensium classem, qua legati pontificii & præsules ad synodum pergentes vehebantur, *Entii* filii nothi opera dissipavit, captos in carcerem conjecit. Romam versus copias promovit, Spoletum oppressit, flammis Albam delevit, &c. (*Richardus a S. Germano in chronic.*).

§. 214. Defuncto interim Gregorio, & Cœlestino IV. (qui septemdecim tantum diebus Pontificatum gessit) *Innocentius IV.* ad sedem Romanam evectus est. Fridericus, qui a Gregorio nullam concordiam sperandam habuit, eam ab Innocentio obtinere omnibus viribus adlaboravit, misit enim ad eumdem litteras honorificas, & legatos, atque utraque parte de concordia ineunda est actum. Puncta quædam, ac leges concordiæ a Pontifice sunt propositæ, quas tamen vel non recepit Fridericus, vel si eas adimplere promisit, mox eum pœnituit, neque se conventa servaturum dixit, nisi prius anathemate solveretur. Hoc cum præstare noluisset Pontifex, non tantum non est inita concordia, sed vetus, & quidem longe vehementius recruduit dissidium. Pontifex structas a Friderico insidias fugiens in Galliam se recepit, & synodum œcumenicam Lugduni celebrandam indixit. (§. 179.)

§. 215. Tres fuerunt habitæ sessiones. Multa in prima & secunda sessione peroravit *Thadæus de Suessa* Imp. orator, sed cum exacerbatum Papæ animum placare non potuisset, in Fridericum, quatuor maxime criminum eum reum pronuncians [1], sententiam tulit [2].

1. Horum erat 1) *perjurium* multiplex, 2) evidens & vehemens *hæreseos* suspicio, 3) *sacrilegium* violenta captione ac detentione cardinalium, 4) læsa pontificia majestas, seu commissa *felonia* (beneficiario enim jure regnum Siciliæ ab ecclesia Romana tenuisse dicitur).

2. Omnis hæc exauthoratio inanis & frustranea fuit, nec enim pro exauthorato unquam se habuit Fridericus; imo de sententia certior factus illico coronam adferri jussit, quam capiti imponens dixit: *nondum coronam meam perdi vel Paparum impugnatione, vel synodali concilio, nec sine cruento perdam gladio.* Et revera multum sanguinis ob sententiam a Papa indeliberate latam fusum est, siquidem multa bella Imperator per filium suum Conradum cum Henrico Landgravio, quem Pontifex artibus suis a quibusdam Principibus Germaniæ Imperatorem creari fecerat, commisit.

§. 216. Infaustum quoque concitavit *Joannes XXII.* Papa

cum *Ludovico* Bavaro Imperatore bellum. De imperio enim in Germania dimicabant Ludovicus Bavarus, & *Fridericus* Austriacus, quoniam electores inter se divisi aliqui hunc, alii alterum elegerant, plura tamen habuit suffragia Ludovicus Bavarus. Joannes Papa litis hujus cognitionem ad se pertinere judicans *Clementinas* imprimis promulgavit constitutiones, quas inter declarat: *adprobationem personæ ad imperialis celsitudinis apicem assumendæ, nec non unctionem, consecrationem & imperii coronam Romanos Principes a summo Pontifice accipere & juramentum fidelitatis eidem Pontifici præstare debere.* Postmodum edita constitutione omnes & singulos imperii vicarios, quos *Henricus VII.* Imp. in Italiæ civitatibus imperio obnoxiis constituit, exauthoravit, arroganterque pronunciare est ausus, imperii vacantis administrationem ad Romanum spectare Pontificem, eo quod ipsi in persona B. Petri *terreni simul & cœlestis imperii* jura Deus ipse commiserit. Ludovico vero Bavaro & Friderico Austriaco imperii competitoribus diem dixit, qua jura sua instrumentis & rationibus ad sedem apostolicam vindicarent, ut causa cognita alterutri adjudicaretur imperium.

§. 217. Armis agere maluit Ludovicus, & cum anno 1322. competitorem suum Fridericum bello superasse, & cœpisset, inconsulto Papa imperii administrationem suscepit, litemque ferro terminatam Papæ judicio denuo subjicere noluit. Indignissime hoc ferens Joannes anno 1324. Imperatorem omni jure imperii privavit. Ludovicus contra Joannem hæreseos contra Christi & Apostolorum paupertatem adcusavit & ad concilium generale adpellavit. Exacerbatus tum his, tum aliis rebus Pontifex anno 1327. Imperatorem denuo omni dignitate & regno spoliavit, & anathemate percussit. Hanc injuriam ita ulciscebatur Imperator, ut anno 1328. Romæ publice Joannem indignum pontificatu pronunciaverit, *Petrum de Corbario* in ejus locum suffecerit, qui *Nicolaus V.* dici voluit, & Ludovicum coronavit. Igitur Joannes invito Imperatore, & Ludovicus invito Pontifice regnare pergebat.

§. 218. Mortuo Joanne XXII. electus est Benedictus XII., sub quo probo Pontifice certamen cum Ludovico Imp. quievit; quamvis enim a Rege Francorum, ut fuerunt, impeditus in communionem ecclesiæ Ludovicum non receperit, nihil tamen etiam in eum moliebatur. Alia mens erat successori ejus *Clementi VI.*, qui Joannis pressit vestigia; anno enim 1343. nova in Imperatorem fulmina vibravit, quæ cum sperni a Ludovico intelligeret, anno 1346. eum denuo diris devovit, Germaniæque Principes induxit, ut Henrici VII. filium *Carolum IV.* Imperatorem eli-

gerent. Civile hinc in Germania bellum exarsisset, nisi anno 1347 Ludovicus diem obiisset.

§. 219. Ingenti inter *Philippum* Pulchrum Galliæ Regem & *Bonifacium VIII.* Papam dissidio initium dedit ipse Bonifacius, eo quod non contentus exercitio potestatis spiritualis jura majestatica Regis invaserit. Cum enim *Guido* Flandriæ comes Philippi Regis sui offensam incurreret, quia filium suum Rege inconsulto contra leges ejus temporis filiæ Regis Angliæ maritum dedit, comitemque propterea una cum uxore in custodia tenuisset Philippus, usquedum filiam obsidem tradidissent, Guido de injuria, quam sibi illatam putabat, ad Pontificem adpellavit. Suscepit adpellationem Bonifacius, non satis considerans de re temporali agi & de juribus Regis. Episcopo Meldensi dedit in mandatis, ut Regi optionem daret vel Flandriæ comiti satisfaciendi, vel ad tribunal apostolicum se sistendi. Præceps judicium Rex ægerrime tulit, responditque legato, Pontifici renunciaret, se nullum præter Deum se superiorem agnoscere, cui de regni administratione rationem reddere teneretur. Idem dedit responsum, cum ei sub anathematis pœna Pontifex imperasset, ut inducias cum *Eduardo* Angliæ Rege ineat.

§. 220. Dissidium auxit constitutio a Bonifacio anno 1296. edita [1], quoniam Philippum Regem spectare videbatur, qui a clero Gallicano subventionem ad belli sumptus postulaverat. Rex vicem rependere volens Pontifici extraneos ingressu in regnum omnique commercio prohibuit, pecunias etiam extra regnum efferri vetuit, quam prohibitionem Pontifex indignissime tulit, litterisque ad Regem datis conquestus est de injuria, quam edicto isto Romanæ ecclesiæ intulerat, hortatusque, ut errata corrigeret, & sedis apostolicæ benevolentiam promereretur [2], at Rex ad has querelas Papæ respondit argumentis ex jure publico, & S. scriptura petitis [3].

1. Inserta legitur hæc constitutio *L. 6 Decret. Tit. de cleric. immunit.* in qua statuitur, ut quæcunque persona ecclesiastica suorum vel ecclesiæ proventuum partem laicis sub adjutorii, mutui, subventionis, doni, seu quovis alio titulo sine sedis apostolicæ authoritate solverit, eo ipso excommunicationis sententiam incurrat, eadem pœna statuitur in Reges, Principes, comites, aut cujuscunque præeminentiæ civilis personas, qui a personis ecclesiasticis quid exegerint, aut receperint.

2. Aiebat Papa, non esse, cur a se lata constitutio adeo invidiose exciperetur, cum subsidia Regi pro regia defensione præstari non prohibuisse, sed tantum id absque sedis apostolicæ licentia non fieri, ut exactiones a regiis ministris impositæ modum aliquem haberent. Si vero necessitas immineret, sedem apostolicam non modo permissuram, sed mandaturam etiam, ut Clerus Gallicanus Regi subveniret, & calices etiam ad reipublicæ usum concedat.

3. Nimirum se jure prohibuisse evectionem equorum, armorum & pecuniarum e regno absque sua licentia: id se permissurum, ubi exploratum esset, bona esse clericorum & absque regni detrimento, hostiumque commodo fieri. *Libertatem* clericos præ laicis nullam habere, quum libertatem a servitute peccati Christi sanguine nobis comparatam clerici ac laici communem habeant, singulares autem immunitates clericorum benignitate Principum civilium ipsis indultas jura Regum auferre non posse, illaque Christi verba: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari* Pontifices ac clericos etiam spectare. Turpem esse partem, quæ toti non congruit, membrum inutile & quasi paralytiticum, quod corpori subsidium ferre recusat, proin clericos, qui regno auxilium denegant membra inutilia & quasi paralytica censeri debere. Jus naturæ subverti, cum prohibetur clericis, ne contra hostiles incursus Regi, regno & sibimetipsis subveniant. Se ecclesiam ac ministros ejus venerari, justitiæ cultorem perpetuo fore, minas mortalium omnium non reformidare (Edita sunt ista Regis responsa in historia dissidii p. 21).

§. 221. Interea *Petrus* Remensis Archiepiscopus cum episcopis & Abbatibus suæ provinciæ significat Bonifacio, ipsius constitutionem graves in Gallia excitasse turbas [1]. Quamobrem Pontificem enixe rogat, ut querelarum causas rescindat, & pacem restituat. Monitis ac precibus episcoporum inflexus Bonifacius anno 1297. diploma promulgavit, quo constitutionem suam ante editam interpretatus declaravit; eam ad donationes & voluntarias præstationes Regi a personis ecclesiasticis factas se non extendere, neque adtingere *feudalia*, *censualia* vel alia servitia tam de *jure*, quam de *consuetudine* a personis ecclesiasticis debita.

1. Eam enim Regis, Principum, ac Baronum esse sententiam ajebat Archiepiscopus, a qua dimoveri non possunt: omnes & singulos Regis subditos ad defensionem regni ac patriæ omni privilegio ac exceptione cessante obstrictos esse, imprimis vero beneficiatos ac feudatarios, quorum aliqui propter acceptum feudum fide vasallitica, cuncti vero jurejurando Regi ad jus & honorem ipsius servandum obligantur.

§. 222. Sublata videbatur dissidii causa, cum nova improviso emersit. Bonifacius VIII. compromisso arbiter factus est controversiarum, quæ Reges inter Philippum Franciæ & Eduardum Angliæ, ac Guidonem Flandriæ comitem movebantur. In favorem Angli & Flandri sententiam tulit anno 1298., qua inter alia edixit, ut Rex Philippus comiti Guidoni filiam & urbes captas restitueret, qua sententia non levem dedit Regi offensionis causam, quoniam id partim studio, & animo Galliæ aulam deprimendi fecisse visus est [1].

1. Promisit enim scripto Regi, se nequaquam sententiam prolaturum, nisi eo consulto & consentiente, at judicavit non expectato Regis consensu; obsignatam siquidem Angliæ Regis legato tradidit sententiam Philippo significantiam. Aperto diplomate Rex iniquas conditiones arbitratus judicio Pontificis stare se nolle professus est, quin & *Robertus* Artesiæ comes ira excandescens diploma pontificium de manu legati rapuit, laceravit, & in ignem projecit.

§. 223. Dissidii hujus præcipuus inventor erat Bernardus *Saisseti* episcopus Appamiensis inquietus atque turbulentus homo, quem recenti beneficio Pontifex ornavit, sibique ideo obstrinxit,

cum Appamiarum episcopatum in monasterio canonicorum regularium S. Antonii anno 1296. in ejus gratiam vel invito Rege erexit. Huic legationem commisit Bonifacius ad Philippum Regem, ut eum ad syriacam expeditionem impelleret, indictasque ad hoc opus decimas in alios usus convertere prohiberet. Pontificis mandata insolenter executus est *Bernardus* nulla Regis reverentia, minis etiam anathematis & exauthorationis Regi intentatis nisi Papæ obediret, quæ Philippi animum adeo exacerbarunt, ut eum in custodiam Archiepiscopo Narbonensi ejus Metropolitano tradiderit [1].

1. Ita quidem *Platina*, sed tradunt alii, ob verba contumeliosa in Regem, & quod nihil se ei debere jactaret, sed tam in temporalibus, quam spiritualibus uni Papæ subesse, adeoque ut reum majestatis læsæ ad curiam Regis fuisse vocatum, & sui Metropolitani custodiæ traditum, ut ab eo una cum episcopis provinciæ canonice judicaretur.

§. 224. Missus a Rege ad Pontificem nuncius, qui ei significaret, quod licet Rex potuisset de Magnatum consilio episcopum conjurationis convictum extremo damnare supplicio, quia causa læsæ majestatis nullus esset privilegii locus, licet illum bonis exuere saltem potuisset, ipsum tamen ob ecclesiæ reverentiam Papæ significare voluisse, quem propterea rogavit, ut in virum mortis secundum canones procederet, eumque exauthoratum justitiæ permitteret.

§. 225. De his certior factus Bonifacius litteras misit ad Regem, episcopum Appamiensem quantocyus libertate donaret, ac ad sedem apostolicam proficisci permitteret, bona restitueret occupata. Scripsit etiam ad Archiepiscopum Narbonensem, ut episcopo Appamiensi ab omni potestate & custodia seculari plene liberato & sub custodia Pontificis constituto diligenter inquireret de capitibus adcusationum ipsi objectis, illumque cum instrumentis ad sedem apostolicam mitteret. Sed & legatum ad Regem Pontifex misit *Jacobum de Normandis* archidiaconum Narbonensem, qui ei sedis apostolicæ authoritate juberet, ut episcopum dimitteret, a collatione & usufructu quorumcunque beneficiorum vacantibus ecclesiis abstineret, & orientalem expeditionem juvaret. Id nisi impetraret legatus regnum Franciæ ad sedem apostolicam devolutum declararet, Regem configeret anathemate, subditos a juramento fidelitatis absolveret, Præsules omnes & doctores ecclesiæ Gallicanæ adesse juberet synodo proxime celebrandæ, ut malis ecclesiæ a Rege illatis remedium adhiberetur. Archidiacono legationem obeunti pontificias litteras eripuit ac in ignem conjecit comes Atrobattensis, moxque tum legatus tum episcopus Appamiensis libertate donatus regno abire jussi. Tum Rex prohibuit edicto solemni, ne quis e clero Gallicano Romam peteret, aut regno aurum vel

argentum extraheret, & custodibus appositis cavit, ne quis fulminantes Pontificis litteras in regnum adferret [1].

1. Auxit dissidium *Columnensium* hostium Pontificis suscepta a Rege protectio, sive in eos demonstrata benevolentia. *Cœlestinus* enim V. antecessor Bonifacii VIII. sponte resignavit pontificatui, Bonifacius vero ne vivente adhuc Cœlestino electio ejus tanquam invalida impugnari queat, eum in arcem *Fumonis* includi jussit. Splendida autem Columnarum familia alium Pontificem eligi voluit, electionem Bonifacii ex eo impugnans, quod Cœlestini resignatio non sit facta canonice sed Bonifacii artibus, ac suasione ab eo extorta.

§. 226. Anno 1303. Bonifacius Regis animum sibi tentandum ratus, antequam fulmina contra ipsum disploderet, card. *Joannem Monachi* in Galliam legatum misit certis cum articulis Regi offerendis, secundum quos ad satisfactionem ecclesiæ præstandam ipsum hortabatur [1]. Respondit Rex ad hos articulos summa modestia [2], quas tamen responsiones haud æqui bonique duxit Bonifacius; morarum enim impatiens anno 1303. in Regem præcipitem excommunicationis tulit sententiam, quam ad legatum misit ei significandam, & in provinciis regni ritu solemni promulgandam. At Rex adversus Papam se, regnumque suum munire minime omisit [3].

1. Erant articuli sequentes: 1) ut Rex prohibitionem clero datam eundi Romam revocaret, 2) Regi nuntiaret collationem beneficiorum vel in, vel extra curiam ad Papam spectare, laicum vero beneficium conferre non posse, 3) Pontificem legatos suos mittere posse absque consensu Imperantis, 4) bonorum ecclesiasticorum administrationem non laicis, sed solis personis ecclesiasticis esse tributam, summam vero dispositionis eorum potestatem ad Papam pertinere, 5) Regi non licere bona ecclesiastica occupare, vel ecclesiasticos viros (exceptis causis feudalibus) ad suum judicium trahere, 6) Regem gravissimam injuriam Papæ irrogasse permittendo, ut diplomata pontificia comburerentur, 7) mutationem monetarum bis intra breve tempus factam, aliaque gravamina a Rege esse emendanda, 8) civitatem Lugdunensem & suburbia, merum & mixtum imperium non esse in dominio Regis, sed ecclesiæ Lugdunensis, 9) ut apostolicus legatus Regi significaret, nisi intra certum tempus hæc omnia emendaret, & ecclesiæ satisfaceret, ipsum Pontificem pro jure & officio suo provisurum, ac spiritualiter & temporaliter contra Regem processurum.

2. Dicebat nimirum, se nihil egisse, nisi quod jure regio agere poterat, quod si vero hæc responsa Pontifici non probarentur, se paratum esse Ducum Burgundiæ & Brabantiæ arbitrio stare, quos ob notam eorum probitatem, & devotionem erga Romanam ecclesiam in hoc dissidio arbitros lubenter se admissurum Pontifex professus esset.

3. Ordinum enim conventum Parisiis in Regia celebravit eodem anno 1303. mense junio, cujus exitum veritus pontificius legatus clam recessit Romam reversurus. In hoc conventu Rex & omnes regni ordines adhærentibus eis clero Gallicano & universitate Parisiensi ad concilium generale contra Bonifacium VIII. adpellarunt.

§. 227. Graviora & acerbiora in Regem Bonifacius moliebatur dum de his quæ in Gallia contra ipsum gesta essent, certior fac-

tus est. Imprimis constitutionem edidit, quæ incipit: *Rem novam non adgredimur*, qua declaravit, citationes cujuscunque personæ, etiam *imperialis* authoritatis authoritate apostolica factas præsertim si ipsi impediant, ne iis innotescant, æque valituras, ac si ipsis coram significatæ fuissent. Facultati theologicæ & juridicæ justitiam indixit, omnemque docendi facultatem & lauream doctoralem conferendi suspendit, donec Rex Pontificis mandatis obtemperaret. Provisionem omnium beneficiorum in toto regno vacantium sedis apostolicæ dispositioni reservavit. Denique censuras in Regem latas confirmavit, regnum sacris interdixit, subditos a juramento fidelitatis absolvit, inita etiam a quibusdam Principibus cum Rege fœdera rescidit.

§. 228. Acerbum istud diploma in die nativitatis Mariæ promulgaturus erat, nisi Deo disponente captus fuisset a *Guillelmo Nogareto* [1]. Anagnienses Pontificem ex atrocis hujus hostis manibus liberabant quidem, at is paulo post Romæ rabie ac ægritudine mense octobri anno 1303. mortuus est.

1. Degebat tunc Bonifacius Anagniæ, & Wilhelmus Nogareto celeberrimus jurisconsultus in Italia ad gerenda Philippi negotia versabatur, cui Rex dedit in mandatis, ut concilii generalis convocationem ab ecclesia Gallicana expetitam, & Galliæ ad dictum concilium appellationem significaret. Nogaretus vir strenuus & acer adscita in auxilium potenti *Columnarum* familia, quæ cum Pontifice dissidebat, & præprimis *Sciarræ* parvum conscripsit exercitum, & Bonifacium Anagniæ secure degentem subito invasit, captum tum aliis gravissimis injuriis affecit, tum colapho ferrea chirotheca inflicto sauciavit. (Alii id Sciarram fecisse ajunt.).

§. 229. Tristi hoc exemplo eruditus *Benedictus XI.*, qui Bonifacio successit, Regem Galliæ ejusque regnum ne monitus quidem ab excommunicatione & interdicto absolvit. At Nogaretum, qui nimis graviter in majestatem Pontificis peccasse putabatur, ut admissi criminis absolveret, a se impetrare non poterat. Is ergo vir audacissimus litem Bonifacio intentatam strenue in aula Romana persequebatur, Regisque sui verbis postulabat, ut mortuus etiam Pontifex infamiæ nota inureretur. Benedictum brevi mors veneno maturata abripuit, itaque Philippus anno 1305. clandestina machinatione perfecit, ut *Bertrandus de Got* Gallus archiepiscopus Burdigalensis Romæ Pontifex crearetur [1], qui *Clemens V.* vocari voluit, & sedem suam ad votum Regis Avenionem in Gallia transtulit. Clemens nutu & voluntate Philippi totus regebatur, hostis Bonifacii maximus Wilhelmus Nogareto, ecclesia licet ejectus esset, nihilo tamen minus in aula Pontificis & regis sui, & propriam causam contra Bonifacium audacissime egit. Philippus cadaver Bonifacii effossum publice cremari voluit, avertebat hanc infamiam Clemens ægerrime consilio & precibus: at in ceteris Regi obtempe-

randum erat. Leges igitur a Bonifacio latas abrogare, quinque annorum decimas Regi concedere, & Nogaretum levi pœna imposita, quam nunquam exolvit [2] culpæ omnis absolvere.

1. Nempe lis Regis cum Pontifice nondum prorsus erat composita, & Nogareto nondum absoluto facile recrudescere poterat. Quare indigebat Pontificis Galli, quem pro arbitrio regere posset, atque totum devictum sibi, & obnoxium veluti haberet.

2. Erat autem pœna Nogareto imposita septem peregrinationes sacræ, & perpetua in Palæstina commoratio ad ibidem occasione data pugnandum contra Saracenos.

CAPUT SEXTUM.

DE

HIERARCHIA, SEU REGIMINE SACRO.

§. 230. Ecclesiæ Romanæ *monarchiam*, cujus fundamenta Pontifices a tempore prodeuntium pseudo — decretalium Isidori jecerant, penitus stabilivit *Hildebrandus* (a cujus nomine aliqui seculum XI. vocant *Hildebrandinum*), qui electus in Pontificem anno 1073. *Gregorii VII.* nomen assumpsit. Docet id partim ejus *dictatus* [1], partim conatus omnia fere regna sub fidem & clientelam S. Petri, ut ajebat, id est, Pontificis Romani cogendi, eique subjiciendi [2], præcipue vero, quod in litibus cum Henrico IV. ausus sit exercere potestatem indirectam in temporalia Principum subditos a juramento fidelitatis absolvendo, cujus potestatis ante Gregorium VII. nullum in ecclesia reperitur vestigium, vel usus.

1. Dictatuum Gregorii, seu ut alii loqui malunt, *dictatus Hildebrandini* nomine intelliguntur viginti septem breves sententiæ seu propositiones de suprema potestate Romanorum Pontificum in universam ecclesiam & rempublicam, quæ L. II. Epist. Greg. VII. inter Epist. 55 & 56 interjectæ leguntur hoc titulo: *Dictatus Papæ*, & quas inter falsissimæ, & absurdæ etiam sunt numero septima: *Soli Papæ licet pro temporis necessitate novas leges condere*, octava: *Solus Papa uti potest imperialibus insigniis*, & vigesima tertia: *Papa canonice electus & ordinatus meritis beati Petri indubitanter efficitur sanctus.* Baronius. Christianus Lupus (cujus amplissimus in hos dictatus, quos sacrosanctos putat, commentarius extat) omnesque Romanæ curiæ assentatores dictatus hos ab ipso Gregorio VII. in concilio forte quodam compositos esse statuunt. At Gallorum doctissimi Jo. *Launojus*, *Nat. Alexander*, Ant. & Franc. *Pagius*, Lud. Ellies *du — Pinius* & plures alii acriter disputant, subjectas Hildebrando esse ab homine quodam doloso, & aulæ Romanæ adulatore. Quod ut probent, observant, etsi quædam illarum sententiarum mentem Gregorii satis bene exprimant, esse tamen quædam in illis, quæ sensibus ejus in epistolis propositis aperte repugnant. Addit Nat. Alex. quod nullus author Gregorio VII. coævus, aut suppar hujus dictatus meminerit, nec ipse etiam Grego-

rius dictatum in suis epistolis laudat ac vindicat, uti alia sua decreta. Mediam iniit viam *Moshemius* conjecturando, hominem quemdam ex epistolis Gregorii partim editis, partim aut latentibus aut amissis, fortassis etiam ex ore ejus has sententias litteris mandasse, cum materia dictatuum sine dubio hildebrandina sit, maxima etiam pars eorum totidem fere verbis in ejus epistolis passim legatur.

2. Audacis hujus consilii testimonia ex ipsis Gregorii VII. epistolis & aliis quibusdam antiquis monumentis eruditi collegerunt. Lib. IX. Epist. Ep. 3 futuro Romanorum Imperatori hanc jurisjurandi formulam præscribit: *Ab hac hora & deinceps fidelis ero per rectam fidem B. Petro apostolo, ejusque vicario Papæ Gregorio — — —, & quodcunque mihi ipse Papa præceperit sub his videlicet verbis*: PER VERAM OBEDIENTIAM, *fideliter sicut oportet Christianum, observabo, & eo die, quando illum primitus videro fideliter per manus miles S. Petri, & illius efficiar.* Qui hoc aliud est, quam *hominium* perfectum, & *ligium feudum*? A Galliæ regno dominium temporale, quod Pontifices habent, manasse est notissimum, at Gregorius tamen vectigale ecclesiæ Romanæ illud contendebat, atque legatos suos censum annuum, seu tributum a Gallis poscere jubebat L. 8 Ep. 23 *Dicendum autem est omnibus Gallis, & per* VERAM OBEDIENTIAM *præcipiendum, ut unaquæque domus saltem unum denarium annuatim solvat B. Petro, si eum recognoscunt Patrem & pastorem suum more antiquo.* Sed hic frustra jussit Gregorius; a Francis enim nullum censum unquam impetravit. Eadem epistola Saxoniam *feudum* ecclesiæ esse contendit, seu Carolum M. S. Petro illud obtulisse significat. Ipsum Galliæ Regem Philippum I. his verbis alloquitur. L. 7 Epist. 20. *Maxime enitere, ut B. Petrum* (id est Pontificem) *in cujus potestate est tuum regnum & anima tua, qui te potest in cœlo & in terra ligare & absolvere tibi facias debitorem.* Idem quod Gallis, etiam Hispanis persuadere studebat L. 10. Epist. 7. *Regnum Hispaniæ ab antiquo proprii juris S. Petri fuisse, & soli sedi apostolicæ ex æquo pertinere.* Apud Hispanos paulo felicior erat, quam apud Gallos; Petrus de Marca enim ex antiquis monumentis probat, Regem Aragonum *Bernardum* Gregorio annuum censum spopondisse, ac solvisse.

§. 231. Scivit etiam Gregorius fines imperii ecclesiæ Romanæ in Italia proferre, & patrimonium S. Petri augere. *Mathildim* enim *Bonifacii* ditissimi Ducis Tusciæ filiam, Principem in Italia potentissimam permovit, ut Romanam ecclesiam bonorum suorum hæredem scriberet. Controversia magna exorta est, quas terras Mathildis Gregorio donaverit, ex ipsis enim donationis tabulis quidam concludunt, eam non *feuda imperii*, quæ possidebat, nec idcirco Marchiam Tusciæ, Ducatumque Spoletanum, sed allodia tantum sua donasse [1].

1. Dicit enim in instrumento donationis: *Ego Mathildis — — dedi & obtuli ecclesiæ S. Petri omnia bona mea jure proprietario tam quæ tunc habueram, quam ea, quæ in antea adquisitura eram sive jure successionis, sive alio quocunque jure ad me pertinet.* Verum alii contra animadvertunt, verba hæc: *jure proprietario*, ex quibus videtur sequi eam, tantum allodialia donasse, non ad bona pertinere donantis, sed ad modum donationis, & cum antecedentibus verbis *dedi & obtuli* conjungi debere. Non enim dicit: *dedi bona omnia, quæ jure proprietatis possideo*, sed, *dedi omnia bona mea ecclesiæ jure proprietario*, id est, volo, ut ecclesia omnia bona mea jure proprietario tanquam bona propria possideat, neque scribere potuisset Mathildis *sive jure successionis, sive alio quocunque jure ad me pertineant*, si de solis bonis allodialibus intelligi voluisset, quia nullum bonorum genus eximit. At respondebit forte aliquis: ecclesia Romana nunquam feuda imperii per Mathildis donationem sibi data esse pugnavit, sed sola allodialia postulavit, at vero dato hoc non concesso hic loci non de moderatione Pontificum in petenda hæreditate, sed de sensu donationis factæ quæritur.

§. 232. Idem Gregorius altero sui pontificatus anno in concilio Romæ habito sanxit, nec sacerdotes uxores ducerent, qui vero haberent secum sive uxores, sive concubinas aut eas, aut sacerdotium dimittant [1]. Lege hac promulgata clerici ingentes turbas excitarunt [2], mala etiam ingentia exorta, præsertim inde, quod prohibuerit vel missæ conjugati sacerdotis interesse [3].

1. Clerici illo tempore uxores ducentes abs dubio id cum consensu suorum Imperantium fecerant, atque adeo illorum matrimonia legitima erant. De conjugiis autem legitimis docet Paulus: *Iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere.* (ad Cor. C. 7. v. 10.)

2. Vix Germaniæ episcopi decretum de cœlibatu in suis diœcesibus exequi cœperant illico clerici omnes in querelas effundi, hæresim esse manifestam & insanam doctrinam, homines velle compellere ad ducendam vitam angelicam, cum tamen Christus de continentia differens fassus fuisset: *non omnes capiunt verbum hoc, qui potest capere capiat*, & S. Paulus: *Qui se non continet, nubat, melius est nubere quam uri.* Si vero exequi hoc decretum obstinate statuisset, malle se sacerdotium, quam matrimonium abjicere, & tunc Papæ curam fore, ut undecunque posset loco hominum, quos aspernaretur, angelos ad regendas ecclesias accerseret. Parum quoque abfuit, quin *Sigefridus* Archiepiscopus Moguntinus, & *Altmanus* episcopus Passaviensis, dum decretum hoc promulgarent, a clericis tumultuantibus interfecti fuissent. Verum bellum hoc tempus, & constantia Pontificis paulatim sedabat, nullus enim erat inter Reges Europæ, qui sacerdotum uxoribus patrocinium præbere voluisset.

3. Id quidem in pœnam & confusionem presbyterorum conjugatorum statuisse perhibetur, verum etsi hanc habuisset intentionem, populus tamen exinde hausit errorem, conjugatos presbyteros potestate conficiendi corpus Christi carere. Pessime etiam hujus decreti effectus; nam teste *Sigeberto* continentiam pauci tenebant, aliqui eam aut causa quæstus, aut jactantiæ simulabant, aliqui incontinentiam perjurio, aut adulteriis cumulabant. Fuit hoc laicis occasio contra clerum insurgendi, & se ab omni ecclesiastica subjectione excutiendi. laici sacra mysteria temerabant, & de iis disputabant, infantes baptizabant humore aurium pro sacro oleo & chrismate utentes, in exitu vitæ viaticum & sepulturam ecclesiasticam a presbytero conjugato accipere nolebant, decimas presbyteris deputatas igne cremabant, corpus Domini a conjugato presbytero consecratum pedibus calcabant, & sanguinem Domini voluntarie effuderant, multaque alia contra jus & fas in ecclesia gesta sunt.

§. 233. Diu quidem ante Gregorium VII. usitatum erat, ut subjectionem & obedientiam Romano Pontifici profiterentur Metropolitani ceterique episcopi; at his non contentus Pontificum omnium audacissimus Gregorius ab iis insuper juramentum fidelitatis exegit, cujus formulam in concilio Romano anno 1079. præscripsit injuriosam sane majestati civili, ac juribus Imperantium, idem enim jusjurandum præscripsit, quod ad feudum ligium, aut juramentum vasalliticum requiritur [1].

1. Docet id formula jurisjurandi his verbis concepta: *Ego episcopus N. ab hac hora in antea fidelis ero sancto Petro, sanctæque Romanæ ecclesiæ, Dominoque meo Papæ N. ejusque successoribus canonice intrantibus, nec ero neque in consilio, neque in facto, ut vitam perdat aut membrum, vel capiatur mala captione. Consilium quod mihi*

aut per se, aut per litteras, aut per nuntium manifestabit, ad ejus damnum nulli pandam. Papatum Romanæ ecclesiæ, & regulas SS. Patrum adjutor ero ad defendendum & retinendum salvum ordine meo contra omnes homines. Vocatus ad synodum veniam nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Legatum sedis apostolicæ, quem certum esse cognovero, in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Apostolorum limina singulis annis aut per me aut per nuntium visitabo, nisi eorum absolvat licentia. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta evangelica.]

§. 234. *Clemens V.* post Bonifacium VIII. conatibus Philippi Pulchri Galliæ Regis electus ex voto Regis in Galliæ mansit, & pontificiam sedem Avenionem transtulit, qua in urbe per septuaginta annos hæsit, quod quidem tempus Itali *exilium babylonicum* adpellare solent. Certum est, hanc Pontificum commorationem in Gallia haud parum authoritati sedis apostolicæ nocuisse. Absentibus enim Pontificibus factio *Gibellina* in Italia, quæ Pontificibus inimica erat, multo audacius, quam ante caput extulit, nec patrimonium tantum S. Petri invasit, sed scriptis etiam potestatem pontificiam laceravit. Multæ hinc urbes a Pontificibus defecere, ipsa Roma turbarum bellorumque civilium mater & nutrix erat, leges & decreta ex Gallia missa publice non modo a proceribus, sed a populo quoque spernebantur, quibus seditionibus sedandis Pontifices vix suffecerant, licet inquisitores acerrime munere suo fungerentur.

§. 235. Cum vero Pontifices in Gallia versantes ex vastata & seditiosa Italia paucos fructus seu reditus perceperunt, novos pecuniam adquirendi modos excogitarunt. Itaque non tantum *indulgentias* sæpius quam ante populo vendebant, verum etiam litteras suas omnis generis magno pretio redimi volebant, qua in re *Joannes XXII.* maxime solertem & providum se præstitit [1]. Præter hæc sublato collationum ordinariis competentium jure potestatem sibi arrogabant Galli Pontifices beneficia pro arbitrio suo conferendi [2].

1. Is enim *taxas & regulas cancellariæ* non quidem primus invenit, attamen amplificavit, & ratione utiliore adornavit, idem *annatas* imperasse dicitur, primæ licet origines ejus illo antiquiores sint. Per annatas autem teste *Villano* 25 milliones corradebat; dum enim pingue vacabat beneficium ad id talem præsentabat, qui tenuius habuit, & ad hoc rursus alium, ita ut una collatio seu præsentatio sex aut plures post se traxerit, quia semper aliquis ex tenuiori beneficio ad pinguius translatus est, quivis vero annatas solvere jubebatur. Pluralitas quoque beneficiorum ad augendas annatas contulit, quicunque enim plura habuit beneficia, ea dimittere debuit, & ab iis, quibus collata fuerant, iterum annatæ solvebantur.

2. Odiosissima itaque & antea rara *reservationum*, *provisionum*, *expectativarum* nomina sub his Pontificibus ubique audiebantur, & omnibus Europæ gentibus acerbissimas querelas exprimebant, quæ præter modum crescebant, cum Joannes XXII., Clemens VI. & Gregorius XI. publice edixissent, se omnes sibi ecclesias *reservasse*, omnibusque de *plenitudine potestatis* providere velle. Inde falsum decretalistarum axioma invaluit, Pontificem esse *ordinarium ordinariorum*, omniumque beneficiorum Dominum.

§. 236. Mortuo Clemente V. anno 1314. graves de successore eligendo contentiones natæ sunt, Gallis Gallum, Italis Italum poscentibus. Vicerant post biennium Galli, atque *Jacobus de Eusa* electus est assumpto nomine Joannis XXII. [1], quo defuncto denuo inter Gallos & Italos de eligendo successore rixæ sunt exortæ, at electus est tamen sub finem anni 1334. *Jacobus Furnerius* assumpto nomine *Benedicti XII.* Huic successere *Clemens VI. Innocentius VI.*, *Urbanus V.*, *& Gregorius XI.*, ultimus eorum, qui Avenione residebant [2].

1. Sub finem vitæ suæ Joannes publicam prope universæ ecclesiæ reprehensionem & animadversionem incurrebat. Anno nempe 1331. & sequenti in publicis sermonibus tradidit, animas a corpore separatas Christum quidem hominem, non vero Dei faciem, seu naturam divinam ante conjunctionem cum corpore post extremum judicium visuras esse. Id dogma theologi Parisienses anno 1333. damnarunt, Papa vero morti proximus anno 1334. eam mitigavit, & successor ejus verum dogma definivit.

2. Hoc sub Pontifice enim magni, & periculosi motus Italiam & Romam turbarunt. Florentini maxime atrox ecclesiæ Romanæ bellum inferebant. Italiam igitur ut pacaret, & ereptas S. Petro terras recuperaret, anno 1376. sedem suam Avenione Romam iterum transtulit, quod ejus consilium *Catharina Senensis* Avenionem profecta, quam credula ista ætas divinitus afflatam esse putabat, exhortationibus suis imprimis promovit. Sed paulo post Gregorium consilii sui pœnituit, eousque enim ceciderat absentium diu in Italia Pontificum authoritas, ut Romani, ac Florentini variis eum contumeliis afficere non vererentur. Itaque Avenionem reverti voluit, mors vero anno 1378. secuta hoc suum impedivit propositum.

§. 237. Post Gregorii XI. obitum populus Romanus metuens, ne Gallus crearetur Pontifex, qui Avenionem migraret, furiosis clamoribus & minis poscebat, ut Italus ecclesiæ præficeretur. Itaque territi electores Bartholomæum Pregnanum Archiepiscopum Barensem elegerunt, qui *Urbani VI.* nomen sibi imposuit. Sed cum ejus electio tumultuosa videretur, cardinales brevi post ab ipso defecerunt partim acerba ejus indole, partim violentiam in ejus electione causati, quæ juxta canones irrita esset. Quare *Fundos* urbem regni Neapolitani, quem locum securiorem putabant, secesserunt, aliumque ibi Pontificem *Robertum* comitem Gebenensem, qui *Clemens VII.* dicebatur, crearunt, dicentes, ad speciem tantum, ut Romanus populus sedaretur, Urbanum electum fuisse. Urbanus Romæ mansit, Clemens Avenionem in Galliam profectus est. Hoc est initium tristissimi illius schismatis, quod *magnum schisma occidentis* vulgo vocari solet [1].

1. Incepit anno 13??. & nonnisi anno 1429. prorsus extinctum fuit, quare annis quinquaginta durabat. Cum magno [illegible] scandalo bullis, excommunicationibus, armisque Urbanus contra Clementem, & vicissim Clemens contra Urbanum pugnavit.

§. 238. Urbano, postquam undecim annis sedem tenuisset, anno 1389. suffectus est Romæ *Bonifacius* IX., post hunc *Innocentius* VII., dein Angelus Coriarius assumpto nomine *Gregorius* XII. Avenione contra defuncto Clemente VII. electus est Petrus de Luna scientiarum peritissimus, qui *Benedictus* XIII. adpellari voluit. Horum uterque in ipsa electione impellente universitate Parisiensi, & Carolo VI. Rege juramentum præstitit, abdicaturum se pontificatu, si id ad schisma tollendum necessarium foret, sed quum neuter promissis staret, atque ambo concilium quoddam generale convocare tergiversarentur, cardinales utriusque obedientiæ, ut schisma tollatur, concilium generale *Pisis* celebrandum obtento desuper a Principibus consensu indixerunt, datis ad ambos Pontifices litteris, ut ad concilium compareant. Inchoatum est concilium anno 1409., postquam autem de pontificatu contendentes præmissa trina citatione non comparuerunt, uterque depositus, & electus est *Petrus de Candia*, qui *Alexander V.* adpellari voluit.

§. 239. Cum synodi Pisanæ authoritati Gregorius XII. & Benedictus XIII. in sua obedientia Pontifices adpellati, seu propriis suis nominibus Angelus Coriarius, & Petrus de Luna non parerent, jamque sua pertinacia pseudo-Pontifices evasissent, & nihilominus Gregorium nonnullæ civitates Italiæ, Benedictum Hispaniæ magna pars ut legitimos Pontifices colerent, errore facti, quod ipsis persuasum non esset. Pisanam synodum œcumenicam esse, aut ipsos jure depositos, ac in eorum locum legitime electum Alexandrum V., & qui huic successit *Joannem* XXIII., altera synodo opus erat, seu Pisanæ ipsius redintegratione, ac continuatione, quam scilicet suspensam, duntaxat, & in tempus magis opportunum reservatam, non penitus dissolutam voluit Alexander V.

§. 240. Quamobrem Joannes XXIII. Alexandri V. successor post sui electionem de transferendo Pisano concilio in comodiorem locum, ad quem tutus omnibus pateret accessus, de restituenda ecclesiæ unitate, ac de damnando Wicleffo & Joanne Husso cogitare cœpit. Itaque re cum *Sigismundo* Imp. per legatos communicata, ac deliberata synodum œcumenicam *Constantiæ* Germaniæ urbe celebrandam indixit [1].

1. Annis quatuor, & mensibus sex scilicet ab ineunte Novembri anni 1414. ad 12. Aprilis 1418. duravit, & 45. sessionibus absoluta est.

§. 241. Princeps cura magni hujus concilii erat extinctio pontificalis dissidii, & hoc quidem negotio feliciter defungebatur.

Postquam enim binis solemnibus decretis sessione IV. & V. sanxerat, Pontificem concilio generali inferiorem esse, Joannes XXIII. anno 1415. pontificatu depositus est (jurato enim fidem dederat, se pontificatu cessurum esse, si id unitas ecclesiæ postulaverit, & nihilo tamen minus fuga se subduxerat). Gregorius XII. seu Angelus Coriarius eodem anno per Carolum de Malatesta ipse dignitatem pontificiam deposuit, Benedictus XIII., seu Petrus de Luna anno 1417. solemni concilii decreto depositus. Quibus perfectis *Otto de Columna* cardinalium concordibus suffragiis electus est, qui *Martini* V. nomen sibi imposuit [1].

1. Consultius fuisset, non antea eligere Papam, nisi conceptis jam & promulgatis reformationis aulæ Romanæ decretis.

§. 242. Sessione trigesima sexta concilii Constantiensis decretum perpetuum de conciliis generalibus stato tempore celebrandis editum est, ut scilicet quinquennio post absolutionem concilii Constantiensis aliud celebraretur, & illo absoluto aliud septennio post, ac deinceps singulis decennis (§. 44. 3. proleg.) *ut sic per quamdam continuationem semper aut concilium vigeat, aut per termini pendentiam expectetur*, quem terminum liceat Papæ de consensu cardinalium ob emergentes forte causas breviare, sed nullatenus prorogare.

§. 243. Itaque juxta hoc decretum elapso post finem concilii Constantiensis quinquennio, anno nimirum 1423. a Martino V. indictum fuit concilium *Papiæ* celebrandum, ab eoque eodem anno episcopi quidam in hanc urbem præmissi sunt, sed cum nulli adhuc Transalpini venissent præter duos, & pestis *Ticini* grassaretur, mutari locum placuit, synodumque *Senam* transferri [1]. Postmodum denuo ob episcoporum paucitatem, & undique ingruentes bellorum tempestates anno 1424. ad persequendam comodiori loco & tempore inchoatam ecclesiæ reformationem urbem *Basileensem* ad concilii generalis septennio post juxta Constantiensis concilii decretum celebrandi designarunt, *protestantes tamen, quod propter hoc ipsum concilium Senense non censeatur esse dissolutum.*

1. In prima sessione concilii Senensis confirmata sunt decreta concilii Constantiensis de depositione Petri de Luna, & de damnatione Wiclefii, Hussique. Actum est etiam de Græcorum cum Latinis unione, cumque Martinus V. nuntios Constantinopolim ad Imperatorem & Patriarcham ea de re misisset, Imperator vero respondisset, hoc negotium non posse tunc utiliter tractari, nihilominus decrevit synodus, negotium istud minime deferendum, sed occasione data in illud incumbendum pro viribus, interim vero necessariam ecclesiæ reformationem *in capite & membris* promovendam.

§. 244. In ipso concilii Basileensis adparatu anno nimirum 1431. mortuus est Martinus V. succedebat illi Gabriel Condolmerus, qui *Eugenii* IV. nomen sibi dari voluit. Is probabat omnia, quæ Martinus de concilio Basileæ habendo sanxit, & hinc initium ejus anno 1431. præsidente loco Pontificis cardinale Juliano fiebat. Vix celebrari cœpit synodus Basileensis, cum variis ex causis [1] & prætextibus Eugenius dissolutionem ejus decrevit, aliudque concilium *Bononiæ* post annum cum dimidio celebrandum indixit. At nec Imp. *Sigismundus*, nec Patres concilii, imo nec ipse Pontificis legatus *Julianus* decretum dissolutionis probavit, & ne dissolutionis rumoribus aut Eugenii litteris episcopi a concilii aditu deterrerentur, scripsit synodus litteras encyclicas 21. Jan. anni 1432., quibus significabant, decrevisse Patres in hoc concilio firmiter permanere.

1. Ajebat nimirum, Patres exiguo numero non supra decem Basileam convenisse, quamvis præscriptum tempus septenii ante menses octo esset elapsum, neque æquum videri, ut ab episcopis tam paucis ecclesiæ universali leges præscriberentur, rigere hyemale tempus, nec spem esse ut plures conveniant. Bellum inter *Philippum* Burgundiæ, & *Fridericum* Austriæ Duces exortum omnem circa Basileam regionem vexare & incendere, proin non posse Patres illuc tuto congregari. Jam pridem sub Martino V. de Græcorum cum Latinis unione actum fuisse, *Joannem Palæologum* Imp. & *Josephum* Patriarcham Constantinopolitanum oratores ad se Romam misisse, qui executionem conventorum cum Martino V. nomine ecclesiæ Græcæ exposcerent. Expedire admodum reipublicæ Christianæ Græcorum cum Latinis unionem. illis Basileam adire haud facile esse, ex tribus Italiæ urbibus oblatis Roma, Bononia, & Ancona Bononiam elegisse, tam auspicatam occasionem negligendam non esse. Ad hæc adversam valetudinem causatus est, per quam tam longum iter conficere non liceret Roma scilicet Basileam, si ad annum cum dimidio synodus differatur, fore, ut recuperata valetudine ad locum viciniorem & ipse cum Romana curia facile accedat, & tempore magis opportuno orientales & occidentales conveniant frequentiores.

§. 245. Itaque concilium Basileense continuatum, & in sessione III. decreta concilii Constantiensis de superioritate confirmata. Anno 1435. *annatæ* frustra renitentibus legatis Pontificis abrogatæ sunt, anno sequenti numerus cardinalium ad viginti quatuor est revocatus, *expectativæ*, *reservationes*, *provisiones* sunt sublatæ, quibus cum & alia accederent parum grata Pontifici, Eugenius molestissimum, & audacissimum hoc concilium rursus aut in Italiam transferendum, aut opposito alio concilio damnandum esse judicavit. Itaque cum anno 1437. Patres Basileenses sanxissent, concilium Græcorum causa aut Basileæ, aut Avenione, aut in urbe quadam Sabaudiæ celebrandum esse, Pontifex contra per legatos id concilium in Italia esse agendum decernebat. Neutra pars sententiam mutare voluit, quamobrem ab hoc tempore vehemens inter concilium, & Pontificem dissidium est exortum. Concilium anno 1437. Pontificem Basileæ ad rationem factorum sibi reddendam comparere jussit, Pontifex contra concilium dissolvit, illudque

O:

Ferrariæ indixit, Patres vero consentientibus Imperatore, Galliarum Rege aliisque Principibus Basileæ consultare pergebant, & Pontificem, quod decreto concilii haud paruisset, contumacem pronunciabant.

§. 246. Eugenius IV. concilium quod Ferrariæ indixit, anno sequenti 1438. præsens ipse inchoavit, & in secunda ejus sessione Patres Basileenses sacris interdixit. Agendum erat in hoc concilio potissimum de pace cum Græcis, at cum Ferrariæ res lente, parumque feliciter procederet, Eugenius sub initium anni 1439. concilium Ferraria proficisci voluit Florentiam. Basileenses Patres his aliisque Eugenii factis irritati anno 1439. eum pontificatu dejecere, quod tamen Regibus, Principibusque Europæ haud placuit. Eugenius vero denuo Basileenses diris devovit, omniaque eorum acta rescidit, qui fulmina ista ridentes eodem anno novum elegerant Pontificem *Amadæum* Sabaudiæ Ducem, qui *Felix V.* vocari voluit.

1. Migrarunt enim in Italiam ipse Græcorum Imperator *Joannes Palæologus*, Patriarcha Constantinopolitanus *Josephus*, præcipuique Græci theologi, quoniam sperabant fore, ut dissidio cum ecclesia Latina sublato Latini iis a Turcis ad incitas redactis opem ferrent.

§. 247. Tali ratione triste illud ecclesiæ dissidium, quod post tot labores in concilio Constantiensi extinctum fuit, novis & gravioribus malis comitatum rediit, non enim duo tantum erant Pontifices mutuis sententiis se damnantes, verum etiam duo contraria concilia Basileense ac Florentinum. Maxima quidem pars ecclesiæ Eugenio paruit, at plures tamen etiam academiæ, & inter eas omnium princeps Parisiensis, nonnulla etiam regna & provinciæ Felicem V. sequi malebant. Basileense concilium deliberare, leges ac decreta ferre, quidquid Eugenius Papa vel fautores ejus contradicerent, ad annum 1443. pergebat, quo anno tametsi Patres discederent, publice tamen significabant, finitum haud esse concilium, verum opportuno tempore aut Basileæ, aut Lugduni, aut Lausannæ denuo coactum iri. Florentinum concilium duce Eugenio in componendis Græcorum & Latinorum litibus potissimum occupabatur. Commissum fuit hoc magnum negotium delectis utriusque partis viris, Græcorum præcipuus *Bessarion* erat vir eruditissimus, qui postea inter Cardinales ecclesiæ Romanæ receptus fuit. Is ergo Pontificis beneficiis captus authoritate sua, Pontifex vero præmiis, minis, promissis reliquos Græcos permovit, ut propositas pacis conditiones reciperent, & faterentur, spiritum sanctum etiam a filio procedere, purgatorium existere, panem azymum in eucharistia adhiberi posse, denique quod primum erat, Romanum Pontificem totius ecclesiæ caput esse. Unus

ex Græcis *Marcus* Ephesius nullatenus adduci poterat, ut manus daret. Pax tamen hæc stabilitate caruit, Græci enim Constantinopolim reversi cives suos persuaserant, fraudulenter omnia Florentiæ gesta esse. Concilium ipsum Florentinum anno 1442. finem suis deliberationibus imposuit [1].

1. Agebatur etiam in hoc concilio de Armenis & Jacobitis ad concordiam cum ecclesia Romana reducendis. Subjicitur synodo Florentinæ decretum pro *instructione Armenorum*, non synodi, sed solius Eugenii nomine inscriptum, utpote editum post discessum Græcorum.

§. 248. Mortuus est Eugenius IV. anno 1447., & in ejus locum suffectus *Nicolaus V.* vir ipse litteratus, & litteratorum patronus, moderati præterea animi, & ad pacem propendentis. Sub hoc assiduo labore ac opera Principum civilium tranquillitas ecclesiæ Latinæ restituta est; nam Felix V. ipse pontificatu se abdicavit, Patres vero Basileenses Lusannæ congregati voluntariam ejus abdicationem ratam habuerunt, atque solemni decreto universam ecclesiam Nicolao obedire jusserunt.

§. 249. Collegii cardinalitii origo ad seculum XI. cadit. Primis ecclesiæ seculis sicut ceteri episcopi, ita etiam episcopus Romanus communibus suffragiis cleri & populi eligebatur. At hanc eligendi Romani episcopi formam mutavit *Nicolaus* II. in concilio Romano anno 1059. habito, ubi jus eligendi Romanum Pontificem privative cardinalibus concessit, ut modum turbis & bellis ponerent, quæ toties Romam & Italiam afflixerunt, & in factiones diviserunt, cum novus esset eligendus Pontifex.

§. 250. Olim nomen *Cardinalis* commune fuit illis, qui ecclesiæ cujusdam ministerio perpetuo addicti, & veluti incardinati erant, idque non tantum de episcopis, sed etiam de presbyteris & diaconis est intelligendum, qui alicui ecclesiæ tamquam ordinarii erant ordinati [1]. Inde intelligitur, antiquitus ecclesiæ Romanæ cardinales alios non fuisse, quam ipsum ordinarium clerum Romanum ex presbyteris, & diaconis [2] constantem. Episcopi autem cardinales Romani multis seculis erant ignoti, cum antiquitus episcopus cardinalis alius non fuerit, quam proprius & fixus, talis autem nullus præter episcopum Romanum, seu Pontificem dici potuit. Adeoque verosimile est, seculo primo XI., aut XII. contigisse, quod ecclesiæ Lateranensis, quæ est specialis sedes Pontificis, propter suam & Romani episcopi excellentiam septem episcopi ex circumvicinis sint adsignati, qui certis diebus coram Romano episcopo celebrarent divina, aut ei celebranti assisterent, atque eam ob causam deinde episcopi *cardinales*,

quod huic ecclesiæ & Pontificis ministerio adscripti essent, adpellari cœperunt.

1. Per similitudinem autem ejusmodi episcopi, presbyteri & diaconi vocabantur cardinales, quia sicut *cardo* fixus & immobilis est, ac circa illum valvæ volvuntur, ita quoque circa illos episcopos, presbyteros, & diaconos tanquam fixos & proprios ecclesiarum *cardines* populus eorum curæ commissus in ecclesiastico regimine quodamodo volveretur.

2. Diaconiæ Romanæ erant loca, in quibus per diaconos regionarios pauperes, viduæ, pupilli, & senes regionis alebantur, habebantque hæc loca, quæ quasi publicæ domus hospitales erant, sacella sibi adjuncta. Qui itaque hisce locis tanquam *proprius* diaconus ad ministrandum dictis personis præficiebatur, diaconus *cardinalis* adpellatus est. Erant ejusmodi hospitales per quatuordecim regiones urbis distributæ, usu dein harum hospitalium paulatim exoleto, ipsisque ædibus dirutis, solis sacellis nomen diaconiæ adhæsit, a quibus diaconi urbis Romæ dicti fuere.

§. 251. At successu temporis cardinalatus jam non ab ecclesiæ adscriptione, sed a speciali Pontifici assistentia præstanda repeti cœpit, inde factum, ut exclusis aliis illis solis cardinalis nomen datum est, quibus post tempora *Nicolai* II. eligendi Pontificis potestas data est. Cum autem Nicolaus solis cardinalibus episcopis jus eligendi Pontificem commisisset [1], reliquus clerus Romanus id indigne ferens turbas in electionibus excitavit, quas ut sedaret *Alexander III.* numerum eligentium auxit, & præcipuæ dignitatis presbyteros, Priorem nimirum, seu Archipresbyterum Lateranensem, Archipresbyterum S. Petri, & S. Mariæ Majoris, Abbates S. Pauli & S. Laurentii extra muros, aliosque in eligentium ordinem retulit. Pacato clero nobiliori etiam inferior ad quietem est deductus, postquam diaconi cardinales, seu regionarii eligentium numero adscripti sunt, quamquam quis Pontificum id fecerit, non constet.

1. Constat hoc ex ejus decreto, ubi dicit: *Statuimus, ut obeunte hujus Romanæ universalis ecclesiæ Pontifice imprimis cardinales episcopi diligentissime simul de electione tractantes, mox ipsi clericos cardinales adhibeant, sicque reliquus clerus & populus ad consensum novæ electionis accedat.* Quamvis autem cardinales episcopos de electione tractantes mox ipsos clericos cardinales adhibere jubeat, atque adeo videatur, ac si etiam presbyteris ecclesiæ Romanæ potestatem electionis commiserit, tamen illum solummodo presbyteros cardinales *peculiarius* præ ceteris ecclesiæ Romanæ clericis ut factæ electioni consentiant adhiberi voluisse canon primus conditus in eodem concilio Romano, in quo antea citatum decretum edidit Nicolaus, satis evincit. Is quidem ibidem decernit: *Primo namque inspectore Deo est statutum, ut electio Romani Pontificis in potestate cardinalium episcoporum sit, ita ut si quis apostolicæ sedi sine præmisso concordi, & canonica electione eorum, ac deinde sequentium clericorum & laicorum consensu inthronizetur, is non Papa, aut Apostolicus, sed apostaticus habeatur.*

§. 252. Inde jam patet, cur hodie cardinales nominentur episcopi, presbyteri, & diaconi; nam hodie cardinales illi vocantur,

quibus jus eligendi Pontificem competit, hoc jus autem tributum est episcopis ministerio ecclesiæ Lateranensis adscriptis, presbyteris ecclesiæ Romanæ, & diaconis regionariis.

§. 253. Collegium cardinalitium brevi splendidissimis auctum est decoribus [1], prærogativis [2], & juribus [3]. Quo vero præcise tempore hæc eorum dignitas creverit, determinari absolute nequit, id satis constat, sensim atque sensim ad eam, in qua conspiciuntur eminentiam pervenisse. Advertunt quidam, eorum dignitatem cum Romani Pontificis authoritate semper crevisse, adduntque, eam maximam fuisse sub *Alexandro III.*

1. Decorem, & splendorem eorumdem externum vestitus & honorum tituli conficiunt. Inprimis enim illis circa annum 1244. *Innocentius IV.*. cum a Pontifice ad regendas ecclesiæ terras mitterentur, rubeum pileum tradidit, quod postea vel per consuetudinem, vel per expressam concessionem omnibus cardinalibus est datum. Dein *Paulus II.* publico decreto mandavit proposita pœna, ne quis birretam coccineam præter cardinales ferat, quibus etiam primo sui pontificatus anno pannum ejusdem coloris dono dedit, quo equos & mulos sternerent, dum equitarent. Hæc insignia cum tantum cardinalibus e clero seculari assumptis essent data, *Gregorius XIV.* etiam regularibus pileum rubrum concessit, nam antea pileis ejusdem cum veste sua coloris utebantur. Post hæc sub *Urbano VIII.* est decretum, ut jam non *illustrissimi* prout hactenus vocarentur, verum *eminentissimi*, huncque titulum non esse communicandum nisi solis electoribus ecclesiasticis imperii.

2. Tantam sunt nacti dignitatem, ut Patriarchis, Archiepiscopis & episcopis antecedant. Initio quidem ne ipsi cardinales episcopi subscribebant aut sedebant ante episcopos ordinatione priores, nec presbyteri cardinales ante ullos prorsus episcopos. Primi erant cardinales episcopi, qui aliis anteire cœperunt episcopis, cum quibus cum & alii in unum coaluissent collegium, æque ante episcopos pedetentim obtinuere proedriam. Non tamen antea hæc cardinalium prærogativa ita firma fuit, ut non identidem episcopi suum recuperarent gradum, nisi seculo XIII. in concilio Lugdunensi I, in quo ante Archiepiscopos, & in concilio Lugdunensi II. etiam ante Patriarchas sederunt. Olim quidam etiam disputabant, cardinalibus post Reges ante eorumdem filios, & alios omnes quacunque civili dignitate insignitos primum locum concedendum esse, at ab Electoribus imperii hanc prærogativam nunquam agnitam fuisse satis constat, in Galliis vero quamquam adhuc sub *Francisco I.* Galliæ Rege præibant Regiæ stirpis Principibus, in *Possiacensis* tamen colloquio anno 1561, ut iis posthac cederent, decretum. (*Spondanus ad annum* 1561.)

3. Jura eorum alia sunt sede vacante, alia sede plena. Sede plena primos agunt Pontificis consiliarios, variis Romæ præsunt congregationibus & dicasteriis, funguntur munere legationis, & protectorum ad curanda negotia variorum regnorum. Sede vero vacante imperio civili in omnibus ecclesiæ Romanæ terris funguntur eo ordine, ut singulis diebus tres sint cardinales unus episcopus, presbyter alter, tertius diaconus locum tenentes, & gaudent jure eligendi Pontificem privative.

§. 254. Communibus cleri & populi suffragiis in præcedentibus duabus epochis episcopos fuisse electos ex dictis constat, & quod in ecclesia Latina seculo nono electionibus episcoporum adhucdum laici interfuerint, testantur partim formulæ electionum

istis temporibus usitatæ, partim epistola *Hincmari* Rhemensis ad Henedulphum [1]. Sed successu temporis exclusus est ubique populus, quia non raro turbas excitavit. Interim excluso etiam populo admissi sunt ad electionem optimates & honoratiores, quæ res effecit postea, ut Imperantibus civilibus hoc in negotio plurimum tribueretur [2].

1. Scripsit ad eum his verbis: *Ad eamdem ecclesiam quantocyus studeas properare — — —; quæ electio non tantum a civitatis clericis erit agenda, verum & de rusticanorum parochiarum presbyteris — — —. Sed & laici nobiles ac cives adesse debebunt.*

2. Hi enim præ optimatibus multo plus valebant ad commoda ecclesiæ promovenda, ad electionum componenda dissidia, ac prætensiones malevolorum reprimendas.

§. 255. Sed nova prorsus episcoporum electionibus facies seculo XII. & sequenti cœpit induci, dum canonici ecclesiarum cathedralium sibi solis excluso cetero clero hoc adtribuerunt [1]. Duravit hæc potestas in capitulis, usque dum Pontifices translata Avenionem sede pleraque beneficia suæ reservarunt collationi [2], qua re jus eligendi capitulis competens valde est imminutum.

1. Idque sive propterea, quia aucto admodum clero tumultuariæ sæpius electiones fiebant, sive quia electionem Pontificis ad solum collegium cardinalitium devolutum tunc esse cernerent, quod jus moribus initio quæsitum postea & Imperatorum, & Pontificum constitutionibus est firmatum. Quemadmodum vero capitulis cathedralibus jus ex eorum gremio eligendi episcopos est concessum, ita etiam capitula monastica jus eligendi sibi Abbates obtinuere.

2. Clemens V. primo ecclesias cathedrales apud curiam Romanam vacantes, dein eorum etiam beneficiorum collationem, quæ clero & populo Romano carerent, Pontificis dispositioni reservavit. Postea *Joannes XXII.* provisioni suæ reservavit episcopales, & eorum superiorum sedes, quæ apud sedem Romanam illo vivente vacare contigerit. At *Benedictus XII.* dispositioni apostolicæ reservavit omnes archiepiscopales & episcopales ecclesias tunc apud sedem apostolicam quomodocunque vacantes, & in posterum vacaturas.

§. 256. Incredibile dictu, quantas ubique hæc beneficiorum reservationes querelas excitaverint, quibus imponendi finem occasionem videbatur suppeditare concilium Constantiense, quia non tantum ad tollendum schisma, sed etiam ad suscipiendam *reformationem* in capite & membris convocatum fuit, ideo natio Germanica gravamina sua propter reservationes sub nomine *Avisamentorum* eidem obtulit. Ad vero Martino V. citius opinione ad Pontificatum evecto, & reformationis negotio ad proximum concilium rejecto Germani præter concordata ad quinquennium duratura tum quidam obtinuere nihil. (§. 241. 1.)

§. 257. Repetitæ sunt res in concilio Basileensi, ubi Patres ses-

sione vigesima prima reservationes abrogatas voluerunt, quod tamen effectu caruit, quoniam Eugenius IV. concilium dissolvit, quam ob rem eum Patres Basileenses exauthorarunt, & Sabaudiæ Ducem sub Felicis V. nomine Papam salutarunt. Germani quidem ab initio neutrales nec Eugenio adversus Patres Basileenses, neque his adversus illum adhæserunt. At cum Coloniensis & Trevirensis Archiepiscopus dignitate sua sunt dejecti, ceterique Electores graviter per id offensi anno 1446. Francofurti conveniunt, Cæsarique Friderico denunciant, se, nisi Eugenius Papa latam contra Archiepiscopos sententiam revocaret, nationis Germanicæ gravamina tolleret, repudiata neutralitate Felici V. adhæsuros. Legatis hinc inde sæpius missis opera præcipue Æneæ Sylvii tandem Eugenio IV. anno 1447. obedientiam præstiterunt, atque editis ab Eugenio diversis bullis concordia est redintegrata, cui quidem Eugenius non diu superstes erat.

§. 258. Nicolao V., quamprimum ad pontificatum fuit evectus, hæc prima cura fuit, at antecessoris sui Eugenii acta rata haberet, & inchoatæ paci manum supremam impositurus, ac Germanorum gravaminibus satisfacturus in conventu Aschaffemburgensi cui *Fridericus* III. Imp. cum electoribus pluribus, & Germaniæ Principibus aderat, anno 1448. nova iniit cum Germanis concordata [1], quibus jus eligendi episcopos per reservationes imminutum capitulis cathedralibus Germaniæ est restitutum, reservationibus vero universim limites certi sunt positi [2].

1. Definiri solent *concordata nationis Germanicæ*, quod sint solemnis conventio, & sanctio pragmatica inter Nicolaum V. Papam, & Fridericum III. Imperatorem reliquosque imperii status facta, in qua collationes beneficiorum certis regulis determinantur.

2. *Todos los concordatos son una ventaja real para la corte de Roma; porque con ellos puede conseguir lo que no conseguiria de la obstinacion de algunos Principes que conociesen sus derechos.* (Historia de la bula *in cœna Domini* 3. part. pag. 28).

§. 259. Confirmationes episcoporum restituta etiam capitulis eligendi libertate in concordatis Germaniæ Pontifici sunt reservatæ. Antea quidem episcopi confirmati sunt a Metropolitanis in synodis provincialibus, quæ quotannis semel, in quibusdam provinciis etiam bis habebantur. Verum seculo XIV. ubi per reservationes pontificias nominationes ad sedem Romanam sunt devolutæ, etiam jus confirmandi Metropolitanis est ademptum [1].

1. Indignum quippe videbatur, ut a Pontifice ad episcopatum designatus a Metropolitano confirmationem petere juberetur, quod tantumdem fuisset, ac nominationem pontificiam Metropolitani judicio probandam, vel improbandam subjicere.

§. 260. Et universim omnia fere jura jurisdictionis Metropolitanis olim competentia Pontifices sibi reservarunt. Jus episcopos confirmandi, exauthorandi, a residentia dispensandi, resignationes eorum recipiendi, episcopatus erigendi, uniendi, dividendi jura erant, quæ Metropolitani in synodis provincialibus exercuere, at vero post evulgatas pseudo decretales Isidori semper magis & magis imminuta, donec tandem sibi ea Pontifices privative reservarunt [1].

1. Ratio hujus in promptu est. Jura hæc Metropolitani maxima ex parte in synodis provincialibus exercuerunt, at postquam concilia provincialia statis temporibus celebrare in desuetudinem venit, falsæ etiam Isidori decretales dicerent, jura prædicta soli Pontifici competere, mirandum nihil, ea ad sedem Romanam devoluta fuisse.

§. 261. Quare spirituali Romani Pontificis potestate argumentis ex falsis decretalibus deductis latius extensa necesse fuit jurisdictionis partem aliis committere, cum nec Papa in remotas provincias proficisci, nec omnes episcopos ad se vocare posset. Hinc a seculo XI. frequentissimæ legationes adornari cœptæ. *Legati* vero duplicis erant generis, episcopi vel Abbates illius provinciæ, in qua causa discutienda, vel cardinales Roma illuc missi. Legati ex provincia etiam erant diversi, nempe aliqui speciali Papæ mandato constituebantur, alii suæ sedis prærogativa hac authoritate gaudebant, seque *legatos natos* dicebant. Porro legati Roma missi *legatos a latere* se adpellabant, ut indicarent, quod ipsos Papa latus suum comitari solitos misisset. Ceterum vocem istam ex concilio Sardicensi acceperant.

§. 262. Legati nati ægre ferebant, quod Papa, privilegiis suis præteritis, alios constitueret; sed Papa majorem fiduciam posuit in illis, quos libere delegit, quam in Præsulibus vel sibi ignotis vel suspectis. Inter illos autem, quos delegit, populis gratissimi erant viri in ipsa provincia degentes, utpote ad cognoscendam, & sententiam proferendam magis idonei quam exteri de provincia remota advecti. (*Fleury*, *Diss. IV.*)

§. 263. Nihil vero magis legatis a latere invidiam creavit, quam eorum fastus, luxus & avaritia. Iter fecerant nec suis nec Papæ sumptibus, sed provinciæ, ad quam mittebantur. Ingenti autem comitatu cincti proficiscebantur, nempe viginti quinque saltem equis, hunc enim numerum ne excederent, concilium Lateranense III. præscripsit. Quacunque transibant, ab episcopis & Abbatibus magnifice sustentabantur, & nonnunquam monasteria, ut pecuniæ suppeterent, vasa sacra vendere cogebantur. Sed necdum satis: muneribus quoque cumulandi erant legati, quæ a

Principibus illius provinciæ, sæpe etiam a Patribus, quibus administrabant justitiam, acceperunt, inde factum, ut legationes susceptæ cardinalibus pro aurifodina erant, unde plerumque divitiis onusti redibant [1].

1. Hanc ob rem hortatus est S. Bernardus Eugenium III. Papam, ut tales eligerentur in legatos: *qui ecclesias non spoliant, sed emendant, qui marsupia non exhauriunt, sed corda reficiunt, & crimina corrigunt, qui cum ad apostolicam redierint sedem, redeant fatigati, & non suffarcinati &c.*

§. 264. Fructus legationis sæpissime erat concilium, quod legatus, quo tempore & loco ipsi videbatur, convocavit. Ipse conventui præerat, causas ad se delatas definivit & nonnullos canones ad disciplinam spectantes promulgavit. In paulatim concilia provincialia, quæ quotannis celebranda erant, exoleverunt. Dignitas archiepiscopalis a legatorum splendore obfuscata, in titulos & ritus abiit, quales sunt pallium [1] gerere, & post crucem sibi prælatam incedere. Non tamen desunt exempla, quod legati pontificii quandoque ab Imperantibus sint rejecti [2].

1. Olim pallium a Pontifice gratis dabatur, invaluit postea, ut ad sustentandos curiæ Romanæ officiales aliquid exigeretur, quæ summa ita augebatur, ut natio Germanica contra ejusmodi exactiones nimium graves apud Imp. Maximilianum I. & Carolum V. gravamina interposuerit.

2. Exempla ejusmodi refert *Petrus de Marca & Van-Espen*, facitque huc etiam Epist. Friderici Imp. ad Hadrianum IV. Papam, qua respondet querelæ illius, quod missis ad Imperatorem cardinalibus non tantum ecclesias, sed & portas urbis occludi jussisset.

CAPUT SEPTIMUM

DE

MONACHIS.

§. 265. Nulli monachorum seculo XI. majori florebant sanctitatis & virtutis opinione, quam *Cluniacenses* in Gallia, quare eorum institutum per totam Europam est propagatum, eorumque exemplum alios quoque invitabat, ut similes monachorum congregationes institueret [1]. Verum quo latius Cluniacensium congregatio propagata est, eo majus disciplinæ detrimentum sensit, cujus ruinæ causam si quæras, eam præcipue in copia *divitiarum* [2] & multiplicatione *precum vocalium* [3] invenies.

1. Anno enim 1023. *Romualdus* Italus in Campum-Malduli desertum locum in

Apennini jugis secessit, ibique congregationis *Camalduensis* fundamenta jecit. Dividuntur sectatores ejus in *cœnobitas & eremitas*, utrique duris & asperis legibus vivere jussi sunt, sed cœnobitæ haud parum a pristino rigore defecerunt. Paulo post *Joannes Gualbertus* Florentinus in valle umbrosa in Apenninis pariter montibus sita congregationem *vallumbrosam* condidit. Ita evenit, ut familia Benedictina, quæ antea unum corpus fuerat, in diversas familias discerperetur uni quidem regulæ subjectas, at moribus tamen, institutis & vivendi ratione discrepantes.

2. Primi Abbates Cluniacenses amorem Principum, Regum ac Imperatorum sibi attraxere, a quibus munificentia copiose repleti sunt. A temporibus enim S. Odonis secundi Cluniacensium Abbatis numerus donationum jam adeo excreverat, ut de facto adhuc 188. diplomata supersint. Timendum est, ne monachi isti satis recogitaverint incommoda divitiarum in evangelio tam bene notata, ac ab ipsis etiam philosophis Gentilibus agnita. Divites naturaliter sunt superbi, utpote persuasi, se nemine indigere, sibique nihil unquam defuturum. (*Paul. I. ad Tim. C. 6. v. 17*).

3. Precibus enim a S. Benedicto præscriptis multa adhuc accesserant, prout ex moribus Cluniacensibus a S. Udalrico vivente sub seculi XI. fine descriptis adparet. Inter alia officium defunctorum, cujus ipsi authores erant, addiderant, quodque per integri anni decursum cantabant. Longa isthæc psalmodia definitum laboribus manuum tempus abstulit, id quod ipse Petrus venerabilis, dum S. Bernardi objectionibus respondet, fatetur dicens: *Regula laborem manuum ideo solum præscribit, ut otium evitetur, quod fugimus, dum sacris precum, lectionis, & psalmodiæ exercitiis vacamus*, quasi vero Benedictus sacris hisce exercitiis non sat temporis assignasset. Forte Petrus Venerabilis præjudiciis illius ævi deceptus corporis labores ceu exercitium vile & servile intuebatur. Antiquitas aliter judicavit, ut enim de Israelitis & aliis orientalibus taceam, Græci & Romani in laboribus manuum gloriabantur, ast nationes Germaniæ ac barbari septentrionis populi venationibus tantum & bellis occupati agriculturam & artes nunquam non contempsere, prout adhuc ex nobilium nostrorum moribus videmus.

§. 266. Collapsa itaque Cluniacensium disciplina exeunte seculo XI. anno nimirum 1098. novus prodiit vitæ monasticæ restaurator *Robertus* Molismensis in Burgundia Galliæ provincia Abbas. Cum enim monachos suos nullo modo ad vitam ex præscripto regulæ S. Benedicti agendam inducere posset, cum viginti sociis Cistercium (*Cister*) migravit, erat vero locus ille desertus, sylvestris, & sentibus horridus, ubi celebrem Cisterciensium ordinem inchoavit. Suprema huic ordini lex erat regula S. Benedicti, cui adcuratissime satisfacere suos omnibus benignioribus interpretionibus semotis voluit Robertus reasumpta quoque veste candida. Admiratione virtutum ordo ille brevi tempore omnem Europam peragravit [1]. Cum vero Cistercienses strictius vixissent, quam Cluniacenses, neque divitias adhuc possedissent, non exiguam authoritatis, qua Cluniacenses ante valuerant, partem ad se traxerunt [2].

1. Inter primas Cisterciæ filias fuit etiam monasterium *Claravallense*, cui S. Bernardus Abbas datus est. Hujus autem viri sanctitas ac doctrina tam illustris fuit, ut a multis habebatur ipse ordinis Cisterciensis conditor, & Cistercienses monachi *Bernardini* audiant, *interim tamen fatendum est, ejus zelum discretio-*

ne haud satis fuisse temperatum, si sanitatem spectes, quam immoderatis corporis macerationibus mature perdidit. Pluris æstimo Ægyptios, aliosque antiquos monachos, qui austeritatem sanitati ita adtemperabant, ut non raro centesimum annum adtingerent. (Fleury Diss. VIII. in H. E.)

2. Ita vero in dies tam numero, quam opibus & potentia crescebant, ad quæ incrementa nemo magis contulit, quam S. Bernardus vir immensæ per Christianam Europam authoritatis. Centum, & sexaginta cœnobia ei aut origines, aut leges suas debent, cumque moreretur, septingentos in Clarævallensi monasterio reliquit monachos. Ex discipulis ejus præter multos archiepiscopos, & episcopos ipse erat Papa *Eugenius III.*

§. 267. Prosperrimæ vero res familiæ Cisterciensis Cluniacensium accendebant invidiam, & graves primum simultates, dein apertas inimicitias inter has binas opulentas & potentes familias pariebant. Uterque ordo S. Benedicti regulam sequebatur, verum differebat tum vestimentis, tum institutis regulæ additis. Cistercienses querebantur, quod Cluniacenses valde a prima disciplina sua deflexerint [1]. Huic liti alia vehementior accessit de decimis; nam *Innocentius* II. anno 1132. Cistercienses ex agris, quos possidebant, decimarum solutione liberavit, quos inter agros quum multi essent subjecti Cluniacensibus, hi gravissime Innocentii liberalitatem ferebant, & propterea cum Cisterciensibus rixabantur.

1. Bernardus Cisterciensium oraculum primus anno 1127. scripto Cluniacenses est adgressus, respondit ei *S. Petrus Venerabilis* Cluniacensis Abbas.

§. 268. Duæ erant causæ, ob quas Cisterciensium ordo primævum amisit splendorem. Sicut enim Cluniacenses divitiæ opinione citius corruperant, ita etiam in ordine Cisterciensium factum. Altera causa collapsa disciplinæ monasticæ erat introducta ibidem novitas, distinctio nimirum monachorum *chori*, & fratrum *laicorum*. Regula Benedictina nullam hujus distinctionis facit mentionem, atque ad seculum undecimum usque monachi ipsi omnis generis servitia sibi invicem exhibebant, iisdem laboribus omnes occupati [1].

1. Joannes Gualbertus vallis-umbrosæ Abbas primus in suo monasterio instituit fratres laicos anno 1040, cujus ratio fuisse videtur ignorantia laicorum, qui etsi nobiles essent, ut plurimum ne quidem legere sciebant, ita quidem, ut cum lingua latina non amplius esset vernacula, sicuti erat tempore S. Benedicti, nec psalmos memoriæ mandare, nec e lectionibus in divino officio recitari consuetis proficere possent: cum monachi tum magna ex parte vel jam essent clerici, vel saltem clericatui destinati. Fratres igitur laici isti corporalibus occupabantur laboribus, œconomia campestri, ac negotiis extraneis, precum loco ad quamlibet horam canonicam certus orationum dominicarum numerus ipsis præscribebatur, quod ut exequi possent, grana filo conjuncta gestabant. Cistercienses prout & Grandimontenses & Carthusiani ejusmodi fratres laicos mox ab origine habuerunt, atque omnes ordines religiosi sequioribus temporibus nati illorum exemplum secuti sunt. Tandem hoc etiam ad moniales propagatum est, penes quas dominicellæ chori a sororibus laicis distin-

gruntur, quamvis eadem ratio hic non subsit, cum passim istæ non plus idiomatis latini calleant ac illæ. Jam vero hæc religiosorum distinctio fons fuit inexhaustus relaxationis. Monachi chori videntes infra se positos fratres eosdem ceu ignorantes hominesque incultos ipsorum obsequio destinatos intuebantur, se ipsos vero ceu totidem Dominos putabant. Ab hoc igitur potissimum tempore religiosi labores manuum ipsis haud dignos judicabant, utpote orationibus & studiis satis jam occupati. Ex altera parte fratres laici fomes divisionis fuere in monasteriis, quæ duplici tanquam diverso composita corpore perfecte unita amplius non fuerant. Fratres litteris, ac sæpe etiam educatione carentes quandoque dominium ambiebant tanquam magis necessarii pro temporali, quod a spirituali supponitur, prius enim est, ut vivas, quam ut ores, ac studeas.

§. 269. Regula S. Benedicti quibusdam mitior, aliis minus plena, nec ad omnia, quæ pietas erga Deum postulat, officia adcommodata videbatur. Inde vero novæ monachorum familiæ institutæ sunt. Primum Stephanus de *Tierno*, vel *Tigerno*, quem alii Stephanum de *Mureto* a loco nominant, in quo primum familiæ suæ collegium anno 1073. extruxit, a Gregorio VII. facultatem impetravit, novum ordinem instituendi. Statuerat primo socios suos regulæ S. Benedicti alligare, at mentem deinde mutavit, ipseque illis instituti leges tulit. Multa sunt in eo valde gravia, paupertatem imprimis & obedientiam inculcat, terras extra metas monasterii possidere prohibet, ne pecorum quidem possesionem permittit, esum carnium prorsus ipsis etiam ægrotantibus adimit, silentium stricte servari jubet, solitudinem tantopere commendat, ut nullis nisi magnæ authoritatis viris accessum ad domicilia fratrum adperiat, denique rei familiaris administrationem fratribus laicis commisit, clericos divinarum rerum contemplationi unice operam dare volens [1]. Incredibilis erat XI. & XII. seculo hujus ordinis existimatio, donec hæc & alia severa servabantur, ea vero prorsus cecidit cohortis gravibus inter clericos, & fratres laicos inimicitiis, quorum hi supra clericos se efferebant [2]. Regulæ severitas refrigescente fervore horum monachorum mitigata est ab *Innocentio IV.*

1. Hæc monachorum familia *Grandimontensis* ordo vocatur, quoniam Muretum, in quo primum ejus domicilium conditum est, prope Grandimontem est situm.

2. Hæc jurgia usque ad aures Papæ, qui tunc erant *Innocentius III.*, venerunt, qui omnibus, quæ pars utraque exponenda pararet, auditis fratribus laicis præcepit, monachos honorent, in spiritualibus subditi essent, nec de officio divino quidquam decernere præsumerent.

§. 270. Ordo *Carthusianus* a S. *Brunone* Remensis ecclesiæ magistro & cancellario in rupe altissima diœceseos Gratianopolitanæ, cui Carthusiæ nomen, anno 1086. est institutus [1]. Lente novum hoc vitæ solitariæ genus per Europam manavit in comparatione propagationis ordinum reliquorum, sero ad sexum fæ-

mineum pervenit [2], imo nunquam in hoc sexu radices agere poterat, quod legum asperitati est tribuendum.

1. Secessui Brunonis in eremum id dedisse occasionem olim communis fuit opinio, quod in exequiis pro quodam canonico Parisiensi celebratis, dum caneretur lectio: *responde mihi*, mortuus prima die inclamaverit: *justo Dei judicio accusatus sum*, secunda die: *justo Dei judicio judicatus sum*, & demum die tertia: *justo Dei judicio condemnatus sum.* Postquam vero Jo. Launojus singulari libro: *de causa secessus Brunonis in desertum* narrationem hanc impugnavit, in fabulis ea numerari cœpit. Veram secessus Brunonis causam refert *Guibertus* Abbas Novigentensis de vita sua cap. 2. his verbis: *Remis degebat vir, cui nomen Bruno, artibus liberalibus instructissimus, severiorum scientiarum doctor, in ecclesia Galliæ celebratissimus, qui cum dissolutam vitæ rationem in Manasse Archiepiscopo impatientissime ferret, cum quibusdam viris ecclesiasticis spectatissimis civitate excessit, quin etiam mundo renunciare, & omnes necessitudines suas fugere statuit.*

2. Virgines Carthusianas plerique eorum omittunt, qui de hoc ordine scripserunt, & multi propterea perhibent, carere Carthusianos virginum. seu monialium sodalitatibus; at habet tamen etiam hæc familia fœminei sexus collegia, verum pauca tantum, pleraque enim interierunt, & singulari lege anno 1368. cautum est, ne qua deinceps mulierum societas carthusiana instituatur. Igitur quinque tantum monialium Carthusianarum collegia, quatuor in Gallia, unam *Burgis* in Belgio.

§. 271. Medio seculo XII. elapso *Bertholdus* quidam gente Calaber cum paucis sociis in montem Carmelum migravit, eoque loco, ubi *Elias* delituisse olim dicitur, humilem domum & parvam ecclesiam extruxit, in qua ipse cum fratribus vitam ageret laboriosam & solitariam. Quum vero primis his montis Carmeli incolis semper alii succederent, *Albertus* Patriarcha Hierosolymitanus sub sequentis seculi exordium regulam vivendi illis præscripsit, quam Pontifices deinde confirmarunt, & multis etiam modis mutarunt ac mitigarunt. Hæc prima sunt initia familiæ *Carmelitarum*, vel ut alias dicitur B. Mariæ de monte Carmelo, quæ sequenti tempore ex Syria in Europam migravit, & inter ordines mendicantes non infimum obtinuit locum.

1. Ipsi quidem Carmelitæ origines has cum indignatione olim repudiarunt (moderni enim hac in re rectiora sentiunt) & prophetam Eliam sui ordinis conditorem esse contendunt, sed paucis, imo nullis extra societatem suam antiquissimam hanc originem persuadere poterant. *Dan. Papebrochio* immanem Romæ litem movebant Carmelitæ, eo quod Eliam ordinis conditorem fuisse negaverit. Provocabant ad Papam *Innocentium XII.*, contendentes, vitas sanctorum, quæ nomen Papebrochii præseferant, erroribus multis scatere. Papa rei cognitionem congregationi Indicis commisit, cum autem Carmelitæ putassent, se in Hispania majori pollere authoritate, eosdem Papebrochii libros anno 1691. *Inquisitori* detulerunt. Igitur in Hispania 14. Tomi hujus operis, nempe vitæ sanctorum mensium Martii, Aprilis & Maji ab Inquisitoribus damnati sunt. Hæc tamen controversia anno 1698. ab Innocentio XII. ita composita est, ut parti utrique silentium imponeretur.

§. 272. Vivendi ratio canonicorum regularium juxta institutum Chrodegangi (§. 516. Tom. I.) ad seculum usque decimum du-

rabat, quo tempore non pauci, imo & integra collegia vitam communem abjecere, ad quam restituendam seculo XI. Nicolaus II., aliique putabant paupertatem multum conferre posse. Inde autem factum, ut aliqui vitam communem reasumpserint eadem domo & mensa utentes retento tamen patrimonio & proprietatis jure, alii vero vitæ communi authore potissimum *Ivone* Carnotensi etiam votum paupertatis adjecere, hinc distinctio canonicorum ***secularium*, *& regularium*** [1].

1. Quia S. Augustinus pari fere ratione, qua Ivo Clerum suum instituerat, etsi nullam eorum in litteris retulit regulam, ideo regulares canonici etiam ***canonici regulares S. Augustini*** vocabantur.

§. 273. Labentem multis seculis canonicorum regularium disciplinam instaurare voluit *Norbertus* Germanus. Novus ejus ordo *Præmonstrati* in Gallia anno 1121. institutus, atque ideo ordo Præmonstratensium dictus est. Fuit amplexus regulam S. Augustini, & placuit illi accipere vestem candidam.

§ 274. Monendum hic de *exemptione* monachorum a jurisdictione episcopi, quæ seculo XII. mirum in modum auctæ fuerant, quia querelæ contra illas ante hoc tempus nullæ leguntur. Hoc autem seculo contra eas invectus est *Petrus Blesensis* Epist. 68. ad Alexandrum III., præcipue vero S. Bernardus in duplici scriptorum suorum loco scilicet in Epist. ad Hincmarum Archiepiscopum Senonensem de officiis episcoporum, & in libro de consideratione ad Eugenium Papam. In uno loco de monachis & Abbatibus, qui exemptiones impetrabant, in altero de Pontificibus, qui eas concedebant, conqueritur, in quo harum intuitu Pontificis potestatem in dubium revocat [1].

1. Exemptionum incommoda omnium oculis patent. Idem est, nullum habere superiorem, ac eum habere adeo remotum, tot tantisque curis occupatum. Inde est, quod episcopi & clerus eidem subjectus contemnuntur, inde est, quod in ecclesia continuæ oriuntur dissensiones, dum per exemptiones hierarchia quædam particularis efformatur. Miram exemptionum concessarum quidam earumdem patroni adferunt: nimirum ideo a Pontificibus concessas fuisse, ne prorsus carerent remuneratione tot labores, quos regulares pro ecclesia Dei subiere, ac si nullum remunerationis genus superesset, nisi quod jura alterius lædit, & in præjudicium tertii conceditur. Scimus equidem, quod ob quietem monasteriorum, & episcoporum tyrannidem has exemptiones plerumque Romani Pontifices indulserint, verumtamen in contrarium res versa est; monasteria enim, quæ hoc beneficium damnatissimæ libertatis sive apostolica authoritate, sive quod frequentius factum est, bullis adulterinis adepta sunt, plus inquietudinis, plus inobedientiæ incurrerunt: ideoque multæ domus has immunitates aut nunquam habere voluerunt, aut habitas continuo rejecerunt.

§. 275. Etsi *Innocentius III.* in concilio Lateranensi anno 1215 *novas religionis*, id est, novos monachorum ordines introduci vetuerat, multi tamen & ab ipso Innocentio & a sequentibus Ponti-

ficibus antea ignoti non tolerati tantum sunt, verum etiam adprobati, variisque privilegiis donati [1], quorum tamen aliqui jam sunt extincti [2].

1. Neque legem istam Lateranensis concilii tacite abrogatam fuisse mirabitur, qui ecclesiæ statum, qualis iis temporibus fuit, consideraverit; nam ut alia mittam, clerus secularis totus depravatus sua magis commoda quam ecclesiæ curabat, veteres monachorum familiæ a primis institutis suis omnes defecerant, omnes proin vitiorum progressus magis juvabant, quam morabantur. Igitur novis opus esse videbatur familiis, quæ malis ecclesiæ mederi aptæ essent. At vero ecclesiæ melius prospectum fuisset, si Pontifices & episcopi cleri secularis reformationi institissent, absque eo quod copias has extraneas in subsidium advocassent.

2. Ex horum genere sunt *Humiliati*, diu quidem ante seculum XIII. nati, sed ab Innocentio III. regulæ S. Benedicti subjecti & probati, quos anno 1571. Pius V. destruxit. *Jacobitæ* ab Innocentio III. quidem instituti, at post concilium Lugdunense esse desierunt. *Vallischolares*, qui non longe post initium seculi XIII. a scholaribus, id est, quatuor professoribus theologiæ Parisiensibus congregati, & hinc primum scholares dicti, deinde a valle quadam Campaniæ, in quam concesserant, accessionem nominis acceperunt, & Vallischolares dicti sunt. *Fratres B. Mariæ matris*, qui anno 1266. esse cœperunt, & anno 1274. jam deleti sunt. *Equites fidei, & charitatis* in Gallia publicis latrociniis oppositi, & a Gregorio IX. adprobati. *Fratres Eremitæ S. Wilhelmi* Ducis Aquitaniæ. Taceo fratres *Saccatos*, *Bethlehemiticos*, & plures alios minoris momenti.

§. 276. Bella Christianorum sacra in Palestina, in quibus multi Christiani a Machumedanis capti sunt, sub finem seculi XII. pepererunt ordinem *fratrum S. Trinitatis*, qui seculo XIII. demum stabilem formam accepit [1]. *Servitas*, seu servos B. Mariæ anno 1233. in Etruria fundarunt septem Florentini, inter quos Princeps *Philippus Benitius* [2].

1. Authores fuere Joannes de *Matha*, & Felix *Valesius*. Sodales dicuntur fratres S. Trinitatis, quia omnia eorum templa Trinitati sunt dicata, & fratres *de redemptione captivorum*, quia redimendis Christianis a Machumedanis captis imprimis studere, atque huic instituto tertiam redituum suorum partem impendere jussi sunt. In antiquis monumentis ordo hic etiam nominatur *ordo asinorum*, quia regula asinis equitare fratres jubet, & equorum usum prohibet.

2. Ordinis hujus lumen maximum erat *Fra-Paolo Sarpi* vir maximi ingenii, theologus Venetus, & celeberrimus historiæ concilii Tridentini scriptor, Romanæ curiæ infensissimus.

§. 277. Hos vero ordines, omnesque alios nobilitate, juribus, propagatione, aliisque rebus superavit longe familia *mendicantium*, quarum variæ seculo XIII. in Europa stabilitæ sunt. Ejusmodi familias summa ecclesiæ necessitas poscere videbatur [1], quod primus perspexit Innocentius III., cujus magna erat erga socie-

tates paupertatem profitentes benevolentia: fovebant easdem & animabant sequentes Pontifices, cum experientia eos magnam eorum esse utilitatem docuerit. Qua voluntate Pontificum cognita tantus ubique mendicantium familiarum numerus ortus est, ut brevi ingenti essent oneri tum reipublicæ tum ecclesiæ.

1. Antiquæ siquidem monachorum familiæ per divitias corruptæ sunt, clerici pariter avaritiæ, luxui, vitæque molli dediti erant. Sectæ autem istis temporibus exortæ ex altera parte paupertatem voluntariam commendarunt, suosque asseclas Apostolorum inopiam imitari jusserunt, & sacri ordinis vitia ex divitiis nata exprobrarunt. Itaque putabatur necessarium esse, ut etiam ex parte ecclesiæ Romanæ essent, qui pariter paupertatem apostolicam profiterentur.

§. 278. Gravi huic incommodo *Gregorius X.* in concilio generali Lugdunensi anno 1274. occurrebat. Nam ordines omnes post concilium ab Innocentio III. Romæ anno 1215. habitum prohibuit, & mendicantium, ut ipse ait, *effrænatam multitudinem* ad quatuor sectas redegit, Dominicanorum, Franciscanorum, Carmelitarum, & Augustinianorum Eremitarum [1]. His ordinibus cum Pontifices potestatem dedissent sese diffundendi, & ubique tam populum quam juventutem docendi, tota Europa in venerationem & amorem eorum subito exardescebat, populus vix alia quam mendicantium templa frequentabat, nusquam fere nisi apud eos sacramenta quærebat, qua ex re gravissimas pastorum ordinariorum querelas nasci oportebat. Imo tanta erat horum fratrum authoritas, ut in maximi momenti negotiis, in bellis componendis, fœderibus sanciendis, aulis regendis, vectigalibus colligendis, aliisque muneribus a monachi professione alienissimis adhiberentur, aut consultarentur.

1. Horum ordinem formaverat Alexander IV., qui varios Eremitarum cœtus in unam coire familiam, & iisdem legibus, quas Augustinum rogasse ferunt, vivere jussit.

§. 279. Longe tamen binis reliquis Carmelitis nimirum, & Augustinianis majorem gloriam & potentiam obtinuerunt familiæ Dominicanorum [1], & Franciscanorum [2], quæ quidem per tria secula totam fere ecclesiam & rempublicam gubernarunt, maxima ubique munera tam sacra quam civilia obibant, in omnibus academiis authoritate summa docuerunt, & pro Pontificum authoritate contra Reges & episcopos incredibili fervore ac felicitate militarunt. Quod post concilium Tridentinum erant *Jesuitæ*, id Franciscani & Dominicani a seculo XIII. usque ad concilium Tridentinum erant, anima nimirum ecclesiæ, & reipublicæ, omniumque rerum alicujus momenti authores.

1. S. *Dominicus* ex nobili Guzmanorum familia in Hispania anno 1170. natus, canonicus Oxomensis cum Didaco ejusdem ecclesiæ episcopo, cum Petro de Castro novo, Rodulpho & Arnaldo Cisterciensibus ad Albigenses expugnandos profectus est. Novem annos hoc in negotio insumpsit, dein novis adscitis sociis ordinem *Prædicatorum* instituit, quem adprobavit Innocentius III. Ne vero recens concilii Lateranensis decretum de novis religiosorum ordinibus non constituendis (§. 275.) violari statim videretur, jussu Papæ adprobatam regulam S. scilicet Augustini, quam olim inter Oxomenses canonicos professus est, elegit. Postea vero ad mendicantes transiit, atque in Bononiensi fratrum conventu generali anno 1220. ipsis paupertatem imperavit.

2. S. Franciscus Assisii in Umbria mercatoris filius anno 1182. natus erat. E fonte baptismi nomen *Joannes* tulit, sed exinde cognomento *Franciscus* est dictus, quod magna facilitate didicisset Francorum linguam tunc Italis ob commercium cum Francis necessariam. Ad mercaturam a patre destinatus erat, attamen magis voluptatum, quam pecuniæ desiderio capi videbatur. Ex gravi morbo convalescens splendidum vestitum suum viro nobili, sed egeno sibi obvianti donavit. Ut ecclesiam S. Damiani reparare posset, clam inscio parente pannos quosdam vendidit, & comparatam ex iis pecuniam presbytero, qui huic ecclesiæ præfuit obtulit. At is aurum accipere recusat timens indignationem parentis Francisci, ipse vero ablatam pecuniam per apertam fenestram in ecclesiam conjecit. Ablatam pecuniam ex vendito panno repetebat pater, cumque eam tandem apud memoratam fenestram invenisset, nonnihil mitigatus postea filium ad episcopum venire, atque cedere bonis paternis in perpetuum jusit, responditque Franciscus, se lubentissimo animo iturum. Ubi in conspectu episcopi steterunt, non expectavit, dum pater querelas exponeret, sed detractas sibi vestes reddidit, omniaque jura dimisit, cum vero vestimenta patri redderet, ajebat: *Hucusque adpellavi te patrem meum super terram, posthac major mihi facultas erit dicendi: Pater noster, qui es in cælis.* Inde ex urbe egressus in sylvas perrexit, at ob reparationem ecclesiæ S. Damiani Assissium reversus est, illasque ædes ex collectis eleemosynis restaurare cœpit. Hac perfecta aliam quoque ecclesiam S. Petro sacram & ab urbe magis remotam restaurare adgressus est, quo ædificio intra breve tempus consumato ad tertiam etiam sua opera reficiendam adjecit animum. Erat vero ista ecclesia S. Virginis sexcentis passibus Assisio distans a loco, in quo stabat, *Portiuncula* dicta, alio etiam nomine adpellabatur ecclesia Dominæ nostræ angelorum, ubi Franciscus sedem quacunque alia magis dilectam elegit. Quadam die cum in missa illum locum evangelii recitari audivisset: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta*, incredibili gaudio motus exclamavit: *Hoc est, quod volo.* Mox calceos, baculum, peram abjecit & pecuniam, ac unica servata tunica dimisso cingulo coriaceo fune lumbos constrinxit. Brevi nactus est discipulos, quos cum crescere vidisset, ipsis stylo simplici institutum conscripsit, cujus fundamentum posuit evangelium adjectis paucis præceptis quæ necessaria videbantur, ut omnibus fratribus unica vitæ ratio esset. Ivit porro Romam ab Innocentio III. regulæ suæ confirmationem petiturus, at Papa maximi momenti negotiis occupatus virum sibi ignotum ne quidem auditum repulit. Episcopus autem Sabinensis ad Papam, aliosque cardinales ajebat: *Cavete, ne si pauperis hujus viri preces respuitis, una evangelium rejiciatis*, qua re permotus Papa institutum ejus adprobavit, sed viva solum voce, quod factum anno 1210.

§. 280. Si ordinum mendicantium fundatores non essent sanctorum numero adscripti, suspicari quis posset (verba sunt Claudii Fleury Diss. VIII. in H. E.) eos amore proprio seduci se passos fuisse, seque distinguere, & supra alios sapere voluisse. Verum salva ejusmodi virorum sanctimonia de eorum luminibus minus bene sentire licet, ac timere, ne omnia illa sciverint, quæ

o:

scivisse e re fuisset [1]. Nec videntur fundatores fratrum mendicantium genuinam paupertatis evangelicæ notionem habuisse [2].

1. S. Franciscus existimavit, regulam suam esse ipsum evangelium omnino purum, citatis potissimum evangelii verbis insistens: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris* (Math. C. 10.) at nec cardinalis S. Pauli episcopus Sabinensis, ad Innocentium Papam dicens: *Si petitionem pauperis hujus hominis rejicis, vide ne evangelium rejicias*, nec ipsemet S. Franciscus satis considerasse videntur contextum prædicti scripturæ loci; nam Christus mittens Apostolos ad prædicandum eos mox ita alloquitur: *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmonem ejicite, gratis accepistis, gratis date.* Deinde subjungit: *nolite possidere aurum, neque argentum &c.* unde clarum est, Christum id solum intendisse, ut Apostoli ab avaritia abstraherentur, ac desiderio donum miraculorum in temporale commodum convertendi, & quid pro suscitatione mortui oblatum non fuisset? Christus addit: *dignus est operarius mercede sua*, quasi diceret, non esse Apostolis timendum, ne quid illis deesset, aut ne ii, quibus sanitatem aut vitam reddent, eos fame interire sinant. En! genuinum textus supra citati sensum. Sed inde haud sequebatur obligatio nutriendi homines, qui absque miraculis, & aliis missionis extraordinariæ signis mundum circuibant pœnitentiam prædicantes, idque eo magis, quod fideles dicere poterant: nos pastorum ordinariorum, quibus decimas, aliosque census solvimus, sustentatione abunde jam onerati sumus. Opportune quidem hæ copiæ extraneæ venere, ut pastorum ordinariorum maxima ex parte ignorantium, corruptorum, atque scandalosorum defectus supplerent, attamen utilius ecclesiæ fuisset cleri reformationi insistere, quam copias has extraneas assumere.

2. Clemens Alexandrinus a discipulis Apostolorum edoctus tractatum edidit supra quæstionem: quisnam dives sit ille, qui salvus fiet? ubi ita disserit: Divitiæ in se sunt indifferentes, sicut corporis vigor & pulchritudo, hæc sunt instrumenta, quibus bene vel male uti possumus. Bona temporalia, quorum abundantia divitias efficit, sunt materia necessaria plurium bonorum operum. Imo vero extrema paupertas in se potius mala est quam bona, virtutibus obicem ponit, & plurium est causa gravium tentationum, pusilanimitatis, & desperationis, unde scriptura dicit: *divitias & paupertatem ne dederis mihi* (Prov. cap. 30. v. 9.). Itaque haud crude accipiendum Christi effatum de vendendis omnibus, sicut nec illum de patre odio habendo. Dum igitur, ut divitiis renunciemus, Christus nos docet, duntaxat nos obligat ad retrænandos affectus, quos opes excitant, veluti superbiam, contemptum pauperum, voluptatum carnalium amorem, desiderium ditescendi in infinitum &c. vir opulentus, divitiis recte utens, easque Jobi ad exemplum perdere paratus, spiritu vere pauper est. Atque hæc sunt magni illius seculi II. doctoris Clementis Alexandrini principia doctrinæ scholasticæ & ascetarum ineptorum sophismatibus longe superiora, quibus positis inanes de voto paupertatis disputatiunculæ evanescunt, quæ fanaticam *Fraticellorum* sectam produxerunt. Sed demus ad essentiam paupertatis evangelicæ pertinere, ut non tantum renuncietur possessioni in *particulari* (ut præscribit regula Benedicti) sed etiam in *communi*, ita ut monasterium redituum fixorum prorsus nihil haberet, nondum tamen inde consequitur, mendicitate ex sudore parochiarum esse vivendum. Verum est, quibus certi deficiunt reditus, iis non nisi geminum sustentandi superest medium *laborandi*, vel *mendicandi*. Veteres Ægyptii anachoretæ nullos etiam certos habebant reditus, quem enim proventum e terra arida & arenosa, quam inhabitabant, trahere potuissent? ergo iis aut laborandum aut mendicandum erat. Mendicare non poterant in deserto *solitarie* viventes, necessario itaque laborare debebant. Fratres vero minores, aliique seculi XIII. religiosi mendicitatem prælegerunt prætexentes, se non solitudini sicut anachoretas destinatos esse, sed ut in mundo conversarentur peccatorum conversioni operam navaturi, hique non deerant, a quibus eleemosynas sperare poterant. Porro vita eorum errabunda, ac necessitas ea præparandi,

quæ ad populum dicerent cum laboribus manuum combinari haud posse videbatur. Demum autumabant, mendicitati plus inesse humilitatis, cum sit infimus societatis humanæ status, ac infra vilissimorum operariorum conditionem positus, idque eo magis, quo paupertas usque huc fuerit vilipensa. Equidem verum est, S. Franciscum discipulis suis laborem manuum imperasse, ad eleemosynæ collectionem nonnisi velut extremum permisisse refugium: *Volo laborare* (inquit in suo testamento) *& districte exigo, ut omnes ceteri fratres cuidam honesto labori incumbant, illique qui modum vel artem nesciunt, eam addiscent — — —. Si vero laboris nostri mercede nos privent homines, convertamur ad mensam Domini nostri ostiatim mendicantes.* Testamentum hoc claudit prohibitione expressa, ne quis suorum ullum a Pontifice privilegium petere audeat, ac ne minima regulæ suæ glossa aut interpretatio adjiciatur. At necdum quatuor ab obitu Francisci anni effluxerunt, cum jam fratres ejus in capitulo de anno 1230. congregati a *Gregorio IX.* bullam obtinerent, quæ eos testamenti observatione non teneri declarat, quæque regulam variis in articulis interpretatur. Itaque labores manuum odium, mendicitas vero antea odio habita honorem sibi conciliavit.

§. 281. Binæ hæ mendicantium familiæ Dominicani, & Franciscani cum in extirpandis hæreticis æque ac in Romani Pontificis potestate augenda seduli fuisset, a Pontificibus non modo negotiis & muneribus gravioribus præficiebantur [1], verum etiam summis & invidiosis juribus, seu privilegiis cohonestabantur, quæ inter id non postremum erat, quod ubique etiam sine licentia episcoporum verbum Dei prædicare, confessiones excipere [2], aliaque parochialia jura exercere possent. Per hæc vero beneficia tanta copia in mendicantes effusa quum antiqua disciplina labefactaretur, & jura pastorum ordinariorum læderentur, ingentes quærelæ contra eos sunt exortæ [3].

1. De ejusmodi muneribus notatu digna sunt verba Matthæi Parisiensis Hist. major. p. 634. *Fratres minores, & prædicatores invitos ut credimus, jam suos fecit Dominus Papa, non sine ordinis eorum læsione ac scandalo telonarios ac bedellos.* Idem p. 639. *Non cessavit Dominus Papa pecuniam aggregare, faciens de fratribus prædicatoribus & minoribus etiam invitis non jam piscatores hominum, sed nummorum.* Idem ad annum 1239. p. 465. *Facti sunt eo tempore prædicatores & minores Regum consiliarii & nuncii speciales, ut sicut quondam mollibus induti in Regum domibus erant, ita tunc qui vilibus vestiebantur, in domibus, cameris, & palatiis essent Principum.*

2. Alia fuit antiquæ ecclesiæ disciplina, quæ jubebat proprio suo parocho peccatorum conscientiam deonerare, ut nimirum parochus pastor ordinarius ex continuis suorum parochianorum confessionibus auditis eorum statum cognoscere plene, moribusque spiritualibus mederi queat. At quum mendicantes de uno loco in alterum vagantes ex Pontificum privilegio, quocunque venerant, confessiones exciperent parochiani peccabant audacius, parochis reddendæ rationis metu nullo coerciti aliique aliis dicebant: *Libere indulgeamus genio, crimina nostra haud ægre detecturi cuidam horum fratrum prædicatorum minorumve, qui apud nos transibunt, & quos nec vidimus unquam, nec postea videbimus.* (Fleury Tom. 20. pag. 536.)

3. Notæ sunt querelæ, quas propterea *Petrus de Vineis* Friderico Imp. a consiliis secretis in Epistola eidem Imperatori anno 1243. nomine cleri secula-

ris oblata mendicantibus movit: *Jam inde ob origine sua* (incipit Petrus de Vineis nomine cleri secularis proponere Imperatori) *mendicantes odium in nos conceptum impulit ad nostram vivendi, agendique rationem in concionibus suis infamandam* (indicium, clerum tum corruptum fuisse) *juraque nostra ita imminuunt, ut ad incitas redacti simus. Olim ex authoritate munerum nostrorum Principibus imperavimus, metumque populis incussimus, nunc irrisui eis ac ludibrio sumus. Fratres dum alienam in messem involabant, nostras paulatim functiones nobis præripuerunt, sacrum tribunal, baptismum, extremam unctionem, ac cœmeteria sibi arrogantes. Et modo ut eo magis attenuarent jura nostra, & bonam privatorum hominum voluntatem a nobis avocarent, duo sodalitia nova instituerunt, in quo viros ac fœminas tam generatim suscipiunt, ut fere nemo alterutri non sit insertus. Ita sodales in eorum templa cum conveniant, in nostris parochianos solemnibus præsertim diebus habere non possumus: & quod pejus est, male se putant agere, si verbum divinum ex aliis, quam his e fratribus audiant. Quamobrem decimis ac donis privati labore manuum, arte mechanica, vel lucro illicito quærere victum cogemur. Jam nullum nos inter & laicos discrimen, imo conditio nostra deterior est, quia nobis nec clericos cum honore, nec laicos per conscientiam esse licet. Quid restat igitur, nisi ut a fastigio ad ima fundamenta diruantur templa nostra? ubi præter æs campanum & fumosam quamdam imaginem nihil superest. Altaria quondam probe ornata vix operit linteum rude, idemque lacerum: pavimentum antehac lotum sollicite, bellisque herbis ac floribus constratum pulvis & sordes tegunt. Interea nobis potiores facti fratres mendicantes, qui casas primum & tuguria incolebant, altis suffulta columnis, & in peculiares divisa sedes palatia construxerunt, quorum sumptus ad indigentiam pauperum impendi debuerant: hi fratres, qui inter initia suorum ordinum res caducas & vanam gloriam calcare pedibus videbantur, contemptum resumunt fastum, nihilque habentes omnia possident, ipsis divitibus ditiores, & nobis, qui fortunis non imminuti dicimur, victus precario conquirendus est. Igitur ad Majestatis tuæ pedes accidimus, ut promptum malo remedium adhibeas, ne invalescente nos inter & fratres illos odio fides ex ipsis incrementi sui causis creditis periclitetur.* Similes querelas contra mendicantes protulit Matthæus Parisiensis.

§. 282. Has inter controversias mendicantium cum clero nobilissima erat lis Dominicanorum cum academia Parisiensi, quæ anno 1228. cœpit, & ad annum 1259. inter varias vicissitudines est protracta. Duas sibi Dominicani vindicabant in academia Parisiensi cathedras theologicas. Eripuit illis alteram academia, & lege lata statuit, nulli religiosi sectæ binas in academia cathedras theologicas concedi debere. Repetebant pertinacissime Dominicani amissam cathedram, academia contra eos a se, cum quiescere nollent, segregavit. Sequebantur vehementes utrinque motus, lite ad Papam delata, *Alexander IV.* anno 1255. academiam Parisiensem jussit non modo Dominicanis pristinum in societate litteraria locum reddere, verum etiam tot quot ipsi occupare vellent, cathedras concedere. Restitit fortiter academia, & difficile hinc bellum exortum. Verum Alexander Papa tot acerbis legibus, mandatis, & epistolis, quarum quadraginta numerantur, magistros Parisienses terruit & oppressit, ut anno 1259. manus darent, & Dominicanis non modo, sed etiam Franciscanis cathedras in academia concesserant.

§. 283. In hac celebri contentione nullus magis strenue, &

animosius causam academiæ egit, quam *Wilhelmus a S. Amore* doctor sorbonicus. Is enim cum in aliis scriptis, tum maxime libro *de periculis novissimorum temporum* fratres mendicantes in universum asperrime adgressus est, atque vitæ genus eorum præceptis Christi adversari, & temere a Pontificibus, ac *per errorem* (ut disserte ait) *ab ecclesia confirmatum* esse disputabat [1]. In hunc igitur formidolosum hostem ira Dominicanorum potissimum excanduit, quem vexare ac insectari non destiterunt, donec anno 1256. *Alexander IV.* librum hunc publice damnavit, authorem vero ejus Gallia excedere jussit, ne sorbonam denuo in mendicantes armare posset. Paruit Guillielmus mandato Pontificis, at sub *Clemente IV.* Parisios rediit, librum suum longiori opere illustravit, denique summa ibi existimatione est mortuus [2].

1. Nomen celeberrimum iste liber inde habet, quod author contendit, Pauli vaticinium Ep. 2. ad Tim. Cap. 3. v. 1. seq. de novissimorum temporum periculis in fratribus mendicantibus impletum esse. Summa hujus libri ad sequentes propositiones reduci potest: Religiosi mendicantes etsi a summo Pontifice & episcopo missi sint, prædicare non possunt nisi a plebanis fuerint invitati, 2. per mendicantes instant vel instabunt pericula novissimorum temporum universæ ecclesiæ, 3. de evangelio non possunt vivere, 4. vivere debent de labore corporis, 5. periculum est in mendicando, quoniam qui de mendicitate vivere volunt, fiunt adulatores, detractores, mendaces, & fures, a justitia declinantes, 6. omnia pro Christo relinquere, & sequi Christum mendicando non est opus perfectionis, 7. hinc viro perfecto, postquam reliquerit omnia, vivendum est aut laborando corporaliter manibus, aut intrando monasterium, ubi habeat necessaria vitæ, 8. prædicatores, qui vadunt ad orthodoxos, qui proprios habent apostolos, scilicet episcopos suos & presbyteros, non vadunt ad suam legationem, sed tanquam ad alienam, unde non sunt veri apostoli, sed pseudo — apostoli, & summe timendum est, ne per tales periclitetur ecclesia, nisi expellantur ab ea, 9. valido mendicanti facienda non est eleemosyna. 10. mendicus validus graviter delinquit, ergo si scienter se ponit in tali statu, videtur quod non sit in statu salvandorum, 11. religiosis non licet procurare, ut fiant magistri, quia magisterium honor est, hinc fratres non sunt admittendi in societatem scholasticam magistrorum secularium, nisi de ipsorum voluntate, nam cum sint in statu perfectionis, tenentur ad consilia, consilium autem Domini est Matth. C. 23. *Nolite vocari Rabbi* cum ergo velint docere solenniter, faciunt ut vocentur magistri, & sic vivunt contra Domini consilium, & ita publice peccant, & scandalizant, & sunt evitandi, 12. universim religiosos mendicantes velut pseudo — prædicatores, hypocritas, penetrantes domus, otiosos, curiosos, gyrovagos - adpellat. Quod ait Guillielmus a S. Amore, mendicantes *curiosos esse, & penetrantes domus* confirmat etiam Fleury Diss. VIII. in H. E. pag. 429. duce experientia. En ejus verba: *Ceterum si mendicitas religiosorum non nisi a seculo XIII. in ecclesia authoritatem accepit, non ideo credendum est, ejus inventionem esse novam; omni tempore visi sunt mendicantes sub philosophiæ quoque aut religionis prætextu. Philosophi Cynici mendicabant, Diogenes aliquando visus est a statua quadam stipem petere, ut, prout ipse dicebat, repulsam ferre disceret. S. Epiphanius occasione Messalianorum hæreticorum mendicitatis incommoda ostendit, insistit* [illegible] *ignavis obscœnis, ac vilibus blandimentis, ad quæ cohibendas divitibus, illis etiam, quorum bona male parta sunt,* [illegible] *inducit. Spectant huc* [illegible] *visitationes, adulationes, conversationes, & colloquia* [illegible], *&* [illegible] *mundanarum capiendarum ergo inventa, & quod omnium pessimum est, facilitas absolutionum, & theologiæ moralis relaxatio. Wilhelmus Durandus episcopus Mimatensis in suis expositionibus ad concilium Viennense multam erga reli-*

giosos mendicantes prodit propensionem, verum addit, prospiciendum esse ipsorum egestati, ut vel in communi sufficientes haberent reditus, vel labore manuum se sustentaret.

2. Laurentius Berti in Breviar. H. E. Part. 2. p. 96. Wilhelmum a S. Amore hæreticis adnumerat, at Nat. Alexander etsi & ipse Dominicanus omni partium studio semoto eum ab hæresi vindicat.

§. 284. Inter ipsos etiam mendicantes jam anno 1239. controversia est exorta: uter potiores haberet partes? fratres prædicatores dicebant: *Nos sumus priores, vestimur honestius, ad verbi divini præconium, quod est munus apostolicum, designati sumus, & ab illo nomen accepimus.* Fratres minores reponebant: *Amore Dei genus vivendi austerius, ac demissius, & hoc ipso sanctius amplexi sumus. Unde factum, ut vos transire ad nos possitis.* Ad ea prædicatores: *Verum est, vos nudis pedibus male amictos & cinctos funibus incedere; at quis vetat, ne carnibus ut nos vescamini, & palam quidem ac victu lautiori utamini? quare negamus, nobis transire ad vos licere, potius contrarium asserimus* [1].

1. Matthæus Parisiensis hanc referens litem suo nomine addit: *Ista fratrum mendicantium discordia eo periculosior est ecclesiæ, quod sint viri litterati & studiis dediti. Res auditu molesta! id hominum genus, quod ad summum octoginta abhinc annis in Anglia ponere domicilia cœpit, ab instituto suo magis descivit, quam ordo monasticus per annos plures quadringentos. Illi ædificia jam palatiorum instar erecta in dies extendunt, ideoque inæstimabiles ostentant opes contra paupertatem suæ professionis basin. Optimatibus ac opulentis viris morti proximis non sine damno pastorum ordinariorum studiose assistunt lucro intenti, secretaque testamenta extorquent, suum duntaxat ordinem posthabitis ceteris commendantes, ita ut nemo credat æternam salutem se consequi posse, nisi curæ prædicatorum, minorumve se committat. Conantur immunitates ac prærogativas adquirere, Regum ac procerum consiliis se immiscent, illorum cubicularios agunt & thesauros custodiunt, nuptiasque conciliant. Exequuntur exactiones Papæ, adulantur & mordent in suis concionibus, ac per correptiones imprudentes sacras confessiones produnt. Benedicti & Augustini ordines ab ecclesia adprobatos despiciunt, suum reliquis omnibus præferunt, Cistercienses monachos rudes, agrestes, & semilaicos, Cluniacenses superbos ac Epicuræos adpellant.*

§. 285. Ad has de præcedentia inter Dominicanos & Franciscanos lites accedebat alia anno 1237. circiter enata de stigmatibus S. Francisco impressis. Contendebant Franciscani Christum S. Francisco in monte *Alverno* stigmata, seu quinque vulnera modo miraculoso impressisse [1], anno vero 1237. in Bohemia *Fridericus* episcopus Olomucensis litteras patentes edidit, nec S. Franciscum, nec alium sanctum in ecclesia cum stigmatibus exhibendum esse, contrarium defendentes peccare, nec mereri fidem tanquam fidei inimicos. *Everhardus* ordinis Prædicatorum longius est progressus, nam in Silesia palam e suggestu dixit, S. Fran-

ciscum in corpore suo stigmata non habuisse, fratres minores populo imponere & falsa proferre, nec sine eleemosynæ copiosius adquirendæ gratia illud asserere. Sed Pontificum diplomatibus oppressi Dominicani cessarunt rem istam publice impugnare, quamquam tacite semper eam riserint.

1. Franciscum stigmata, seu formas quinque vulnerum Christi in corpore suo habuisse, nemo dubitat, satis enim multi & idonei sunt hujus rei testes; at non Deus aut angelus modo miraculoso, sed ipse Franciscus sibi ea impressit, ut perpetuam passionis dominicæ memoriam in corpore ferret, similisque Christo fieret. Nempe moris erat illa ætate, ut qui ceteris sanctiores videri vellent, ipsi stigmatibus ejusmodi se notarent, ad quam consuetudinem trahere solebant verba S. Pauli ad Gal. cap. 6. v. 17. ubi dicit Apostolus: *Stigmata Jesu Christi in corpore meo porto.* Et magnus sanctorum *stigmaticorum* index in actis sanctorum seculi XIV. & XV. colligi potest.

EPOCHA QUARTA

A

REFORMATIONE LUTHERI, SEU A CONCILIO TRIDENTINO AD NOSTRA USQUE TEMPORA.

INGRESSUS.

In hac epocha ordo narrationis mutari debet. Cum enim ecclesia Christiana ab hoc tempore in plures divisa est sectas, gesta omnium sectarum in una veluti & continua tabula exhiberi difficulter possunt. *Membratim* ergo incedendum, & in tot membra hæc epocha dividenda, quot diversæ Christianorum societates ortæ sunt. Causa scissionis ecclesiæ Christianæ erat reformatio a Luthero tentata. Hæc in Saxonia tenuibus initiis nata brevi universam Europam peragravit, & merito causa omnium mutationum tum in ecclesia tum in republica habetur, siquidem tum commoda tum incommoda ex ea orta nostra adhucdum sentiunt tempora. Historia proin reformationis mox ab exordio est exponenda. Memoriæ vero juvandæ causa reformationis historia in quatuor partes vel periodos dividitur, quarum prima explicat historiam cœptæ reformationis usque ad traditam Imperatori *confessionem Augustanam*, altera res ab hoc tempore ad belli usque *Smalcaldici* exordium, tertia ad pacem usque *religiosam* exponit, & quarta, quid eodem tempore hoc in negotio *extra Germaniam* gestum fuerit?

CAPUT PRIMUM

AB

INITIO REFORMATIONIS USQUE AD AUG. CONFESSIONEM.

§. 286. Auctor hujus reformationis erat *Martinus Lutherus* [1], quam suscepit occasione abusuum circa indulgentias commissorum [2]. *Julius* enim II. Papa basilicæ vaticanæ S. Petri fundamenta jecit, & ad hoc ædificium quid contribuentibus indulgentias concessit. Successor ejus *Leo X.* ædificium perficere cupiens novas eum in finem indulgentias indulsit, quarum in Germania promulgandarum provinciam demandavit *Alberto* Archiepiscopo Moguntino & Magdeburgensi, qui munus id commisit Joanni *Tezelio* ordinis Prædicatorum [3].

1. Natus fuit *Islebii* in Saxonia anno 1483. obscuris parentibus, humanioribus litteris imbutus *Erfordiam* se contulit, in qua lauream artium consecutus est anno ætatis suæ vigesimo. Juris deinde studium adgressus cum ruri esset fulminis ictu, qui sodalem suum enecavit, perterritus ordini Eremit. S. Aug. nomen dedit anno ætatis vigesimo secundo. Exin a *Friderico* cognomine Sapiente Saxoniæ Electore in academia Witebergensi professor theologiæ designatus est anno 1508. Dum suam cœpit reformationem annus agebatur post Christum natum 1517. sub Pontifice Leone X., Imperatore Maximiliano I., & Friderico Sapiente Saxoniæ Electore.

2. Usus indulgentiæ illæ, quæ consistit in remissione pœnitentiæ ecclesiasticæ in criminum satisfactionem impositæ antiquissimus est in ecclesia (§. 81. 1. & 189. 1. Tom. 1.), quamquam & hæ indulgentiæ antiquitus summa cum moderatione concederentur. At a seculo XI. alia indulgentia dari cœpit intuitu alicujus operis laboriosi propter evidentem aut adparentem ecclesiæ utilitatem suscepti. Inter hæc opera laboriosa fuit præprimis expeditio sacra in Palæstinam, quæ ut vidimus hortante *Urbano II.* in concilio Claromontano anno 1059. est decreta proposito canone: *Quicunque pro sola devotione, non pro honoris aut pecuniæ perceptione ad liberandam ecclesiam Dei Hierosolymam profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia ei reputetur.* Eadem remissio dein facta fuit iis, qui cum ipsi non possent, saltem suis sumtibus militem eo mitterent; dein vero etiam iis indulgentia dari cœpit, qui aliquid contribuerant ad ecclesiæ, monasterii & hospitalis reparationem.

3. Dum enim Pontifices pro indulgentiis eleemosynas colligerent, delecti aliqui sunt, iique plerumque Dominicani, qui *indulgentias prædicarent*, id est, qui populo denunciarent, se indulgentias lucrari posse, eumque ad conferendam eleemosynam excitarent. Ejusmodi indulgentiæ prædicatores alias dici solent *quæstores eleemosynarum.*

§. 287. Lutherus præter munus professoris in academia Wi-

tebergensi etiam munus confessarii obibat. Quidam pœnitentium, quorum confessiones exceperat, impositas pœnitentias hoc sub prætextu peragere detrectarunt, quod a Tezelio emerint *libellos indulgentiæ*, vi quorum ad nullam pœnitentiam in criminum satisfactionem impositam tenerentur, quare Lutherus ejusmodi pœnitentibus absolutionem denegavit, scripsitque epistolam ad Albertum Archiepiscopum Moguntinum, ex cujus delegatione Tezelius indulgentias prædicabat, in qua contra abusus, qui irrepserant, conquestus est [1]. Scripta est hæc epistola in vigilia omnium sanctorum anno 1517, ad cujus calcem adjecit 95. conclusiones aut theses, quas non expectato responso eadem die publice proposuit, & in templo super eodem argumento solemnem habuit concionem.

1. Nat. Alex. refert, Lutherum eum in modum scripsisse: *se quidem indulgentiarum prædicatores, quos non audierat, minime reprehendere, sed per vulgus serpere audacem fiduciam, quicunque eleemosynam quæsitam conferret, æternæ gloriæ certum esse, nec alia satisfactione indigere, ut culpa simul & pœna deleatur: nihil cogitari posse scripturæ sacræ repugnantius ea persuasione, cum S. Petrus doceat: vix justum esse salvum, & apud Amos ac Zachariam æquiparentur electi torribus e medio incendii subtractis, vim aliam indulgentiis non inesse, nisi a pœnis canonicis liberandi, quas imponit ecclesia.* Ita conquestus est eam ob causam, quod intellexisset Tezelium, dum munus indulgentias prædicandi aggressus fuisset, varia scandalosa populo prædicasse, uti: *quamprimum pecunia pro indulgentiæ libello in gazophilacium injicitur, animæ e purgatorio ad cœlum ascendunt. Crux, quam indulgentiarum prædicatores circumferunt, ejusdem est virtutis, quam ipsa crux Christi. Si S. Petrus hic præsens esset, non majorem haberet potestatem, quam quæstores eleemosynarum. Indulgentiæ non tantum delent peccata jam commissa, sed etiam primo committenda. Quatuor nummis animam vestrorum parentum e purgatorio liberare potestis, & quis adeo ingratus erit, ut negligat tam levi pretio id facere &c.* Aliqui contra in ea sunt sententia, quod, cum munus indulgentias prædicandi Dominicanis commissum fuerit, id Augustinianorum idem munus ambientium excitaverit invidiam, qua de causa *Staupitium* tum temporis ordinis Eremitarum S. Augustini per Germaniam vicarium generalem, & Friderico Saxoniæ Electori valde acceptum Luthero indulsisse, ut contra indulgentias declamaret, & hoc fuisse reformationis initium. Verum facile ex monumentis istorum temporum ostendi potest, munus indulgentias prædicandi ordinarie Dominicanis collatum fuisse, non itaque erat ratio, cur Augustiniani ægre tulissent, munus istud Tezelio fuisse commissum.

§. 288. Prima hæc Lutheri cum Tezelio lis in se mediocris erat, & si prudenter Leo X. egisset, sedari levi opera potuisset [1]; privata nempe duorum monachorum concertatio erat de finibus potestatis pontificiæ in concedendis indulgentiis. Lutherus ab initio potestatem concedendi indulgentias Pontifici non denegavit, id solum contendit, virtutem indulgentiarum ad delendas alterius vitæ pœnas se non extendere, quod imprudenter Tezelius populo inculcavit. At quum hæc controversia primum negligenter, postea minus sapienter tractaretur, paulatim disceptatio crescere, & a tenuibus initiis ad res longe gravissimas progrediebatur.

1. Elector Saxoniæ controversiæ finem imponere potuisset, si partibus litigan-

tibus silentium imposuisset. Imperantes enim civiles jus habent dissidia circa religionem in territorio exorta *tollendi*, & siquidem disputationes theologicæ mali radix essent, iis *imponendi finem. Si el elector de Sajonia Federico el sabio (que en efecto lo fué) hubiera tomado por su propia autoridad medidas atinadas para ahogar en su origen el miserable abuso de algunos predicadores de indulgencias que repugnaban á todas las reglas eclesiásticas, y hubiese impuesto profundo silencio á los disputadores de ambos partidos, como lo pedia su deber y su ciencia, sobre esta odiosa materia, lo que no querian ni podian hacer los obispos Sajones por miras politicas, entonces no habria tenido Lutero motivo para escribir, ó á lo menos no hubiera pasado tan adelante este asunto, y se habria evitado la terrible division que causó tantas desgracias á la iglesia y á los estados civiles.* (Historia de la bula de la Cena).

§. 289. Si Lutherus mox ab initio susceptæ reformationis essentialia religionis adgressus fuisset, nullos aut paucissimos habuisset asseclas; at vero cum sub initium nonnisi contra abusus indulgentiarum insurrexerit, eo minus mirandum, quod magna pars Germaniæ ei plaudebat, cum Germani jam dudum molestissime tulissent varios a curia Romana excogitatos modos & artes pecuniam corradendi (principiis enim juris publici & financiæ repugnat, pecunias ex provinciis eum in finem colligere, ut Romæ splendidum ædificium erigi possit). Ceteri vero, qui falso putabant, illimitatam esse Papæ potestatem in concedendis indulgentiis, mox Lutherum ut hæreticum traduxerant [1], atque ita eum exacerbarunt, ut ulterius progressus jam non in reformandis abusibus sisteret, sed ipsa religionis essentialia adgrederetur.

1. Hos inter primus erat Tezelius, qui 95. theses a Luthero expositas igni tradidit ut hæreticas, eumque binis in academia Francofurtensi ad Viadrum disputationibus pro gradu doctoris theologiæ impetrando habitis impugnavit. Hinc se jungebat Jo. *Ekius* theologus Ingolstadiensis, qui cum Luthero Lipsiæ in aula Ducis Georgii adstante Principe, senatu, & academia disputavit.

§. 290. Leo X. Papa primum hanc litem spernebat, sed monitus a Maximiliano Imp. rem agi minime parvam, & Germaniam in partes ire, Lutherum ad causam dicendam Romam vocavit. Intercessit huic Pontificis mandato Fridericus sapiens Saxoniæ Elector, qui causam Lutheri jure ecclesiæ Germanicæ in Germania discuti cupiebat. Concessit voluntati Friderici Pontifex, & Cardinalem *Thomam Cajetanum* legatum denominavit, coram quo in comitiis, quæ tunc habebantur Augustanis, Lutherus rationem suæ doctrinæ reddere jubebatur, cujus tamen legationis nullus erat fructus [1]. Interea Leo Papa in diplomate de anno 1518. die 9. Nov. dato declaravit, indulgentiarum efficaciam non tantum ad remissionem pœnitentiæ canonicæ ab ecclesia impositæ, verum etiam ad delendas pœnas purgatorii se extendere, qua re accepta Lutherus Witebergæ eodem anno 1518. a Pontifice ad futurum concilium generale adpellavit.

1. Imprudentiæ aula Romana in hoc puncto adcusari solet, quia aptior pro gerendo isto negotio legatus denominari debuisset; Cajetanus enim Dominicanus erat, & idcirco a Luthero tanquam hostis ejus habebatur, quod quidem unice in causa fuisse videtur, cur nullus fuerit legationis hujus effectus; nam Lutherus mense Octobri anno 1518. Augustam delatus ter cum legato pontificio colloquebatur, cujus tamen colloquii is erat exitus, ut a legato & ipso Pontifice de causa sua tunc nondum satis instructo ad eundem Pontificem, **cum melius fuerit de causa hac edoctus, adpellaverit.**

§. 291. Displicuisse ipsi aulæ Romanæ Cajetani legati rationem agendi cum Luthero, eo quod imperiose cum eo egerit, atque, ut errores nullis licet rationibus victus confiteretur, importune jusserit, testatur celeberrimus Paulus *Sarpi* in H. conc. Trid. L. 1. p. 22. Itaque eodem fere tempore Pontifex alteri legato negotium commisit Lutherum ad unionem cum ecclesia Romana reducendi. Is erat *Carolus Miltiz*, eques Saxonicus, Leonis Papæ cubicularius. Cum Luthero congressus Miltizius datam illi occasionem declamandi contra indulgentiarum abusus concessit, ejusque adversarios, præcipue Tezelium, objurgavit. Hac mansuetudine effecit Miltitius, ut Lutherus epistolas obsequii plenas ad Pontificem dederit, & de integro silentium circa indulgentias pollicitus fuerit, modo & ejus adversarii sileant [1].

1. In dicta Epist. his verbis Pontificem alloquitur: *Nunc beatissime Pater coram Deo, & tota creatura sua testor, me neque voluisse, neque hodie velle Romanæ ecclesiæ ac Beatitudinis tuæ potestatem ullo modo tangere, aut quacunque versutia demoliri, quin plenissime confiteor*, hujus *ecclesiæ potestatem esse super omnia &c.* **(Nat. Alex.)**

§. 292. Occasionem omnem legationis Miltitianæ fructum intervertendi dedit disputatio Lipsiana. Jo. Ekius Ingolstadiensis theologus dissensit cum *Carolstadio* archidiacono Wittembergensi de libero arbitrio. Is ergo Carolostadium more istius ætatis ad pugnam singularem Lipsiæ instituendam invitavit, & Lutherum etiam, contra quem scripto pugnaverat, provocavit [1]. Consensit Carolostadius in oblatum certamen, & constituta die 27. Junii anni 1519. in arena comparuit Luthero comite [2]. Per dies 17. disputatio Ekii cum Carolostadio continuata, dein Lutherus cum eodem congressus de Romani Pontificis primatu certavit, nihil vero effecerant disputantes, neque rector Lipsiensis *Hofmannus* arbiter pugnæ, utra pars vicisset, pronunciare voluit, sed cognitio causæ ad academiam Parisiensem & Erfurdiensem delata.

1. Bellicosum nimirum majorum nostrorum ingenium ad scholas etiam manabat, quique de rebus eruditis animosius dissenserant, ad pugnam se singularem, non secus ac milites ad duellum, provocare solebant. Hæ pugnæ in celebri quadam academia institui solebant, rectorque academiæ cum magistris judices arbitri erant certaminis, ac de victoria pronunciabant.

1. Inter testes & auditores disputationis hujus aderat quoque *Philippus Melan-*

chton Græcæ tum linguæ professor Witebergensis. Proprium ejus nomen patrio idiomate erat *Schwarzerd*, græce Melanchton, vigintiquatuor circiter annorum erat, cum anno 1521. ad Lutheri partes transiit.

§. 293. Dum Miltitius cum Luthero in Saxonia non sine boni eventus expectatione de pace egit, Ekius post disputationem Lipsiensem Romam properavit, ut exitium Lutheri acceleraret. Is ergo Romæ societate cum Dominicanis in aula pontificia potentissimis inita Leonem urgebat, ut Lutherum excommunicaret. Victus igitur ab his importunis monitionibus Papa præcipitantius, quam oportuisset, agens primam anno 1520. die 15. Junii legem in Lutherum promulgavit, qua una supra quadraginta ex ejus propositionibus damnata, scripta ejus rogo addicta, ipsum vero, nisi mandatis apostolicis intra sexaginta dies pareret, ejusque asseclas ut hæreticos capi & Roma mitti mandavit.

§. 294. Lutherus accepta hac prima contra eum sententia ad futurum concilium generale adpellavit. Paulo post cum prævideret, se præfixo a Papa termino elapso solemni excommunicatione ab ecclesia ejectum iri, ipse statuit ecclesia Romana exire, antequam a Pontifice inde ejiceretur, quod ut facto publico declararet, anno 1520. die 10. Decemb rogo extra urbis mœnia composito præsente magna multitudine tum sententiam Pontificis in se latam, tum corpus juris pontificii in ignem injecit [1]. Mense nondum elapso post hanc audacem actionem die 4. Januarii anni 1521. secuta est sententia excommunicationis in eum lata.

1. Atque hoc illud est temporis punctum, quo Lutherus novum cœtum, seu novam condere ecclesiam adgressus est.

§. 295. Inter hæc Imp. Maximilianus I. mortuus, & in ejus locum anno 1519. illius nepos *Carolus V.* Rex Hispaniarum suffectus est. Leo igitur Papa novum Imperatorem suscepti muneris *advocati & defensoris Ecclesiæ* admonuit, petiitque, ut rebellem ecclesiæ civem Lutherum justis pœnis afficeret, Fridericus contra Saxoniæ Elector Cæsarem obtestatus fuit, ne quid in Lutherum præpostere statueretur, sed omnia jure ecclesiæ Germanicæ legibusque imperii agerentur. Carolus Friderico tantum debebat, quantum nulli Principi, ejus enim potissimum cura & studio dignitatem imperialem obtinuit [1], quare ut & huic amico suo & simul Pontifici gratificaretur, Lutherum etsi jam a Papa excommunicatum in comitiis Wormatiensibus anno 1521. habendis audiendum esse, antequam quid in eum decerneretur, statuit [2].

1. *Muerto el Emperador Maximiliano resultaron poderosos partidos que se disputaban el imperio (vida de Carlos V. por Leti). Los dos mas poderosos fueron*

Francisco I., Rey de Francia, y Cárlos V. de España. Los electores para poner fin á las disputas, determinaron excluirlos como extrangeros y dar la corona imperial á un elector. Por unanimidad eligieron al de Sajonia Federico el sabio. Este pidió dos dias para pensarlo, y al tercero dió las gracias con gran modestia á los electores, y les hizo presente que en la edad avanzada que tenia, se hallaba sin fuerzas para tan pesada carga. Todas las exposiciones que le hicieron fueron vanas: los electores le pidieron que nombrase la persona que en su conciencia le pareciese mas á proposito, y le prometieron que se conformarian con su dictamen. Federico se escusó hasta que cediendo á las instancias de los electores se declaró por Cárlos V. (Cárlos Rolin.)

2. Mirum cuidam videri posset, & a lege ecclesiæ alienum, causam circa religionem versatam in comitiis imperii cognitam & tractatam fuisse; at sciendum est, comitia ista simul concilium nationis Germanicæ repræsentasse, quoniam archiepiscopi, episcopi, & abbates inter Germaniæ Principes sedent.

§. 296. Comparuit itaque fide Cæsaris publica munitus Lutherus Wormatiæ, atque die 17. & 18. mensis Aprilis prædicti anni 1521. in comitiis causam dixit. Namque quæsitus & monitus, ut sententias dimitteret adhuc defensas, & cum Pontifice in gratiam rediret, nunquam se id facturum constantissime respondit, nisi aut solidis rationibus er oris convinceretur. A quo proposito quum nullis sive minis sive promissis abduci poterat, domum quidem libere redeundi a Cæsare impetravit licentiam, at post discessum die 27. Maji communibus Cæsaris & Principum suffragiis una cum asseclis proscriptus est & *bannum imperii* contra illum declaratum. Redeuntem Fridericus Saxo in arcem *Wartburgam*, Cæsare fortassis haud inscio, duci jussit, in quo quidem castro, quod suum adpellabat *Pathmum*, per decem menses latuit tempus scribendo fallens.

§. 297. Ex hoc castro anno 1522. mense Martio inscio & invito Friderico Electore reddit Witembergam, quia ipso absente *Carolostadium*, aliosque periculosos excitare motus audivisset [1], quorum impetus fortiter repressit, & versionem sacræ scripturæ Germanicam, quam inchoaverat, paulatim absolvere adgressus est.

1. Eo enim absente Carolostadium missam abrogavit, Christum in eucharistia realiter præsentem esse negavit, quod tamen propugnabat Lutherus, & imagines e templis arisque dejecit.

§. 298. Hæc inter Leo X. Papa mortuus est anno 1522, successit ei *Hadrianus* VI. auxilio Caroli V. Imp., cujus præceptor fuerat. Hic Pontifex misso ad comitia imperii, quæ Norimbergæ anno 1522. & sequentibus habebantur, legato Franc. *Cheregato* enixe flagitavit, ne pœna in edicto Wormatiensi in Lutherum & sectatores ejus sancita diutius differretur, simul tamen paratum se esse demonstravit ad tollendos, quæ Lutherum exacerbarunt, abusus. Ad hæc mandata legationis proceribus Germa-

niæ a Cheregato communicata responderunt Principes, saluberrimum illis concilium videri, si Pontifex cum Imperatoris consensu intra annum concilium convocaret in quadam Germaniæ urbe, in quo quicunque interesset, vel ex laicis vel ecclesiasticis, libere proponere posset, quidquid e re reipublicæ Christianæ judicaret. Demum innovari quidquam in religione lege publica vetant, usque dum concilium, quid facto opus esset, sanciat. Præpeditus tamen fuit morte Hadrianus, antequam concilium convocare potuerit, nam mortuus jam est anno 1523, successit ei *Clemens VII.*

§. 299. Hac ratione dum propagari cœpisset Lutheri reformatio, duo eidem opposita sunt impedimenta, alterum *intestinum*, alterum *externum*. In ipsa enim eorum societate, qui se ab ecclesia Romana separarunt, lis de præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra cœna exorta est [1]. Extra cœtum illorum vero, qui Lutherum sectabantur, anno 1525. innumerabilis hominum seditiosorum multitudo per varias Germaniæ provincias grassabatur, bellumque magistratibus, legibus, & universæ reipublicæ rapinis, cædibus, & incendiis intulit [2].

1. Lutherus cum suis discipulis sententiam de conversione panis & vini in corpus, & sanguinem Christi quidem rejecit, attamen verum corpus & sanguinem Christi una cum pane & vino percipere ad eucharistiam accedentes adseverabat. Secus videbatur collegæ ejus Carolostadio docenti, abesse corpus Domini a sacra cœna, panem vero & vinum signa solum esse, quibus ad commemorationem passionis & mortis Christi excitari debeant homines. Hæc controversia longa & difficilis exardescebat ab anno 1524., & ad extremum Novatores in duas divisit sectas.

2. Maxima pars seditiosæ hujus turbæ ex rusticis constabat, qui imperium Dominorum suorum moleste tulerant, qua de causa *rusticanum bellum* (*Combate de los labradores*) seditio hæc adpellatur. Principio hæc seditio, quod libelli ab ipsis editi demonstrant, tota fere civile erat bellum, levari enim tantum parte tributorum cupiebant, nec de religione magnopere disputabatur. At quum furiosæ huic multitudini *Thomas Münzerus* se junxisset, ex civili bello, in Saxonia maxime & Thuringia religiosum & sacrum factum est. *Anabaptistarum* hi sectam instituisse feruntur; negabant enim licitum esse jurare, & nefas esse Christianis subire magistratus. Cessavit calamitas hæc post infelix rusticorum cum exercitu Germanorum Principum apud *Mülhusam* anno 1525. prælium. Münzerus capite plexus est.

§. 300. Cum formidolosa hæc seditio maxime ferveret, Fridericus sapiens anno 1525. mortuus est. Is medius quasi inter Pontificem & Lutherum steterat, nec desperaverat fore, ut pax restitueretur. Alia mens fratri ejus & successori Joanni erat, qui jus sibi sacrorum prorsus arrogavit. Hunc Joannem Lutheri asseclæ alterum ecclesiæ suæ conditorem & parentem nominare solent, sed ab hujus etiam Joannis tempore initium ducit Principum Germaniæ in religione dissensio, quæ antea modica fuerat; prudentia nimirum Friderici sapientis animos vinctos veluti tenebat, Joannes ve-

ro cum multis rebus publice testimonium dedisset, se ab ecclesia catholica sejungere prorsus velle, dissiliebant repente Principum animi antea mediocriter tantum disjuncti, aliis religionem antiquam tenentibus, aliis Lutheri partes sequentibus.

§. 301. Anno 1526. habebantur comitia Spirensia, quibus frater Caroli Imp. *Ferdinandus* præsidebat. His in comitiis Imperator per legatos jussit rixas circa religionem tolli, edictum vero Wormatiense in Lutherum, ejusque socios latum servari. Principum vero plerique integrum sibi esse negabant mandato huic obtemperare, certique aliquid statui hac de re posse, antequam concilium legitime convocatum eam cognovisset, hujus enim esse controversias in rebus religionis ortas dirimere. Hæc sententia post varias & longas concertationes obtinuit; omnes enim consensere, Imperatorem exorandum esse, ut concilium sine mora convocet, interea unicuique liberum fore, quomodo rem religionis administrare velit. Hoc decreto nihil opportunius illis esse poterat, qui partes Lutheri amplexi sunt; Imperator enim rebus Gallicis, Hispanicis, & Italicis impeditus [1] res Germanicas & imprimis causas religionis per aliquot annos agere non poterat, hinc vi decreti Spirensis Lutheri asseclæ res suas firmare & augere studebant.

1. Nam bellum gessit Carolus cum Francisco I. Galliæ Rege imperii Germanici competitore, quo victo cum Clemens VII. Papa fœdus cum Gallis & Venetis contra Imperatorem inivisset, adeo animum Caroli incendit, ut bellum in Italia Pontifici inferret, urbem Romam anno 1526. per Ducem suum *Carolum Borbonium* expugnaret, & Pontificem ipsum in castro S. Angeli obsideret.

§. 302. Ulteriorem tamen reformationis propagationem mox turbabant comitia Spirensia, quæ Imperator restituta cum Clemente VII. pace primo vere anni 1529. denuo cogi jussit. Parte enim majore consentiente potestas, quæ ante triennium in prioribus comitiis Spirensibus singulis data est rem religionis pro arbitrio ad concilii usque decisionem gubernandi, tollebatur, & omnis ante concilii definitionem religionis mutatio illicita pronunciabatur.

1. Contra hoc comitiorum conclusum protestati sunt *Joannes* Saxoniæ Elector, *Georgius* Elector Brandeburgicus, *Ernestus* & *Franciscus* Duces Lunæburgici, *Philippus* Hassiæ Landgravius & *Wolfgangus* Princeps Anhaltinus, quibus se quatuordecim civitates imperii adjunxere, ad Cæsarem futurumque concilium appellantes. Hinc *Protestantium* vocabulum natum est, quod ab eo tempore gerunt Lutheri asseclæ.

§. 303. Imperator in Germaniam rediens in comitiis Augustanis lites de religione natas cognoscere in persona propria proposuit (antea enim comitiis ejus nomine præfuit frater ipsius *Ferdi-*

nandus). Advenit Imp. Augustam Vindelicorum 15. Junii anni 1530. Nondum vero tum temporis brevis forma religionis & dogmatum, quæ Lutherus & ejus asseclæ profiteri vellent, extabat, quod tamen necessarium putabatur, ut in comitiis cognosci valeat, quid de rebus divinis sentiant, & causæ intelligi, ob quas Romanam ecclesiam deseruerint. Joannes Saxo Lutherum & alios quosdam doctores præcipua suæ religionis capita in litteras referre jussit, Lutherus septemdecim illa capita, quæ in Suobacensi conventu anno 1529. jam placuerant, sufficere judicavit, eademque Torgaviæ Electori Saxoniæ exhibuit, qua de causa *Torgavienses articuli* nominantur. Hæc igitur Philippo Melanchtoni materiam præbuerunt, ex qua jussu & authoritate Principum partim Coburgi partim Augustæ Vindelicorum illam confessionem, quæ *Augustana* vocatur, Luthero nunquam non consulto confecit, & amœniori oratione expressit.

CAPUT SECUNDUM

HISTORIA REFORMATIONIS AB OBLATA CONFESSIONE AUGUSTANA AD BELLI SCHMALCALDICI EXORDIUM.

§. 304. Carolus V., ut dictum, 15. mensis Junii anni 1530. Augustam Vindelicorum ingressus comitiorum initium die 20. ejusdem mensis fecit. Obtulerant ei ibidem Protestantes *confessionem Augustanam*, viginti & octo capita continentem [1]. Opposuerunt confessioni huic Catholici, qui præsentes erant, confutationem, quam Joannes *Faber* (episcopus postea Viennensis) Joannes *Ekius*, & Joannes *Cochlæus* composuere, quæ cum die 3. Aug. pariter in comitis prælecta fuisse, poscebat Imperator, ut in ea Protestantes adquiescerent & concordiam inirent, negabant vero Protestantes, satisfactum sibi hac confutatione fuisse, atque exemplare ejus sibi tradi volebant, quo dubia sua opponere possent, quas tamen preces Imperator recusabat, controversiam novis scriptis protrahi nolens [2].

1. Articulis 21. exponebat hæc confessio fidem & dogmata Protestantium, septem reliqui vero exprimebant abusus, quos ecclesiæ Romanæ opposuerant, nimirum 1.) de communione sub utraque specie, 2.) de conjugio sacerdotum, 3.) de missa, 4.) de confessione, 5.) de ciborum discrimine, 6.) de votis monachorum, 7.) de potestate ecclesiastica.

2. Nihilominus tamen Protestantes per Melanchtonem responsionem ad ea, quæ theologi præsentes ex auditione libelli Catholicorum acceperant, parari, & die 22. Septembris Cæsari offerri curabant, a quo tamen haud recipiebatur. Hæc responsio illa est Aug. conf. *Apologia* dein a Melanchtone emendata, quæ anno 1531. edita & libris *symbolicis* ecclesiæ Lutheranæ addita est.

§. 305. De concordia deinde actum. Septem utrinque delecti, qui operam in id conferrent, bini Principes, bini jureconsulti, & tres theologi. In multis dogmatibus Lutherani cum Catholicis consentire palam confessi sunt. Ex parte Protestantium theologorum partes præcipuas habebat Melanchton, qui ad concordiam satis erat proclivis, ut exprimit epistola ejus ad *Campegium* legatum pontificium [1], sed nihil est confectum, eo quod ipso *Sleidano* teste Melanchton ultra progredi a Luthero fuerit vetitus.

1. Refert hanc epistolam Georgius *Cœlestinus* Lutheranus in historia comitiorum Augustanorum: *Dogma nullum habemus diversum a Romana ecclesia — parati sumus obedire ecclesiæ Romanæ, modo ut illa pro sua clementia, qua semper erga omnes homines usa est, parva quædam vel dissimulet, vel relaxet. Ad hæc Romani Pontificis authoritatem & universam politiam ecclesiasticam reverenter colimus, modo non abjiciat nos Romanus Pontifex. Cum autem concordia facile possit constitui, si æquitas vestra paucis in rebus conveniat, & nos bona fide obedientiam reddamus, quorsum opus est supplices abjicere? quorsum opus est supplices ferro & igne prosequi? nullam aliam ob rem plus odii sustinemus in Germania, quam quia ecclesiæ Romanæ dogmata summa constantia defendimus. Hanc fidem Christo & Romanæ ecclesiæ ad extremum spiritum Deo volente præstabimus. Levis quædam dissimilitudo rituum est, quæ videtur obsistere posse concordiæ, sed ipsi canones fatentur, concordiam ecclesiæ in hujusmodi rituum dissimilitudine retineri posse.*

§. 306. In ordinum recessu Cæsar edictum promulgavit, quo tempus indulgebatur Principibus & civitatibus protestanticis usque ad 15. Aprilis, quo palam faterentur, an vellent usque ad futurum concilium cum ecclesia Romana ac cetera imperii parte in religione consentire. Interim ipsis præscribebatur, ne sinerent in suis ditionibus circa religionem quid innovari, ne suos subditos in exercenda perturbarent, omnibusque etiam injunctum, ut concilium adeundi essent parati, quod a Papa intra sex menses se impetraturum pollicebatur.

§. 307. Dum Protestantes vidissent, in comitiis Augustanis nihil favorabile se impetrasse, sed potius rem eorum labi, anno 1530. & sequenti Elector Saxoniæ cum sociis *Schmalcaldiæ* & postea *Francofurti* fœdus contra Catholicos inierant, in cujus societatem Reges Galliæ, Angliæ, Daniæ, aliosque Principes & respublicas pertrahere studebant. Cum ad bellum res spectare videretur, arbitros se inter dissidentes interposuerunt Elector Moguntinus & Palatinus, & satis ad pacem ob duas circumstantias [1] ipse propendebat Imperator. Post varias igitur consultationes anno 1532. Norimbergæ pax inter Imperatorem & Protestantes est condita [2],

& vix tali modo belli metus est sublatus, cum Joannes Saxoniæ Elector diem obierit, cui filius *Joannes Fridericus* successit.

1. Nam ipsi eodem tempore cum Turcis bellandum erat, neque ei auxilia contra hos præstare volebant Protestantes, & præterea *Ferdinandum* Imperatoris fratrem, qui anno 1531. in comitiis Coloniensibus Romanorum Rex majoribus Principum suffragiis creatus erat, contra leges imperii electum esse contendebant.

2. Pacis conditiones erant, ut Protestantes pecuniam in bellum Turcicum conferrent, & Ferdinandum Regem Romanorum agnoscerent, Carolus vero decreta comitiorum Wormatiensium & Augustanorum abrogaret, Lutherique sectatoribus plenum jus de religione, quæ vellent, statuendi concederet, dum aut in concilio intra sex menses celebrando, aut in comitiis imperii statueretur, quid circa religionem sentiendum sit.

§. 308. Cum jam omnis spes dissidii circa religionem tollendi in promisso concilio posita erat, Imperator Papam Clementem VII. obtestari non destitit, ut concilium maturaret. Is vero, quem præteritorum conciliorum, præsertim Constantiensis & Basileensis vestigia terrebant, moras unice quærebat, & armis magis quam conciliis discordiam tolli cupiebat. Promisit quidem anno 1533. per legatum concilium in Italia aut Mantuæ, aut Placentiæ, aut Bononiæ cogendum, sed displicere sibi concilium Italicum Protestantes significabant, litemque inter Germanos ortam intra Germaniæ fines terminandam esse contendebant. (*Paul. Sarpius L.* 1. *H. Conc. Trid.*)

§. 309. Mortuo anno 1534. Clemente VII. eidem successit *Paulus* III., qui de concilio ab Imperatore monitus facilior videbatur. Primo enim anno 1535. Mantuæ se concilium habere velle profitebatur, dein reipsa anno sequenti missis litteris illud indixit. Protestantes contra, quod putassent, in concilio hoc ex arbitrio & sententia Pontificis cuncta gestum iri, anno 1537. in conventu Schmalcaldiæ coacto abhorrere se quidem ab hujusmodi concilio suspecto profitebantur, at a Luthero tamen denuo summam religionis suæ conscribi curabant, quam episcopis in concilio congregatis exhibere possent. Id Lutheri scriptum *Articulorum Schmalcaldicorum* nomine insignitum, & libris symbolicis Lutheranorum adnumeratum.

§. 310. Cum Protestantes concilium in Italia celebrandum abhorrerent, illudque in Germania celebrari vellent, in comitiis post hac Spirensibus anno 1542. Papa per legatum promissionem de concilio renovavit, & *Tridenti* se illud convocaturum, si placeret, significavit. Rex Romanorum Ferdinandus & Princeps Catholici consenserant. Protestantes & locum & concilium Pontificis recusabant, liberum & Pontificis authoritate solutum conci-

lium postulabant, at nihilotamen minus Pontifex consentiente Imperatore concilium indixit, quod ineunte anno 1546. deliberationes suas inchoavit congregatis 6. cardinalibus, 4. legatis, 3. patriarchis, 32. archiepiscopis, 228. episcopis, & quampluribus theologis. Lutherus autem eodem anno 1546. die 18. Febr. in patria Islebiæ mortuus est.

CAPUT TERTIUM.

HISTORIA REFORMATIONIS A BELLI SCHMALCALDICI INITIO AD PACEM USQUE RELIGIOSAM.

§. 311. Cum Protestantes nec tot habitis comitiis concordiam inire, & etiam prima a concilio Tridentino edita decreta in comitiis Ratisbonensibus constanter recusare pergerent, Imperator contra illos bellare proposuit. Eduxit *Hassus* & *Saxo* copias suas contra Cæsarem in Bavariam & in castra ejus ad Ingolstadium tormentis bellicis fulminarunt. Prælium instare videbatur, sed quia *Mauritius* Joannis Friderici Saxoniæ Electoris patruus Imperatoris partes amplexus terras Saxonicas invasit, fœderati Schmalcaldici inter se dissentirent, denique argentum iis ex Gallia promissum non afferreretur, discessit exercitus Protestantium & Saxo domum rediit, quem Imperator magnis itineribus cum exercitu secutus prope *Mülburgum* ad Albim die 24. Aprilis anno 1547. post victoriam in pugna relatam captivum duxit. Alter Protestantium Dux *Philippus* Hassus suasu Mauritii & Electoris Brandeburgici súpplex Cæsari factus est.

§. 312. Post victoriam hanc ex integro salva videbatur res Catholicorum. Imperator in comitiis Augustanis paulo post coactis poscebat a Protestantibus, ut concilio Tridentino rem religionis controversam dirimendam committerent. Assentiebantur Imperatori plerique, Mauritius imprimis, qui electoratum Saxoniæ Joanni Friderico detractum cum parte terrarum ejus ab Imperatore acceperat. At fructu tamen hujus adprobationis concilii Tridentini Catholici excidebant; peste enim, ut fama ferebat, Tridenti exorta magna pars Patrum Bononiam migraverat, & concilium idcirco erat dissolutum, neque a Pontifice impetrare poterat Imperator, ut concilium sine mora redintegraret. Spes igitur concilii cum differenda esset, necesse videbatur Imperatori, ut *interim* ratio quædam inveniretur, juxta quam usque ad concilii definitionem religionis negotium determinandum esset, hinc libel-

lum componi curavit usque ad concilii definitionem religionis norma futurum. Dicebatur is vulgo, quia perpetuæ legis vim non haberet, *constitutio interim* [1] lata anno 1548.

1. De hac constitutione sequens est Natalis Alexandri judicium: *Carolus Imp. authoritatem sibi sumpsit de fidei & disciplinæ ecclesiasticæ quæstionibus decernendi, quod laicis Principibus non licet, manumque temere misit ad sacra, non ut arcam nutantem sustentaret, sed ut stantem concuteret, unde non minori pene execratione cæsareum illud interim dignum fuit, quam Zenonis Henoticon, Heraclii Ecthesis, & Constantis Typus*, cui & consentit *Raynaldus* edictum hoc temere *nefarium* adpellans; non enim est, cur atris adeo notetur carbonibus, siquidem nihil in illo contra fidem & dogmata invenitur, duo solum erant capita ad disciplinam pertinentia, in quibus variat a disciplina ecclesiæ Romanæ; nimirum concessit Imperator ad concilii definitionem usque eucharistiam sub utraque specie, & conjugium presbyterorum.

§. 313. Aliqui ex Principibus Protestanticis constitutionem interim receperunt, aliqui ei repugnabant. Medius inter hos hæsit Mauritius Saxo, qui anno 1548. cum ordinibus & theologis suis (quorum princeps Melanchton erat) quid facto opus esset consultavit. Longæ deliberationis finis erat, ut Melancthon sequentibus eum ceteris theologis censeret, totam constitutionem interim nullo modo admitti posse, at in rebus ad essentiam religionis haud pertinentibus, seu in *Adiaphoris*, quo minus reciperetur, nihil impedire. Peperit hoc judicium controversias inter Protestantes *adiaphoristicas*, ut suo videbimus loco.

§. 314. Hæc inter certamina *Julius* III., qui anno 1550. Paulo III. defuncto successit, Cæsaris precibus fatigatus concilium Tridentinum renovare non detrectavit. Imperator itaque in comitiis Augustanis cum Principibus de prosequendo hoc concilio egit. Placuit consilium istud majori parti, Mauritius tamen Saxoniæ Elector certis tantum conditionibus assensum præbuit. Itaque Cæsar in fine comitiorum anno 1551. omnes ad concilium comparere jussit, conscribebantur hinc in Saxonia per Melancthonem, & apud Witebergenses per Jo. Brentium confessiones fidei concilio exhibendæ. Venerant etiam Tridentum & legati & theologi quidam Witembergici, Saxonici vero (quorum princeps Melancthon erat) iter quidem adibant; at ultra Norimbergam non sunt progressi, ad speciem enim tantum Dominus illorum Cæsari obsequebatur, reipsa Carolum voluntati suæ subjicere studens.

§. 315. Mali animi & consilii Carolum in his Germaniæ turbis incusant Protestantes; communis enim opinio invaluit, eum *monarchiæ universalis* erigendæ statuisse consilium [1], Mauritium proin, qui primitus Cæsaris partes secutus est, ab eo unice propterea defecisse, quia consiliis his Cæsaris resistere, & libertatem juraque Principum Germaniæ illæsa servare studuit. His accede-

bat & istud, quod Carolus ad preces Mauritii Philippum Asiæ Ducem, quem una cum Joanne Friderico post pugnam prope Mülburgum carceri mancipabat, libertati restituere renuerit, hinc Mauritius fœdere cum Rege Galliæ, nonnullisque aliis Germaniæ Principibus inito validum adversus Imperatorem anno 1552. duxit exercitum, remque tanta celeritate egit, ut Imperator Oeniponti commoratus vix fuga se salvaverit.

1, Hunc in finem, dicunt, eum motibus, quas religio peperit, ad potentiam suam in Germania amplificandam, & ceterorum Germaniæ Principum jura opesque labefactanda uti voluisse, Pontificis autem authoritatem, ne magnis ejus consiliis nocere possit, sperasse per concilium Tridentinum imminuendam, quemadmodum olim per concilium Constantiense & Basileense factum.

§. 316. Cum itaque Imperator vidisset bellum improvisum, externo fœdere Galliæ adjutum, nullumque resistendi habuisset remedium, ut hanc periculosi & ancipitis belli tempestatem sedaret, per Ferdinandum fratrem suum primum *Lincii*, tum *Passaviæ* conventum habuit, ac Protestantibus non modo libertatem concessit, sed etiam comitia intra sex menses promisit, in quibus diuturna de religione dissensio funditus tolleretur. Comitia tamen promissa propter turbas in Germania natas, aliaque impedimenta ante annum 1555. haberi non poterant, isto autem anno Augustæ Vindelicorum præsentæ fratre Imperatoris Ferdinando commemorabilis illa *pax religiosa* [1] est confecta.

1. Pax hæc legibus imperii fundamentalibus est inserta, & defluiri solet, quod sit *solemnis conventio consensu Imperatoris & statuum imperii utriusque religionis in vim legis fundamentalis anno* 1555. *in comitiis Augustanis inita, vi cujus Protestantibus liberum religionis suæ exercitium permittitur, jurisdictio ecclesiastica in eos suspenditur, bonorumque ecclesiasticorum hactenus ab illis occupatorum relinquitur possessio.*

CAPUT QUARTUM

HISTORIA REFORMATIONIS EXTRA GERMANIAM.

§. 317. Lutherus reformationem suam in Germania suscepit anno 1517. occasione abusuum circa indulgentias commissorum (§. 286.). Biennio post anno nimirum 1519. in Helvetia *Udalricus Zwinglius* canonicus Tigurinus contra indulgentias & Romani Pontificis primatum prædicare cœpit, nam sicut Lutherus in Germania contra Tezelium, ita Zwinglius in Helvetia contra *Bernardinum Samsonem* Franciscanum insurrexit, qui in Helvetia munus quæstoris eleemosynarum obiit [1].

1. Senatus, populusque Tigurinus synodum indixit ad diem 29. Januarii. Zwinglius in hoc conventu summam doctrinæ suæ 68. articulis comprehensam proposuit examinandam, omnes contradicere volentes ad disputationem provocans. Magistratus audito Zwinglio omnibus pastoribus urbis & ditionis suæ mandavit, ne quid posthac aliud ecclesiis suis proponerent, quam purum verbum Dei in scriptura sacra comprehensum. Conventus alter posthac indictus habitusque, tum senatus consulto prohibita eucharistiæ circumgestatio solemni pompa; Zwinglius enim realem Christi præsentiam in eucharistia negavit, & Carolostadii in hoc puncto doctrinam (§. 299. 1.) multo copiosius & ingeniosius proposuit.

§. 318. *Suecos* non multo post initia belli a Luthero ecclesiæ Romanæ illati *Olaus Petri* discipulus Lutheri ejus dogmatibus imbuerat copiosius, cum aliqualem eorum notitiam jam antea hauserint ope mercatorum Germanicorum, qui Lutheri scripta Sueciam secum adtulerant, aliorumque suorum juvenum, qui academiam Witembergensem visitaverant. Olai Petri conatus mire adjuvabat *Gustavus Vasa*, quem Sueci Regem pulso *Christierno* Danorum Rege creaverant, nam Gustavus jam antea Lubecæ notitiam doctrinæ Lutheri hausit.

§. 319. *Daniam* jam anno 1521. *Christianus II.*, qui *Christiernus* vulgo dicitur, Rex crudelis imprudenter ad sectam Lutheri trahere studuit [1]. Namque primum Martinum *Reinhardum* Carolostadii discipulum anno 1520. Saxonia evocavit, & theologiæ professorem Hafniæ constituit, quo anno 1521. discedente Carolostadium vocavit, qui tamen post breve tempus in Germaniam rediit, imo ipsum Lutherum, sed frustra in Daniam allicere conatus est, at consilium Christierni fortuna destituebat; ordines siquidem regni conjuratione facta anno 1523. eum tum ob conatus libertatem Danicam opprimendi, tum ob studium religionem catholicam abolendi regno privarunt, in ejusque locum *Fridericum* Holsatiæ Ducem elegere [2].

1. Non hoc fecit ex odio religionis catholicæ, sed ex rationibus politicis. Constat enim ex rebus ab eo gestis, ideo tantum eum placita Protestantium fovisse, ut potentissimos sui regni episcopos suis opibus privaret: episcopi nimirum Daniæ tot opes, tantamque authoritatem sibi compararunt, ut Regibus multo potentiores essent, & universam rempublicam suo metu regere possent.

2. Fridericus prudentius & æquius egit. Patiebatur quidem publice in regno doceri Lutheri dogmata, at religionem catholicam non læsit: nam in comitiis Othoniensibus anno 1527. sua authoritate perfecit, ut liberum religionis catholicæ & protestanticæ exercitium in suo territorio permitteretur.

§. 320. *Henricus* VIII., Britaniæ Rex idem ille, qui Lutherum fervide oppugnavit, edito contra illum libello & propterea a *Leone* X. Papa nomen *defensoris fidei* obtinuit, *Annæ Bolenæ* fœminæ in Anglia illustri loco natæ amore captus, quo eam in matrimonium sibi jungere posset, divortium cum uxore sua *Ca-*

tharina Caroli V. Imp. amita facere cupiebat, & *Clementem* VII. Pont. rogabat, ut huic ejus voluntati adsentiretur [1], & etiam reipsa repudiata Catharina anno 1533. Annam Bolenam duxit. Nuptias hac causa Romæ cognita ut illegitimas damnavit Clemens VII., Henricus pervicacior factus adduci non potuit, ut Annam dimitteret, & in omnes matrimonium hoc improbantes sæviit, nec non a Pontifice Romano defecit, se ipsum ut Papam & *ecclesiæ Anglicanæ caput* a senatu & populo anno 1533, salutari jubens [2]. Non tamen abjecit dogmata illa Henricus, quæ repudiavit Lutherus, sed dogmata ecclesiæ catholicæ retinens ipse sibi potestatem pontificiam arrogavit, & crudeliter tum Catholicos tum Protestantes extremo supplicio addixit [3].

1. Motivum petendi divortium ipsi fuit adfinitas cum uxore sua: fratri enim ejus defuncto *Arturo* nupta fuerat Catharina, jam porro matrimonium cum vidua fratris legi divinæ repugnare contendebat Henricus; indulsit nimirum *Julius II.*, ut sibi matrimonio jungeret fratris sui Arturi viduam.

2. Adeo sub hoc Rege viluit in Anglia Pontifex Romanus, ut in publicis precibus hæc funderetur oratio: *Ab episcopi Romani tyranide, & detestandis enormitatibus libera nos Domine.*

3. Hos, quia in quibusdam dogmatibus ab ecclesia catholica dissenserant, illos vero, quia eum qua Papam cognoscere detrectarunt. Annis septemdecim subditos suos ita vexavit, Annam vero Bolenam de adulterio convictam anno 1535. die 9. Maji capite plecti jussit.

§. 321. Mortuo Henrico VIII. rei facies mutata est. Successit ei *Eduardus* filius, quem ex Joanna *Saimer* suscepit (hanc enim occisa Bolena duxit). Sub hoc Rege in Anglia religio catholica penitus extincta, & evocato e Germania in Angliam *Martino Buzero*, ac *Paulo Fagio* religio Protestantium propagata. Reviviscere visa est catholica religio sub *Maria* Regina [1], cui princeps fuit cura religionem catholicam restituere, sed cum sine prole anno 1558. decesserit, regnumque consecuta fuisset *Elisabetha* Annæ Bolenæ filia, rerum facies mutata est; hæc enim se statim caput ecclesiæ Anglicanæ nominavit, variaque Catholicorum dogmata abrogavit.

1. Erat hæc filia Henrici VIII. & Catharinæ propter Annam Bolenam repudiatæ, quam pater connubio sibi jungens Bolenam illegitimo declaravit thoro natam, proximus morti vero debito decoravit honore, eique ante Elisabetham filiam Bolenæ jus ad regnum competere declaravit.

MEMBRUM I.

HISTORIA ECCLESIÆ CATHOLICÆ.

CAPUT PRIMUM

DE

FATIS EXTERNIS.

§. 322. Romani Pontifices, postquam per reformationem a Luthero tentatam magnam Europæ partem ab ecclesia Romana defecisse viderant, multo plus quam antea soliciti erant de propaganda religione catholica in aliis mundi partibus extra Europam sitis, hac enim ratione damnum, quod religio catholica in Europa passa est, quodamodo resarciri poterat. Ad hoc negotium peragendum Jesuitarum ordo vix ac natus est, præ ceteris aptissimus videbatur [1], qua in re inter primos Ignatii socios nullus majorem sibi comparavit laudem, quam *Franciscus Xaverius Indiarum Apostolus* dictus; is enim anno 1522. in Indiam, quæ Lusitanis tum parebat, profectus brevi temporis spatio non minimam terræ continentis partem, & plures insulas Christi notitia imbuit. Hinc anno 1529. in *Japoniam* transiit, & fundamenta illius christiani cœtus incredibili celeritate jecit, qui per multos annos in amplissimo hoc imperio floruit. Ad *Sinas* cum dein commigrare vellet anno 1552. in Insula *Sancian* obiit [2].

1. Lojolæ enim socii tribus ceteris ordinibus communibus votis addiderunt quartum *de obedientia Pontifici præstanda sine omni tergiversatione sive eos mittat ad infideles etiam in remotissimis regionibus degentes, sive ad hæreticos.*

2. Post fata tamen ejus alii quidam ex Ignatii sociis seculo adhuc decimosexto Chinam sunt ingressi, quorum Princeps *Mathæus Riccius* Italus artium mathematicarum peritia procerum quorumdam & ipsius etiam Imperatoris animos adeo sibi conciliavit, ut licentiam impetraverit cum sociis suis christianam religionem populo prædicandi.

§. 323. Pontificum conatus religionem catholicam propagan-

di seculo XVI. suscepti seculo sequenti solido & stabili fundamento sunt collocati. Et imprimis *Gregorius* XV. Papa anno 1622. illustrem de *propaganda fide* congregationem Romæ instituit, & uberrimis reditibus instruxit, hujus colegii (quod ex tredecim cardinalibus, binis presbyteris, unoque monacho, quibus scriba adjunctus est, constat) officium est religionem catholicam per omnes terræ partes tueri & propagare. Auxit illud *Urbanus* VIII., & post eum multi alii privati tantis divitiis, ut immensis fere sumptibus ferendis par sit, quocirca missionarios plurimos ad remotissimos etiam populos non solum ad infideles sed etiam ad hæreticos amandat, libros varii generis ad discendas linguas peregrinas & barbaras necessarios edit, insignem numerum juvenum ad abeundas missiones delectorum alit & instituit, homines, quibus constantia in defendenda religione catholica exilium aut alias calamitates conscivit, suscipit & alit, in qualibet aula alicujus momenti suos habet *emissarios* vestitu laicali plerumque incedentes, qui aulæ Romanæ relationem de statu religionis faciunt [1].

1. Addidit huic instituto aliud, non æque quidem magnificum, attamen nobile & utile valde *Urbanus VIII.* anno 1627. collegium nempe, sive *seminarium pro fide propaganda*, in quo ex omnibus fere nationibus futuri apud exteras gentes missionarii educantur, & scientiis ad hoc munus maxime necessarii imbuuntur. Initium hujus instituti debetur. *Io. Bapt. Viles* Hispano, qui in aula Romana commorans omnes opes suas una cum domo, quam Romæ habebat pulcherrimam, eum in finem Pontifici obtulit, cujus dein liberalitatem multi alii imitati sunt. In Gallia quoque Regis authoritate anno 1653. *congregatio sacerdotum a missionibus exteris* instituta, a quibusdam vero episcopis & theologis Galliæ conditum est *Seminarium Parisiense pro misionibus ad exteras gentes*, cujus instituti sacerdotibus multæ plerumque erant lites cum Jesuitis.

§. 324. Ex his collegiis & societatibus magna illa missionariorum exiverint examina, qui totum qua nobis notus est orbem terrarum peragrarunt, & ex maxime barbaris etiam populis cœtus coegerunt Christianos. Majorem inter hos gloriam sibi compararunt *Jesuitæ*, *Dominicani*, *Franciscani*, & *Capucini*: qui tamen mutuo inter se dissidebant, & vel neglectæ & obscuratæ, vel etiam inquinatæ causæ Christi publice adcusabant. Præprimis autem a missionariis aliorum ordinum Jesuitæ incusabantur, quod inter neo-conversos opiniones quasdam superstitiosas & profanas æqua mente non tantum toleraverint, sed etiam foverint, quod mercaturam faciendo aliisque artibus parum liberalibus divitias maximis sibi comparare studuerint, quod honoribus mundanis inhiaverint quod potentiorum amicitias adulatione & muneribus quærendo negotiis aularum se implicaverint, quod intestinas sæpe turbas in rebus publicis excitaverint, ac postremum quod Pontificis Romani vicariis obedire noluerint [1].

1. Jesuitæ quidem hos adcusatores obtundere studuerant, at quod Romæ fidem invenerint, tum multa alia declarare videntur tum hoc potissimum, quod a multis jam annis, antequam Jesuitarum societas extincta fuisset, congregatio de propaganda fide, cujus nutu missiones ad exteras gentes administrantur, cautius & parcius opera Jesuitarum utebatur, quam antea, & vel Capucinorum vel Carmelitarum inopiæ & patientiæ in rebus arduis tribuebat.

§. 325. Tota fere Asia seculo XVII. his missionariis autoribus fama nominis & religionis Christianæ percrebuit. Atque ut ab *Indis* ordiamur, omnes fere partes ejus, illæ præsertim, quæ Lusitanis olim parebant, donec a Batavis ejicerentur, quidquam lucis evangelicæ Jesuitarum, Theatinorum, & Augustinianorum labore conspexerant. Omnium vero, quæ ad has nationes susceptæ sunt, missionum, nulla est celebrior, quam *Madaurensis*, nulla enim uberiores tulisse fructus dicitur [1]. Instituta est a *Roberto de Nobili* Italo Jesuita [2], quo mortuo singulare hoc institutum ad tempus jacuit, at Jesuitarum Lusitanorum consilio & opera rursus instauratum [3].

1. Verba vix invenerant Jesuitæ, quum vel gloria vel fructus missionis hujus laudandus, vel cruciatus & labores narrandi erant; dicitur enim a *P. Martino*, qui missionem hanc descripsit, *omnium missionum pulcherrima & perfectissima* (pag. 9.) singuli doctores mille saltem quovis anno baptizabant (pag. 11.), neque aditus ad baptismum facile patuit, tentabantur enim diu & per quatuor menses instruebantur. Qui recepti sunt, vitam agebant angelis magis, quam hominibus similem, & peccatorum mortalium rarissime erant apud illos vestigia. Insolitæ hujus sanctitatis si quis causas quærat, duas Jesuitæ suppeditare solebant. Una ex his ipsi erant doctores, qui austere vixerant, nec pane nimirum, nec carne, nec piscibus vesci licuit, sed aqua & leguminibus iisque insulsis, victui vestitus & reliqua responderant. Altera ratio in eo erat posita, quod ab Europæis plane semoti vixerint hi novi Christiani, qui perversis suis moribus omnes Christianos in India corrupisse dicuntur.

2. Jesuita hic secum perpenderat, quod Indi omnes Europæos vehementer odio habeant, contra gentem *Brachmanum* tanquam ex Diis ortam venerentur, nec alios facile magistros præter hos admittant. Itaque magnam impendit operam in cognoscendis moribus, religione, & lingua Madauriensium, dein fingebat se esse Brachmanem ex longinquis regionibus advenientem, quod ut Madaurensibus persuaderet, documentum aliquod in charta antiquata characteribus indianis scriptum finxit hujus tenoris: Brachmanes Romanos longe antiquiores esse Indianis, & Jesuitas in linea recta a Deo Brama descendere. Imo *P. Jouvenci* doctus Jesuita in historia sui ordinis narrat, Robertum eundem, cum quidam increduli Indi documentum istud genuinum esse negaverint, in præsentia Brachmanum Madauriensium juramento confirmasse, quod a Deo Brama descendat. Dolo hoc duodecim Brachmanes commovit, ut in ejus se disciplinam darent, quorum exemplum magnam populi partem adduxit, ut eundem sibi magistrum adsciscerent.

3. Nobilissimæ hæ quondam legationes ab anno 1744. mandato Benedicti XIV. omnes prostratæ jacent, improbavit enim Pontifex variam hanc gentes ad Christum convertendi methodum fingendo, se esse Brachmanes.

§. 326. Ad *Siamenses*, *Tunquinenses*, *Cochinchinenses* Jesuitæ primi omnium notitiam evangelii detulerant, & cupide dicuntur

homines hi fidem amplexi esse. Læto hoc nuncio excitatus *Alexander VII.* anno 1658. consultum judicavit novam hanc ecclesiam certis episcopis committere, & idcirco sacerdotes quosdam Gallos ex *congregatione a missionibus exteris* (§. 323. 1.) cum mandatis suis ad eam jussit proficisci. Verum Jesuitæ bonos istos viros vario modo vexasse narrantur, nec messem suam invadere patiebantur [1], hinc longa lis in aula Romana, cujus quidem non is erat exitus, quem sperabant Galli [2].

1. Hujus rei testes & fontes sunt varii libelli hac de causa a Gallis editi Lutetiæ Parisiorum de anno 1666, 1674, 1681. Ceteris adcuratior & plenior est narratio *Franc. Pallu*, quem Heliopolitanum episcopum fecerat Pontifex edita Parisiis anno 1688. Ex instituto etiam res exponitur *Galliæ Christianæ* Benedictinorum T. 7. pag. 1027.

2. Post hæc *Ludovicus XIV.*, Galliæ Rex Siamensium Regem (cujus primarius regni administer erat Græcus nomine *Constantius* Christianus) splendida legatione anno 1684. salutavit & ad fidem christianam suscipiendam hortatus est, qui tamen conatus frustraneus fuit.

§. 327. *Chinam*, quod omnia regna Asiæ magnitudine & opibus superat, Jesuitæ, Dominicani, Franciscani, Capucini & alii ineunte seculo XVII. magno numero propagandæ religionis Christianæ causa adierunt. Maximam vero laudem sublatorum in hoc negotio impedimentorum in gente acuta, superba, veterumque suorum morum studiosissima & tenacissima merito sibi Jesuitæ vindicant [1], quorum patrocinio nisi doctores reliqui humilioris tam ordinis, quam ingenii sine magno discrimine rem Christianam curare, & plurimos discipulos adjungere sibi poterant.

1. Hi enim cum nationem natura perspicacem & verum cognoscendi cupidam scientiis mathematicis maxime delectari cernerent, peritissimos mathematicos ad eam ablegarunt, quorum quidem aliqui tantum authoritatis solertia, morum urbanitate, rerum gerendarum intelligentia brevi tempore consecuti sunt, ut honoribus eximiis ab Imperatore decorarentur, maximique ponderis in ipsa aula negotiis adhiberentur.

§. 328. Imminuta est nonnihil hæc felicitas, quum primus ex Moglorum gente Imperator *Xun-Chi* decessit, filiumque reliquit impuberem; viri enim Principes, quorum tutelæ creditus erat imperii hæres, Christianæ religionis odio dudum flagrantes potestate sua abutebantur ad eam & amicos ejus, præsertim Jesuitas injuriis atrocissimis opprimendos [1]. Hæc anno 1664. gesta sunt, sed anno 1669. quum fasces imperii ipse *Cham-Hi* suscepisset, non modo res Christianorum collapsæ restitutæ sunt, sed etiam progrediente tempore sic augebantur, ut hinc aureæ Christianorum in China ætatis exordium duxerint Jusuitæ [2].

1. Princeps Jesuitarum *Jo. Adam. Schallius* vir & munere, quod splendidum in aula gessit, & senectute, variarumque rerum cognitione venerandus in vincula conjectus capitis damnatus est, reliqui in exilium missi.

2. Imperator nimirum & animo & ingenio maximus, verique indagandi cupidissimus primum Jesuitas in aulam revocavit, & pristino gradu collocavit, deinde alios ejusdem ordinis viros scientiarum & artium variarum peritos ex Europa vocavit, quosdam porro eorum etiam muneribus amplissimis præfecit, & gravioribus negotiis civilibus admovit, postremum nonnullos ex Gallis maxime in familiaritatem recepit, & magistros suos variis in rebus præsertim philosophicis & mathematicis creavit. Jesuitis tam alte positis parum difficile erat multos religionis Christianæ fautores, ejusque præconibus certissima præsidia comparare. Triumphare prorsus in China Christus videbatur, quum anno 1692. legem illam celeberrimam Imperator ex favore erga Jesuitas promulgaret, qua negavit religionem christianam reipublicæ noxiam esse, & subditis suis facultatem ejus amplectendæ concessit, imo quod majus est magnificum Jesuitis templum intra ipsius palatii sui fines anno 1700. extruxit.

§. 329. Gesta hæc & perfecta esse a Jesuitis omnia, ne illi quidem negant, quos ipsum Jesuitæ vocabulum terret: num vero recte gesta sint, magna animorum contentione non multos ante annos adhuc disputatum est. Hostes Jesuitarum eos delictis hæc beneficia redemisse pervicaciter pugnabant. Ipsam primum religionem antiquam Sinensium pessime interpretati esse, & Imperatori proceribusque ejus persuasisse feruntur, exiguo aut nullo plane discrimine veterem Sinensium religionem & *Confucii* doctrinam a religione Christiana distare, fallaciæ huic alias addidisse minores, ut Sinarum genti, quæ antiqua omnia mirifice consectatur & recentiora spernit, fidem facerent, ante multa secula Christum apud Sinas auditum & cultum fuisse. Officiorum dein & virtutum, quæ Christi legatos decent, prorsus immemores fuisse dicuntur [1]. Horum quædam Jesuitæ fatebantur quidem, sed excusare simul conabantur, cetera vero calumniatorum fabulas esse contendebant.

1. Adcusabantur enim, honores & imperia civilia non suscepisse modo, sed etiam appetiisse, clementia Imperatoris elatos splendore vestimentorum, epularum, servorum, & ædium frequentia totam vitam transegisse, non tam Christianis dogmatibus propagandis, quam humanis disciplinis præsertim mathematicis tradendis operam dedisse, imo res militares, ipsumque bellum administrasse. Interioris porro loci Jesuitæ fœnerationi, mercaturæ, aliisque artibus, quibus opes & populi laudes parantur, studuisse perhibentur.

§. 330. Caput omnium adcusationum, quibus Jesuitæ ob missionem in China onerabantur, hoc est: lucem eos tenebris junxisse, & quo citius Sinarum dubitationem vincerent, christianam religionem & Sinarum ritus superstitiosos miscere, iisque majorum suorum profanos ritus permittere. Censebat Mathæus Riccius Sinensis ecclesiæ parens (§. 322. 2.) maximam partem rituum, quos leges patriæ Sinis imperant, a novis Christianis servari posse; nec enim religionis, sed reipublicæ tantum causa inventos seu civiles

esse, nec a Sinis (si infimam plebem excipias) ad alium finem referri (*Mamachius orig. & antiquit. christ. T.* 2. *pag.* 373. *seq.*). Contrarium placuit non Dominicanis tantum & Franciscanis, quos missionum socios habebant Jesuitæ, sed doctissimis etiam ex ipsis Jesuitis tam in Sina quam Japonia viris, de quibus *Nic. Longobardus* scripto etiam suæ defensionis rationis exposuit. Lis hæc diu privatim agitata anno 1645. a Dominicanis Romam est delata [1], & ab eo tempore totam ecclesiam catholicam mirifice conturbavit.

1. *Innocentius X.* anno prædicto secundum Dominicanos pronunciavit, *Alexander VII.* vero anno 1654. sententiam suam instinctu Jesuitarum non verbis quidem sed reipsa sustulit, nonnullosque rituum Sinensium Christianos retinere posse judicavit. Renovabant querimonias suas Dominicani anno 1661. & 1664. sub *Clemente X*, sed potentia Jesuitarum repressi videatur. Anno 1684. in ipsa China, in qua per plures annos quievit, certamen hoc majori quam antea contentioni instauratum est, inclinare ad partes Dominicanorum victoria videbatur, quum anno 1693. *Carolus Maigrot* doctor sorbonicus tanquam legatus apostolicus ad hos ritus explorandos missus est, qui publico sanxit mandato, Jesuitarum opinionis religionis christianæ puritati adversari, sed noluit Pontifex, cujus confirmationi Maigrotus edictum suum subjecerat in alteram partem nisi causa legitime explorata aliquid decernere. Quocirca anno 1699. congregationem Romæ instituit, cui litem hanc dirimendam commisit. Hac Pontificis voluntatis percepta, quidquid in Romana ecclesia, maxime in Gallia, Jesuitis infestum erat, in aciem prodiit, variisque libellis res & existimationem eorum laceravit, at nec sibi Jesuitæ deerant.

§. 331. Si a controversia hac, quæ tot nobilissima ingenia exercuit, tum minutæ quædam quæstiones, tum quæ ad Jesuitas potius ipsos, quam ad rem, de qua quæritur, pertinent, removeantur, binis quæstionibus tota continetur, primo nimirum, qua voce Sinensium idiomate verus Christianorum Deus sit exprimendus? [1] secundo, num cultus *Confucio*, & majoribus defunctis deferri solitus neoconversis permitti possit? [2].

1. Sinenses supremum, quod colunt, numen TIEN, & CHANG-TI id est, *cœlum* lingua sua nominant. & Jesuitæ hoc vocabulum ad Christianorum Deum transtulerant: unde sequi videtur, eos existimasse, quod Sinarum supremum numen a Deo Christianorum non differat, seu Sinas idem de suo *Tien* seu cœlo, quod de Deo Christiani, sentire. Itaque disputabatur, num Sinæ vocabulo *Tien* cœlum spectabile & ex *materia* constans, an vero Dominum cœli seu ens infinite perfectum, talem nempe Deum, qualem religio christiana colendum proponit, intelligant? Hoc quidem Jesuitæ contendebant, & idcirco neo-conversos impedire nolebant, quo minus in precibus & sermonibus vocabulum istud ad Deum designandum adhibuerint. Adversarii Jesuitarum e contrario tuebantur, veterem Sinarum sapientiam impiam esse, neque Deum a natura rerum secernere, *Confucium* ipsum antiquum & celeberrimum ipsorum philosophum hominem fuisse veræ religionis naturalis ignarum, qui mundi existentiam non ex creatione, se ex fatali necessitate repetiit.

2. Sinarum leges antiquæ eos jubent quotannis statis temporibus defunctos majores suos certis ceremoniis colere, omnes præterea litterati inter Sinenses Confucium bis singulis annis colere solent. Olim hunc cultum coram ipsius imagine in templo illi dicato appensa peragebant, hodie vero imaginis loco adhibent tabulam in templo collocatam hac cum inscriptione: *Thronus animæ sanctissimi &*

præstantissimi magni doctoris Confucii. In litteratorum conventu provinciæ gubernator (*Mandarin*) peragit munus Sacerdotis, ceteri funguntur officio ministrorum inferiorum. Adfertur sacrificium quoddam seu oblatio *CI* dicta consistens in vino, sanguine & terræ fructibus, tum se prosternentes novies toto corpore magnam recitant orationum copiam, quibus peractis sacerdos scyphum aut calicem vino repletum una manu, altera vero calicem sanguine plenum effundit seu *libat*, & dein præsentibus impetita eis benedictione valedicit. Ceremoniæ, quas familiæ singulæ progenitoribus suis defunctis exhibent, eædem fere sunt. Itaque disputabatur, an honores isti *civiles*, an vero *religiosi* sint? an *sacrificia*, an vero instituta *reipublicæ causa* sancita? Jesuitæ hos ritus a veteribus Sinensium legislatoribus ideo sancitos fuisse ajebant, ut populum in officio continerent, isque tali modo gratum animum erga merita & beneficia tam majorum tam Confucii testaretur, & simul tacite promitteret, quod vestigia illorum sequi velit: ex quibus concluserant, licere Christianis patrio ritu sacra ista celebrare, modo veram eorum naturam & causas intelligant. Dominicani vero ceterique Jesuitarum adversarii pugnabant, ritus hos non postremam partem religionis Sinensis esse, cultuque *religioso* Confucium & majorum animam a Sinis affici. Hos inter *Antonius de S. Maria* Franciscanus in animadversionibus suis supra missiones in Sina testatur, eosdem honores, quos Sinæ exhibent Confucio, ab iis etiam exhiberi spiritibus seu geniis eorum cœlestibus & terrestribus, & ne ipse quidem Jesuitæ æquiores diffitebantur, difficile esse se in hac causa expedire, ex quo fit, ut nonnulli eorum extremo ad necessitatis legem confugerint, & leviora mala si maxima pariunt commoda vix pro malis esse habenda responderint.

§. 332. *Clemens XI.* etsi in favorem Jesuitarum totam controversiam supprimere maluisset, id sibi tamen haud licere putabat, eo quod universa Europa exitum ejus avide expectaverit. Utraque pars Jesuitæ & eorum adversarii causam suam publicis egerat scriptis, ipse Imperator Sinensium *Cham-Hi* declaravit testimonio a millibus Sinensium confirmato ritus a vicario apostolico *Maigrot* reprobatos mere civiles esse, quibus pax publica imperii fulcitur. Post multas deliberationes sacrum officium anno 1704. hanc tulit sententiam definitivam: voces *Tien* & *Chang-Ti* ad Deum verum designandum non esse adhibendas, sed in earum locum substituendas voces *Tien-Chu*, quæ cœli Dominum significant. Prohibitum etiam Christianis interesse sacrificiis, quæ fiebant in memoriam Confucii & majorum defunctorum. Tabellarum appensio cum inscriptione Sinica *King-Tien*, seu *cœlum colito* in Christianorum ecclesiis vetita. Ne cui denique actioni fraus subesset in posterum, progenitorum mortuorum, tabulæ cum Sinica epigraphe, qua sedes spiritus vel animæ designantur, eliminatæ.

§. 333. Hoc sedis Romanæ judicium promulgavit Carolus Thomas *Tournonius*, quem ipse Papa Clemens XI. ad Sinas missionis causa ablegavit, dum eum antea Patriarcham Antiochenum renunciavit. Tournonius qua *visitator apostolicus* cum potestate legati de latere iter adgresus est, & anno 1705. Chinam appulit. Honorificum ipse aditum tum apud ceteros imperii nobiles, tum apud ipsum Imperatorem Pekini Jesuitæ præpararunt, verum vix ac sedis Romanæ judicium de ritibus Sinensibus promulgaverat *Nan-*

kini, non pauci Jesuitæ reperti sunt, qui illi obedientiam denegarunt, ipse vero eos sacris interdixit, aliasque ecclesiasticas pœnas in eos tulit. Hoc cum Jesuitæ indignissime ferrent, tum a Pontifice petebant, ut eos ab obedientia Tournonio debita eximat, tum ipse Sinarum Imperatori proponebant, jura majestatica læsisse. Imperator *Cham-Hi*, cujus proprium de natura rituum Sinensium antea retulimus judicium, indigne tulit, eosdem Europæos, quos ipse tot observantiæ argumentis excepit, suam declarationem de rituum Sinensium indole repudiare, & antiquam eorum religionem adcuratius ac ipse perspicere velle sibi sumant. Sequella hujus severum erat mandatum, ne quis Europæorum in China sub gravi pœna contra leges regni & antiquas consuetudines quid proponat, aut innovet [1].

1. Plerique obtemperabant, qui vero Turnonii partibus adhæserant, partim regno discedere jussi, partim carceri mancipati. Ipse Tournonius solum migrare jussus ad urbem *Machaonensem* properavit, ibidem navim petiturus, ut iram Imperatoris & Jesuitarum effugeret, at inopinato ejusdem Principis jussu mense Junio anni 1707. in ea urbe consistere debuit. & ibidem carceri est mancipatus, in domum nimirum episcopi Machaonensis inclusus inter plures ærumnas quatuor annos transegit.

§. 334. Interim Tournonii fatum causam suorum inimicorum deteriorem reddidit; Papa enim, antequam ipsi ejus captivitas nunciaretur, acta ejus jam confirmavit, & congregatio sacri officii Jesuitarum adpellationem ab ipso ad Papam anno 1710. rejecit. Cum autem nec his concederent Jesuitæ Clemens XI. celebrem illam bullam, quæ incipit: *Ex illa die &c.*, mense Martio anni 1715. promulgavit, qua præcepit, ut omnes Sinenses missionarii sub pœna excommunicationis morem gerant decisioni congregationis S. officii & decretis Tournonii, ut omnes in posterum ad missiones Sinenses ablegandi ad mandati hujus observationem jurejurando se obstringerent. Bulla hæc inter missionarios ceteros divisa fuit, priusquam ejus adventum in China resciverint Jesuitæ, at cum tamen Jesuitis etiam Pekini fuit insinuanda, & in eorum ecclesiis promulganda, id negotii in se suscepit *Castorani* jussu episcopi Pekinensis, cujus vicarius generalis erat, eamque tribus in ecclesiis Jesuitarum Pekini iis inconsultis & insciis promulgavit [1].

1. Verum id præmii inde tulit, ut jussu Imperatoris sit vinculis constrictus & in carcerem conjectus. Viri hujus captivitas, quæ mox mitior, mox strictior erat, 17. durabat mensibus, demum hac sub conditione libertati est restitutus, ut bullam episcopo suo reddat, ac ab ulteriori promulgatione abstineat, atque ut illius authoritas in toto regno Sinensi ex integro caderet, Imperator severum edictum promulgari jussit, quo omnibus missionariis exilium, Sinensibus vero Christianis mortem minatus est, si bullam reciperent.

§. 335. Pontifex cum sibi refractarios vidisset Jesuitas [1], de-

crevit legatum ad Sinensium Imperatorem esse mittendum, eumque rogandum, ut bullæ promulgationi & executioni consentiret. Munus legationis hujus commissum est Carolo Ant. *Mezzabarbæ*, quem Papa Patriarcham Alexandrinum nominavit. Advenit Pekinam anno 1720. benigne ab Imperatore exceptus quidem, attamen summa circumspectione saluti & vitæ suæ consulere studuit. Verum exiguus aut plane nullus legationis hujus erat fructus; nam Imperator pronunciavit, ad lites has finiendas optimum fore, si prohiberentur Europæi in regno Sinensi evangelium prædicare. Reditum dum Mezzabarba paravit, sex mensibus in urbe Machaonensi morari coactus est, quod tempus in componenda epistola pastorali ad missionarios Sinenses insumpsit, quæ octo continebat declarationes & restrictiones bullæ *Ex illa die &c.* [2].

1. Ne inobedientiæ in sedem Romanam rei viderentur, modum agendi suum inscriptione prædictæ bullæ *Ex illa die* cohonestabant, erat enim sequentibus inscripta verbis: *Præceptum de omnimoda & inviolata observatione eorum, quæ alias a sanctitate sua in causa rituum seu ceremoniarum Sinensium decreta fuerant &c.* Ajebant itaque Jesuitæ: cum ipse Papa bullam suam nominet *præceptum*, non esse necessarium eidem obedire, eo quod præceptum ecclesiasticum, etsi venerandum sit, non tamen æquivaleat dogmati aut fidei articulo, cui contradici nullatenus possit.

2. Restrictiones hæ Romæ compositæ & legato trasmissæ sunt, iisdem exigentibus rerum circumstantiis uti posset, Papa vero id cautelæ adhibuit, quod eas nunquam confirmaverit, ut successu temporis eas sedes Romana pro libitu reprobandi aut adprobandi haberet facultatem. Mezzabarba quidem diu bullæ executionem absque omni temperamine urgebat, sed ex quo ad effugiendas vitæ insidias fassus est, se quasdam bullæ restrictiones obtinuisse, importunis precibus, ut eas ante discessum ex urbe Machaonensi promulgaret, est adactus. Erant autem moderationes sequentes: *Licere Sinis & Missionarios vocabulo TIEN naturam divinam designare, modo addant verbum TCHU, ut ambiguitas omnis nominis TIEN tollatur & constet Dominum cœli (hæc enim significatio est formulæ TIEN-TCHU) doctores Christianos venerari, non cœlum. Ceremoniæ etiam, quibus tantopere Jesuitarum adversarii offendebantur, permissæ sunt, modo omnis superstitio & religionis species segregetur, & tanquam civilis honoris signa spectentur, itaque permissum, ut domi servent novi Sinarum Christiani tabulas, in quibus nomina majorum, & Confucii aureis litteris expressa sunt: admovent illis licite lumina, suffimenta, mensas refertas cibis, fructibus & condimentis: imo & has tabulas ac majorum sepulchra in terram prosternendo salutare est permissum, modo declaratio fiat, se hæc tamquam civilis honoris signa spectare.*

§. 336. *Innocentius XIII*, qui Mezzabarba Romam redeunte Romanam tenuit sedem, indignissime tulit, legationis nullum fuisse fructum, adeo contra Jesuitas commotus est, ut parum abfuerit, quin ordinem illorum penitus suppressisset. Injunxit eorum præposito generali, ut omnes Jesuitas ex Sina revocet unaque eis ordinis canditatos suscipere prohibuit, sed hanc tempestatem sustulit mors Innocentii, sub ejus enim successore *Benedicto XIII* res Jesuitarum in Sina ad pristinum, in quo erant, locum redierunt.

V:

§. 337. Dum hæc agebantur Romæ, amisit ecclesia Sinensis protectorem suum. Imperator nimirum *Cham-Hi* Jesuitarum discipulus & amicus anno 1722. morte abreptus sceptrum filio suo *Jong-Tching* reliquit. Quartus hic erat Cham-Hi filius, ad cujus electionem Jesuitæ quamplurimum contulerant, eo quod ipsis plus ceteris ejusdem filiis religioni christianæ favere videbatur. At vix imperium obtinuit, cum alia omnia, ac Jesuitæ putabant, agere cœpit: legem nimirum patris sui, qua religionem christianam suscipere Sinensibus permittebatur, revocavit, suisque ministris ac provinciarum gubernatoribus Christianos persequendi, eorumque ecclesias diruendi licentiam concessit. Ipse exemplo suo ceteris præibat, omnes enim missionarios per regnum Sinense dispersos in urbibus *Kantoni*, & *Pekini* custodire jussit, ut ab ulteriori evangelii prædicatione impedirentur, at cum & in his urbibus eos clam officio missionarii perfungi rescivisset, omnes (exceptis Jesuitis Pekinensibus) ad urbem Machaonensem relegavit, quæ in extremis imperii Sinensis finibus sita, & quodamodo sub Lusitanorum est ditione [1].

1. Nullis Jesuitæ Pekinenses precibus, duras has in Christianos leges ut revocet ab Imperatore obtinere poterant, & non temere fors qui suspicari posset, lites, inter Christianos Sinenses ob bullam *Ex illa die* exortas Imperatorem permovisse, ut eas christianismi extirpatione sedare decreverit.

§. 338. Interim tantum abfuit, ut hæc persecutio controversias de bulla, ejusque mitigationibus a Mezzabarba relictis extinxerit, ut potius auxerit. Jesuitarum adversarii eas reprobabant, & Franciscus *Saraceni* episcopus Lorinensis receptionem mitigationum sub excommunicationis pœna inhibuit. At Jesuitæ (etsi Mezzabarba ante discessum id prohibuerit) easdem mitigationes in linguam tartaricam & sinensem translatas ubique disseminarunt, præterea episcopum Pekinensem *Franciscum a Purificatione* eo persuaserunt, ut clericis suæ diœceseos sub pœna depositionis eodem habere pondere & bullam *Ex illa die*, & ejus mitigationes mandaverit. Castorani episcopi Pekinensis vicarius generalis primus ei in faciem restitit, omnia se prius facturum, quam mitigationes bullæ recepturum asseverans, cujus quidem exemplum brevi tot sunt secuti, ut eorum communi consilio Castorani Romam ablegatus fuerit, quo Jesuitas & Pekinensem episcopum deferat, & revocationem mitigationum a Mazzabarba relictarum impetret.

§. 339. Venit Romam Castorani anno 1734, at per integrum septennium mitigationum abrogationem impetrare haud potuit. Tandem anno 1742. Papa *Benedictus* XIV. in bulla, quæ incipit: *Ex quo singulari &c.* mitigationes prædictas reprobavit, eo quod

Mezzabarba metu mortis, cum vitæ insidias sibi strui intellexisset, eas concesserit, & a sede apostolica utpote bullæ Clementis XI. repugnantes adprobatæ nunquam fuerint, simulque sub pœnarum ecclesiasticarum comminatione omnibus vel latum unguem ab bulla *Ex illa die* recedere prohibuit, ac jurisjurandi formulam præscripsit, qua omnes missionarii Sinenses ad observationem bullæ clementinæ se obstringere jubentur.

§. 340. Neque tamen putes, vel ita controversiam de ritibus Sinensium sopitam esse; nam patroni dictorum rituum bullam Benedicti æque parvi pendebant, sicut bullam Clementis. Ideo post aliquot annos denuo Franciscanus querelis contra eos onustus Romam venit; verum Jesuitæ Pekinenses successive pristinam adipisci cœpere potentiam, quam sub Imperatori Cham-Hi habuere; nam Imperator *Kien-Long*, qui patri suo *Jong-Tching* anno 1735. successit, leges in Christianos ab antecessore suo latas tacite revocavit, & Jesuitis præsertim impense favebat [1].

1. His se brevi alia jungebant circumstantia Jesuitis favorabilis, siquidem jam dudum omnem adhibebant operam, ut ad episcopatus in infidelium neo-conversorum partibus ex illorum ordine assumerentur, & reipsa aliquos episcopatus benevolentia Regis Lusitaniæ, cui jus competit episcopos Asiaticos præsentandi, obtinuerunt, verum episcopatus Sinenses & inter hos præcipuum Pekinensem nunquam antea obtinere poterant, nisi anno 1745: tum enim Rex Lusitaniæ Benedicto XIV ad episcopatum Pekinensem præsentavit *Polycarpum de Souza* Jesuitam Lusitanum, quæ res causam eorum non parum adjuvit.

§. 341. Brevi tamen iterum ecclesiæ Sinensis res prosperæ concidebant, nam utut primitus faventem se exhibuit Christianis Imp. Kien-Long, brevi tamen scena mutata, anno nimirum 1736. persecutio Christianorum ingruebat per aliquot annos continuata. Exordium sumpsit in provincia *Fokiensi*, ubi Dominicani missionis munus obibant, & inde in totum regnum diffusa [1]. Interim ipso hoc persecutionis tempore religio christiana non modicos fecisset progressus fertur [2]. Cum persecutio jam adeo ingravesceret, ut episcopus Pekinensis in Lusitania asylum quærere coactus fuerit, tandem ab anno 1753. melior fortuna Christianis redire cœpit, quam intercessioni Regis Lusitaniæ pro Christianis apud Sinensium Imperatorem interpositæ debebant [3].

1. Inter illos quinque Dominicanos, qui in provincia Fokiensi arcano Imperatoris mandato extremo supplicio adfecti sunt, etiam erat *Petrus Sans* episcopus Mojinensis, qui æque strenue ut Tournonius & Mezzabarba contra Sinensium ritus pugnavit. Brevi post etiam duo Jesuitæ martyrum subibant, & anno 1748. rursus tres in Antachao, reliqui Christiani aut tortura & plagiis affecti, aut bonis spoliati, templaque eorum diruta.

2. Si Jesuitis credimus, anno 1746, quo vehemens fuit persecutio, in sola ecclesia missionis Gallicæ Pekini 1766. proles baptizatæ, 7500. confitentes, & 7500. communicantes numerabantur.

3. Misit nimirum in Sinam legatum Franc. Assissium *Pachecho* cum pretiosis donis ad Imperatorem, quæ res tantum effecit, ut legem, qua publicum religionis christianæ exercitium vetabatur, revocaverit.

§. 342. Japonia ex oriente seculo XVII. magna hominum multitudine referta erat, quibus Jesuitæ imprimis religionem christianam persuaserunt [1]. Turbabant nonnihil progressus missionariorum partim odium sacerdotum & nobilium, partim rixæ & contentiones intestinæ inter missionarios [2], verum hæc non tantum effecerant, ut progressus christianæ religionis sisterent, nam intra tempus quinquaginta annorum bis centena millia Christianorum in Japonia numerabantur.

1 Causa hujus erat inhumanitas ac durities sacerdotum Japonensium in pauperes & infirmos, ac missionariorum Christianorum humanitas & liberalitas; Japonensium enim sacerdotes docebant, pauperes & infirmos non esse sublevandos, eo quod Dii super eos iram suam effuderint, ac justo Deorum judicio ad calamitates in hac & futura vita sustinendas sint condemnati, qua ratione divitibus ac nobilibus odium erga pauperes & infirmos instillabant. At cum doctores Christiani eos edocuissent, calamitates hujus vitæ esse quandoque signa prædestinationis ad vitam æternam, eosque insuper cibo, vestitu, medicamentis, aliisque charitatis operibus foverint, factum', ut plerique fidem in Christum sint amplexi.

2. Nam & hic, ut in aliis provinciis, cum Jesuitis Dominicani, Franciscani, & Augustiniani bellum gesserant. Hi Jesuitis opum conquirendarum libidinem, nimiam erga vitia & superstitiones Japonum indulgentiam, astutiam legatis Christi indecoram tum in ipsa aula romana, tum extra eam exprobrarunt. Jesuitæ vicissim adcusatores suos imprudentia, ignorantia rerum humanarum, morum asperitate, & agresti vivendi ratione nocere magis rebus christianis in gente generosa & perspicaci, quam prodesse querebantur.

§. 343. Verum anno 1615. Imperator ipse Japonum tanta persecutione, cui similem historia ecclesiastica non memorat, Christianos est adgressus, quæ per multos annos protracta non antea desiit, quam funditus rem christianam evertisset [1]. Christiani exteri Lusitani maxime & Hispani excedere regno, Japones autem, qui fidem Christi susceperant, aut Christo maledicere, aut atrocissima subire tormenta jubebantur [2].

1. Causam imnensæ hujus calamitatis alii aliam reddunt. Jesuitæ aliquid culpæ in Dominicanorum & Franciscanorum imprudentiam, hi vicissim in Jesuitarum avara & factiosa ingenia conjecerant. Utrique autem Jesuitæ & Dominicani Batavos & Anglos incusarunt, quod Lusitanos & Hispanos, tum ipsum etiam Pontificem apud Imperatorem exosos reddiderint, ut his exclusis soli in Japonia mercaturam facere possent, Batavi contra & Angli reposuerant, eos nec Hispanos nec Pontificem adcusasse, sed perfidiam tantum Hispanorum detectam fuisse. Id quidem omnes propre perhibent, Imperatorem litteris quibusdam a Batavis interceptis, aliisque indiciis veri speciem præseferentibus persuasum fuisse, id agere Jesuitas, ut per neoconversos seditionem commoveant, & Japoniam in potestatem Regis Hispaniæ redigant, hinc sibi quieto & tranquillo esse non licere, nisi omnibus christianæ religionis vestigiis deletis censuisse. His addi potest 1) fastus & superbia Imperatoris in Japonia, cum honoribus divinis a suis sub litis coli voluerit, missionarii vero neo-conversos id facere prohibuerint, 2) odium

sacerdotum Japonensium, qui aucta re christiana honorum & redituum suorum jacturam timuerant, quique ea de causa religionem christianam saluti reipublicæ noxiam clamarunt.

2. Ab hoc tempore nulli advenæ Japonia patet, & ipsæ christiani nominis umbræ ferro & igne excinduntur. Pauci Batavorum, quibus concessum est quotannis merces quasdam europæas advehere, in extrema regni ora tanquam carcere conclusi vivunt. Cum anno 1640. Rex Lusitaniæ legatos in Japoniam misisset, eos Imperator occidi jussit, simulque dixisse fertur; *Etsi Deus ipse Christianorum in Japoniam veniret, mortem non effugeret.*

§. 344. Omitto speciatim dicere de missionibus in imperio magni Mogolis, Bengala, Tonquino, Cochinchina, Siamo, & insulis adjacentibus, de Malabaria tamen & *ritibus Malabaricis* quædam notanda veniunt. Apud Malabaros erant Christiani, qui suos majores ab Apostolo Thoma ad fidem Christi perductos fuisse arbitrabantur (*Cerrius* de magnorum Mogulum imperio *Jo. Alb. Fabric.* salut. luc. evang. cap. 34.) non tamen defuerunt, qui putarunt Thomam, quo institutore Malabari gloriabantur, quemdam discipulum *Manetis* fuisse. Sexto, septimove seculo aliqui Nestorianorum qui in Europa & Asia christiana multa incommoda acceperant, in Malabariam pervenerunt, multosque hujus regionis incolas ad sua sacra perduxerunt. Ineunte seculo XVI. Lusitani in eam regionem instituendi commercii causa venerant, cumque Malabaros partim Nestorianos, partim idolatras esse animadvertissent, de iis docendis & ecclesiæ Romanæ conciliandis cogitarunt. Itaque Vincentius *Gouvea* Franciscanus illuc migravit, & initium a Nestorianis instituendis duxit, sed quoniam permultos cedere nolle vidisset, ad Lusitanum Pro-Regem Indiarum scripsit, rogavitque, ut collegium adolescentum constitui juberet, magnum enim eorum numerum hac ratione adduci posse putabat, ut Nestorianismum abjicerent, Malabaros quippe, qui filios suos dum per ætatem licuisset ordinatos esse presbyteros cognoscent, permoveri facile posse, ut iis decretis assentirentur, quæ etsi antea acceptare recusaverint, doceri post nihilominus a filiis suis perspicerent. At incolarum non pauci dum suos ad partes Catholicorum transfugisse & fungi sacerdotio intellexerunt, non solum non audiendos sed etiam a cœtibus arcendos judicarunt. Id ubi enunciatum est, Jesuitæ aliam esse ineundam rationem censuerunt, ideo muniti privilegiis Regis Lusitanorum viros in eam Asiæ regionem Syriace peritos miserunt, qui linguam juvenes docerent, quæ magno usui incolis esset, qui graviter de suis presbyteris propterea quod eam minime calerent sunt conquesti. Hi cum docere incolas cœpissent, ita eos sibi devinxerunt, ut eos jam non Europæos, qualis erat Gouvea, sed populares suos esse prædicarent, frequentesque ad ipsos concurrerent, ut sermonem hunc addiscerent, quo in divinis officiis suis utebantur.

§. 345. *Mamachius* postquam de propagatione christianismi in Malabaria edisseruit, narrat: Malabarorum & Coromandelensium haud paucos ex idololatria ereptos in Christum credidisse, sed pars eorum ritus quosdam superstitiosos retinuit. Magnæ inde ortæ sunt contentiones, nam hos ritus imprimis *Tournonius* (de quo paulo ante) in edicto *Pudicherii* lato damnavit [1], totamque rei gestæ seriem litteris Romanæ sedi exposuit & latum a se decretum illius judicio subjecit, quibus Romam adlatis *Clemens XI.* decretum Tournonii rite expensum, atque etiam diligenti examini in congregatione S. officii subjectum in omnibus servandum esse statuit, ea tamen addita clausula: *donec a sede apostolica provisum fuerit, postquam eos audierit, si qui erunt, qui aliquid adversus contenta in hujusmodi decreto adferendum habuerint.*

1. Erant, quæ damnavit, puncta sequentia: 1) ut in administrando baptismo adhibeantur sal, saliva & insufflatio, 2) ut baptizato imponatur nomen alicujus sancti in martyrologio Romano descripti, 3) ne per missionarios crucis, sanctorum, & rerum sacrarum nomina per translata immutentur, nec alio idiomate explicentur quam latino vel saltem indico, quatenus voces indicæ latinæ significationi ad amussim respondeant, 4) ut collatio baptismi infantibus non protrahatur, 5) ut matrimonia non contrahantur ante pubertatem (moris enim illius regionis est, ut infantes septem annorum ex parentum consensu non sponsalia tantum, sed matrimonium de præsenti contrahant). 6) ne uxoris collo appendantur *Tally*, seu aureæ tesseræ nuptiales cum imagine idoli, quod vocant *Pollejarem*, vel *Pylaiarin*, & ne uxores innuptæ videantur, poterunt uti alio Tally imagine Christi, Mariæ vel alterius sancti, & cum superstitione non careat funiculus 108. filis compositus & croceo succo delinitus, quo plerique dictum Tally appendunt, dictorum filorum numerus & unctio est prohibita 7) ut nuptiarum ritus ab omni superstitione expurgentur, nimirum ut ramus arboris *Arasciomaram* omnino auferatur, ferculorum numerus non minus ac cibi præscripta qualitas varietur, circuli super caput sponsorum ad tollenda maleficia omittantur, & quod de ferculis dictum, de luteis vasis ibidem adhiberi solitis dictum & prohibitum intelligatur, 8) fructus qui pro vulgo dictus Cocco, ex cujus fractione pro prosperitatis aut infortunii auspicia Gentiles temere ducunt, vel omnino a Christianorum nuptiis rejiciatur, vel saltem si illum comminuere velint non publice sed secreto fiat, 9) ne mulieres arceantur a sacramentis causa menstrui fluxus, 10) ne festum ob muliebria, dum primo fluunt, & puella adparet viro apta, celebretur, 11) ne *Parreis* subsidium spirituale etiam in ipsorum domibus denegetur (per Parreas Malabari intelligunt infirmæ conditionis homines, ad quorum ædes missionarios infirmorum visitaturos & sacramenta administraturos ire non sinebant, sed ad ecclesias ægrotum Parream deferendum volebant), 12) ne Christianorum tibicines, aliique musicæ periti operam in idolorum *pagodis* (templis) præstent, demum 13) ne cineres ex vaccæ stercore confecti & impiam Gentilium pœnitentiam a Rutren institutam redolentes benedicantur, & fronti sacro chrismate delinitæ imprimantur, sive alia quæcunque signa albi vel rubri coloris, quibus Indi superstitiose in fronte vel in pectore, aut in alia quavis corporis parte utuntur, deferantur.

§. 346. Hæc ipsa vero clausula causa fuit falsi rumoris, qui post paucos annos per Indiam increbuit: nempe Papam Clementem Tournonii decretum revocasse, & nonnullas ceremonias adprobasse, quas ille tamquam superstitiosas proscripsit, cui falso rumori cursum intercepturus Clemens prima Septembris anni 1712.

extrahere tabulariis mandavit authenticum exemplar bullæ Tournonii edictum confirmantis, illudque episcopo Meliapurensi transmisit, ac ne ullo modo mens Pontificis in dubium vocari potuerit, exemplari transmisso jungendas voluit litteras apostolicas in forma brevis: *Venerabiles fratres*. Sunt præterea litteræ a congregatione de propaganda fide ad Claudiopolitanum episcopum in eamdem sententiam datæ.

§. 347. Sed quum rituum quorumdam patroni, imprimisque Jesuitæ, instarent, Pontifex rem omnem ut ajunt a capite repetendam putavit. *Prospero Lambertino* card. (tum inquisitionis consultori, postea Pontifici sub nomine *Benedicti XIV*) in mandatis dedit, ut controversiam breviter complecteretur. Jam negotium hoc Lambertinus peregit, cum Clemens e vita migraret. Successit Innocentius XIII, qui aliquot doctos congregari, communicatisque consiliis quid facto esset opus dicere jussit, at paulo ante, quam res esset perfecta, & ipse obiit. Successor ejus Benedictus XIII apostolicas litteras in forma brevis anno 1727. ad universos episcopos & missionarios regnorum Madurensis, Mayssurensis & Carnatensis dedit, quibus Tournonii decretum confirmavit, observandumque præcepit.

§. 348. Mortuo Benedicto rituum defensores ad Clementem XII. confugerunt nihil sibi legitime de litteris Benedicti nunciatum dicentes. Itaque orarunt, ut congregationi sacri officii mandaret, ut in causam inquireret, statueretque, quid factu esset opportunum? Annuit Pontifex, ac congregatio majorem partem decreti Tournonii servandam, nonnulla explicanda censuit, cujus sententia authoritate Clementis confirmata. Quum vero porro aliqui contra facere præsumerent, rursum Clemens anno 1739. ad episcopos & missionarios litteras misit, utque jurejurando omnes se obtemperaturos pollicerentur, præcepit, Præpositis dein generalibus ordinum religiosorum edixit, ut suos ad parendum compellerent, recusantes in Europam revocarent. Interim *Lambertinus* mortuo Clemente Pontifex sub nomine *Benedicti* XIV. renunciatus est, cui, postquam ei documenta, quibus omnes sedi Romanæ satisfecisse constabat, exhibita sunt, nihil aliud supererat, nisi ut dubitationes aliquas tolleret [1].

1. Erant nimirum nonnulli, qui ab eo petebant, 1.) ut intolerando onere tot juramentorum & censurarum, quibus veluti laqueis eorum conscientiæ vinciebantur, solverentur, 2.) ut dispensatio alias concessa super insufflationem & salivæ ritu in baptismo ministrando prolongaretur, eo vel maxime, quod ritus humana solum lege sit introductus, & ut super ea dispensetur necessarium esse ad propagandam fidem in illis regionibus, quarum incolæ ingenito veluti horrore ita salivam aversentur, ut de eo evellendo prope jam sit ab eis desperatum, 3.) ut decretum circa *Parreas* mitigetur, eo quod secus Genti-

lium ad fidem conversio impossibilis evaderet; si enim hoc hominum genus adire cogerentur universi missionarii, timendum esset, ne nobiles a religione Christiana suscipienda in posterum deterrerentur. Ad hæc respondit Benedictus: 1.) jusjurandum missionariis prætermittere non licere, 2.) mirari se, quod tot annorum intervallo cathecumeni non ita sint instructi, ut satius esse putent in baptismo insufflationes & salivam adhibere, permitti tamen a se ad decennium dispensationis hujus prolongationem, quod si qui Malabari essent, qui ineptum & minus decentem esse hunc ritum censerent, hos baptizari non oportere. 3.) decretum Tournonii de *Parreis* omnino justum, Jesuitæ vero proponebant, ut *aliqui tantum* ad Parrearum curam deputentur, quod consilium Pontifex probavit (Hæc magis explicata legere est in *constitutione Benedicti XIV. de anno* 1744. *die* 7. *Octob. super ritibus in regnis Madurensi*, *Maysurensi*, *& Carnatensi Indiarum orientalium servandis*).

§. 349. Postquam Hispani, Lusitani & Galli vastas in America provincias sibi subjugarunt, eorum sacerdotibus & monachis occasio non deerat Christianam religionem in iis propagandi, saltem ea impedimenta iis non erant removenda, quæ vinci in regionibus debent, quarum Imperans ipse infidelis est. Attamen non immerito quis dubitet, num hac occasione data ita usi sint, sicut uti ea debuissent, multi nimirum ex his barbaris militis Hispani armis ad religionem Christi suscipiendam adacti sunt.

§ 350. Missio *Paraquariensis* præ ceteris memoratu digna est, quam plerique majoribus ac par est laudibus extulerant, at novissimis temporibus extra omnem est positum dubitationem, missionarios Paraquarienses non tam salutem animarum, quam augmentum opum & potentiæ quæsivisse. Missio hæc per seculum & dimidium jam continuata est, & nonnisi sub finem seculi XVII. vera ejus ratio & indoles explorari poterat [1].

1. Exposuit arcana hujus missionis aulæ Hispaniarum anno 1715. quidam hujus rei peritus, at non tantum nullam invenit fidem, sed potius Rex Hispaniarum anno sequenti privilegia antea huic missioni concessa denuo confirmavit. Cum anno 1731. Indiani in Regem Hispaniæ seditiosi fuerint, idem ille, qui nullam sua denunciatione invenit fidem, eamdem repetebat ostendendo, omnem culpam exortæ seditionis in missionarios rejiciendam esse, concessaque iis privilegia bono regni adversari, at neque his invenit fidem.

§. 351. Jam pridem referebatur, Jesuitas ex provincia vulgo dicta *missionis* (misiones) annuos habere reditus ad quinque milliones imperialium, totam nationem 300000. familiis constantem ad fidem Christi perduxisse, & in 24. diœceses divisisse, quarum cuilibet unum ex suis præposuerint, neoconversos ad labores & negotiationes adigere, nec tamen eos fructibus laborum suorum frui sinere, sed omnia sibi appropriando iis nihil nisi sustentationem sat miseram ex communi cassa porrigere [1].

1. His additur, quod nulli advenæ aditum ad provinciam missionis concedant, quod neo-conversis nec conversari cum Hispanis, nec linguam hispanicam addiscere permittant, quod ipsis communionem bonorum, mundi con-

temptum, cœcam obedientiam erga missionarios inculcent, quod in variis artibus tum mechanicis tum liberalibus pictura, musica, architectura, arte militari, & aliis instrui curent, quod ingentes divitias ex fodinis metalorum, & ex herba *Paraquei* dicta (quæ est species herbarum Thcé) sibi comparent, quod ipsorum ecclesiæ auro & argento fuso solidoque ornatæ sint, cum similibus.

§. 352. Jesuitæ contra hæc omnia enervare conabantur contendentes, se esse pauperes evangelii ministros, numerum incolarum in provincia missionis ultra 150000. non assurgere, se neoconversis conversationem cum Hispanis & usum linguæ hispanicæ minime hac de causa, prout incusabantur, interdixisse, ne arcana missionis ab Hispanis detegerentur, sed id fecisse ex caritate Christiana, ne corruptis eorum moribus pervertantur, quod cum Regi persuasissent, ab eo obtinuerant, ut prohibuerit, ne quis absque Jesuitarum licentia provinciam missionum adeat [1] (*Heinsius H. E. Tom. 3. pag.* 113.)

1. *Lud. Ant. Muratorius* speciali in libro de hac egit missione, qui primo prodiit Venetiis anno 1743. in gallicum & anglicum idioma postmodum translatus. Hoc in opere, etsi patronum Jesuitarum agat vir doctissimus, ipse tamen fatetur, Jesuitas in provincia missionis omnia ordinasse, quæ religionem & res politicas concernunt, quod nulli Hispanorum multo minus aliis Europæis licuerit provinciam missionis adire, quod nullum neoconversis Indianis rerum suarum concessum fuerit dominium. Cum omni possibili modo Muratorius prædicto in libro ea diluere conatus sit, quæ Jesuitis sunt objecta, multi in eam devenerant opinionem, reipsa mendacia esse, quæ de regno Jesuitarum Paraquariensi spargebantur; verum ex quo *Bernardus Ibagnez* librum suum, quem inscripsit: *Reyno Jesuitico del Paraguai*, Ulissipone anno 1770. evulgavit, nemo fere inventus fuit, qui Muratorio adhæsisset. Ibagnez Jesuitarum ordinem ingressus ab illis primitus ejectus, sed denuo susceptus, ac ad provinciam missionum ablegatus, postquam inde in Hispaniam rediisset, a Rege benigne exceptus, annuaque pensione donatus librum citatum scripsit, in quo reclamantibus licet Jesuitis propugnat, eos in provincia missionis regnum a Rege Hispaniæ independens machinatos fuisse. Imo spargebatur, quemdam Jesuitarum titulum Regis Paraquariensis sub nomine *Nicolai* I. assumpsisse, qui rumor tamen falsus inventus est.

§. 353. Tractatus & conventio, quam inierant Rex Hispaniæ *Ferdinandus VI.*, & Rex Lusitaniæ *Joannes V.* de constituendis finibus & limitibus suarum ditionum in America, occasio erat adcuratius in arcana missionis Paraquariesis penetrandi. Jesuitæ omnem adhibebant operam executionem conventionis initæ impediendi, sed incassum. Quum igitur anno 1752. commissarii regii de ponendis limitibus copiis Lusitaniæ & Hispaniæ stipati agere cœpissent, Jesuitæ intercedebant, ut negotium istud suspendatur, usquedum messis peracta esset, quod quidem etiam obtinuerant. At eventus docuit, causam petitæ dilationis minime fuisse fructuum collectionem, nam cum tempore messis elapso tractatus exequi cœpissent commissarii, Indiani restiterant, variaque crudelitates in exercitus regios exercuerant, qua de causa res ad solemne devenit bellum, quod ad finem usque anni 1754. gerebatur,

cujus is erat exitus, quod Reges Hispaniæ & Lusitaniæ id, circa quod convenerant perfecte exequi impediti conventione cum Indianis inita contenti esse debuerint [1]. (*vid. Mosheim a Christoph. ab Einen in idioma germanicum translatus & continuatus*).

1. Hæc præcipua fuit causa, quod Jesuitæ aliquot annis ante totalem hujus ordinis extinctionem solum Hispaniæ & Lusitaniæ migrare sint jussi. Anno 1767. Rex Hispaniæ Franciscum *Bucarelli* ablegavit, qui illis ex provinciis quoque americanis sub ditione Hispaniæ sitis egredi injungeret.

§. 314. Ad fata ecclesiæ catholicæ adversa omnes illæ referendæ sunt persecutiones, quæ in Sina, Japonia, Cochinchina, insulis Philippinicis, aliique extra Europam partibus exortæ sunt. His *publicis* religionis hostibus addendi *privati*, nempe Atheistæ & Naturalistæ, qui scriptis suis contra omnem religionem revelatam pugnarunt [1].

1. *Rationalistas* se etiam hi adpellare solent, eo quod, ut ipsi saltem prætendunt, soli ratione naturali recte sciant. Athei *theoretici*, qui prorsus Dei existentiam negarent, vix inveniuntur, major autem a seculo XVII. exstitit copia Atheistarum *practicorum*, qui quidem Deum existere ajunt, negant tamen, eum res hujus mundi curare, ut eo liberius libidini indulgere queant. *Naturalistæ*, seu *Deistæ* illi vocari solent, qui Deum ejusque providentiam admittunt, omnem tamen revelationem & divinarum Scripturarum authoritatem rejiciunt. His adde *Materialistas*, qui animæ nostræ spiritualitatem & immortalitatem inficiantur.

§. 355. Duces his se præbuere *Benedictus Spinozza* [1] Julianus *Offrey de la Mettrie* natus anno 1709. medicus ex Anglia, & *Helvetius* [2], Thomas *Woolston*, & author anonymus *fragmentorum* a Lessing editorum [3], quos multi alii secuti sunt [4].

1. Erat Spinozza princeps & acutissimus omnium sui seculi religionis hostium. Ipse quidem sapientius & honestius vivebat, quam multi ex iis Christianis, qui de veritate religionis revelatæ nunquam dubitarunt, neque homines ad Dei contemptum, & pravos mores traducere studuit. In suis libris autem, illis præsertim, qui post obitum ejus prodierunt, id aperte agit, ut hoc universum, seu mundum aspectabilem a Deo minime differre, & quæcunque sunt vel fiunt, immutabili naturæ lege contingere convincat. Quæ si vera forent, jam sibi unusquisque Deus esset, nec ulla ratione peccare posset, in quam eum sententiam (vulgo *Pantheismus* dictam) abs dubio philosophia carthesiana, cui se totum addixerat, impulit; in primis enim commune illud philosophorum adagium adoptavit, *quod Deo omnes realitates eminentissimo gradu insint*, dein autem ex carthesiana philosophia hoc ut certum assumpsit, duas tantum esse realitates *cogitationem & extensionem*, illam spiritibus, hanc materiæ propriam. Hoc posito consentaneum erat, ut utramque realitatem cogitationem nimirum, & extensionem sine omni fine Deo tribueret, quo facto nihil reliquum erat, quam ut Deum & mundum in unam conflaret naturam, atque unam tantum esse veram substantiam. Vera tamen ejus de Deo sententia ex *ethica*, quæ post ejus obitum prodiit, non vero ex tractatu *theologico-politico*, quem vivens emisit, æstimari debet; in hoc enim non aliter disputat, ac si numen quoddam æternum a mundo distinctum crederet, quod aliquam revelavit religionem & eventis etiam quibusdam mirabilibus, non tamen naturæ vires superantibus confirmaverit, in sua ethica vero clarius mentem

suam explicat, Deumque ipsam esse rerum naturam ostendere studuit. Hæc ad eos refellendos conducunt, qui meliorem fuisse Spinozzæ mentem contendunt, quam vulgo videtur, eamque ex tractatu *theologico-politico* eruere volunt. Natus erat anno 1632. a Judæis parentibus, qui ipsi nomen *Baruch* dederant, repudiata vero Judæorum religione nomen hoc abjecit assumpto nomine *Benedicti*, nunquam tamen religionem Christianam aut baptismum suscepit, obiitque Hagæ comitum anno 1677. Ceterum doctrina ejus, etsi methodo utatur scientifica, minime talis est, ut argumentorum evidentia allicere queat, ajuntque asseclæ ejus, summis etiam ingeniis perdifficile esse veram Spinozzæ mentem assequi, ideo a Pantheistis *Petro Baylio* (quem tamen virum magni ingenii fuisse nemo nescit) id est exprobratum, quod ejus sententias parum feliciter assecutus sit, nec idcirco solide confutaverit. Acerbe id ipsum queritur Ludovicus *Mejerus* in præfat. ad opera Spinozzæ posthuma, male vulgo intelligi eximium hominem, cujus sententiæ omnes religioni Christianæ consentaneæ sint. *Boulainvilierius* etiam, interpres Spinozzæ, omnes ejus adversarios aut malitiose mentem viri pervertisse, aut male intellexisse pronunciat. Verum si tam ardua & a vulgari cognitione adeo remota hæc esset disciplina, ut summi etiam ingenii viri in ea explicanda falli possunt, quid restat, quam ut statuamus, maximam *Spinozistarum* partem, quorum magnus per Europam numerus fusus esse dicitur, non tam argumentorum vi convictam, quam spe impune vivendi eam adoptasse? tantam enim hominum turbam, quorum multi de limando ingenio ne cogitarunt quidem, id omnes perspexisse, quod perspicacissimos etiam fugit, nemo credit. Boulainvilierius quidem, cum moleste tulerat, Spinozzam a plerisque fere male intelligi, laborem in se suscepit plana eum, ac mediocribus ingeniis accomodata ratione declarandi. Successit hoc consilium, sed hunc unicum laboris sui fructum tulit, ut omnes jam clarius, quam antea sentiant, nec Baylium, nec ceteros, qui Spinozzæ sententias & rationi & religioni contrarias esse censuerunt, temere judicasse.

2. Offrey varia post fata Berolini membrum academiæ scientiarum factus gravissimum materialismum tradidit. Hominem esse ajebat meram machinam similem plantæ, quæ ita crescit, prout organizatio ejus exigit, adeoque cum interitu hujus machinæ totum interire hominem, nomina porro virtutis & vitii esse inanem sine mente sonum. Huic se adjunxit. Jo. Claud. Hadr. Helvetius, organizationem nostri corporis causam esse contendens, quod varias præ brutis habeamus prærogativas, præterea virtutes morales vitia politica, & virtutes civiles peccata moralia esse docuit.

3. Woolstonius pugnavit contra miracula Christi; non enim in sensu litterali, sed in allegorico intelligenda esse tradidit, nimirum Christum non *reipsa* cœcis visum, surdis auditum, & mortuis vitam restituisse, sed *spiritualiter* tantum id fecisse, nec eum vere resurrexisse, sed corpus ejus apostolos clam e sepulchro abstulisse, in nullo vero opere miraculum resurrectionis Christi vehementius est impugnatum, quam in *fragmentis anonymi* a Lessing editis, quorum author quidem *Reimarus* fuisse putatur.

4. Huc pertinent Jo. *Wilmotus* comes Roffensis, qui tamen resipuit, *Antonius Ashleius Cooper* comes *Schaftsburyus* non apertus quidem, at ob sales, dictionis leporem, ingeniique summam amœnitatem occultus rei Christianæ hostis, agrestis & hebes est, si cum hoc comparetur *Tolandus*. In Gallia Angliæ adversa Julius Cæsar *Vaninius* Italus, scriptor amphitheatri providentiæ, & dialogorum de natura, publice Tolosæ tanquam omnis religionis hostis anno 1629. combustus est. Cum Casimiro *Leszynski* equite Polono, qui anno 1689. Warsoviæ capitali supplicio ob Deum divinamque providentiam negatam affectus est, an juste actum sit, an injuste? vix decerni potest, nisi inspectis actis processus. In Germania excors quidam & emotæ mentis homo *Math. Knutzen* novam *conscientiariorum*, id est hominum solam rectam rationem sequentium condere nitebatur.

CAPUT SECUNDUM

DE

FATIS INTERNIS.

§. 356. In his enarrandis eum servabimus ordinem, ut 1.) dicendum sit de statu scientiarum, 2.) de controversiis theologicis, 3.) de ritibus, 4.) de hierarchia, seu sacro regimine, & demum 5.) de ordinibus religiosis.

§. 357. Litteræ omnes, tum quæ ratiociniis, tum quæ memoria & imaginatione adquiruntur, quam feliciter seculo præcedenti emendatæ & amplificatæ sint, fere infinitis constat testimoniis. Animavit litterarum amantes, & viam simul, qua ipsis incedendum sit, sub exordium seculi monstravit vir maximus *Franciscus Baco de Verulamio* Anglorum Apollo libris potissimum *de dignitate & augmento scientiarum*, & *novo organo scientiarum* [1]. Artium maxime mathematicarum cognitio ad tam excelsum gradum evecta est, ut pueros in his rebus, qui prioribus seculis vixerant, putes. Classicum cecinit *Galilæus de Galilæis* in Italia magnorum Hetruriæ Ducum liberalitate suffultus [2], quem secuti sunt inter Gallos *Renatus Carthesius*, *Petrus Gassendus*, inter Danos *Tycho de Brache*, inter Anglos Rob. *Boylè* & magnus ille *Isaacus Newtonus*, inter Germanos *Jo. Keplerus* (inventor celeberrimi illius theorematis astronomici, quod radius vector describat areas temporibus proportionales) *Jo. Hevelius*, *Godofr. Leibnitius*, inter Helvetos *Bernouly*. His primi ordinis viris tot se cupidissime junxerunt alii, nulla ut Europæ natio cultior, quæ excellenti se geometra, physico & astronomo jactare nequeat [3].

1. Natus fuit Londini anno 1561. factus procurator regius & cancellarius Angliæ, dein avaritiæ, & perfidiæ incusatus, bonis ejus fisco addictis, ad vitam se solitariam recepit, quam morte clausit anno 1626. Non quidem dissimulandum, magnum hunc virum ab ingenio suo abripi se nonnunquam passum fuisse, nec tam ea, quæ fieri possent, quam quæ fieri vellet, postulasse. Ast iniquus tamen sit qui neget, magnam partem progressuum, quos in omni eruditionis genere seculo XVII. Europæi fecerant, consiliis & monitis ejus tribuendum esse.

2. Natus erat Florentiæ. Copernicanum cum defendisset systema, *Urbanus VIII.* Papa hanc doctrinam tanquam scripturæ sacræ contrariam damnavit, vetabatque illum suam prosequi doctrinam, cujus imperio cum non pareret Galilæus, ab inquisitione compactus in carcerem quinquennium in eo exegit, imperatumque illi insuper, ut hanc doctrinam revocaret, cum annorum esset sexa-

ginta Mortuus est anno 1642. Idem Galilæus ansam præbuit *Hugenio*, ut horologia invenerit; observabat enim Galilæus, dum missæ intererat, lampades in ecclesia pendentes ventoque agitatas eo pauciores intra idem tempus peragere oscillationes, quo longiori ex filo penderent. Domum rediens globulos in filis diversæ longitudinis suspendit, & notatis adcurate eorum oscillationibus theoriam de pendulis tradidit, quibus ex theorematibus posthac Hugenius horologiorum inventione deducta insigne humano generi præstitit beneficium.

3. Sed quorsum hæc? quæret aliquis: aut cur artis mathematicæ incrementa in historia ecclesiastica locum sibi vendicant? En rationem! Per culturam matheseos, physicæ, & astronomiæ *superstitionis* imperium attritum est, quantas superstitiones religionem christianam fœdantes olim pepererint cometæ, eclipses solares & magia plus quam notum est; cometa enim, cujus *pallidus* erat color, lethales morbos præsagiebat, color ejusdem *ruber* febres inflammatorias, *fulvus* mortem Principis cujusdam prænunciabat, & quilibet cometa iræ divinæ signum habebatur. Eclipsim solarem animal venenatum putabant, quod atmosphæram veneno implet, nec desunt exempla, ipsos animarum pastores, populum ex cathedra admonuisse, ne tempore eclipseos pecus suum aquam fontis, aut fluvii utpote veneno infectam haurire sinant. Idem de magia notandum, siquidem effectus naturales pro magicis habebantur, unde tot superstitiosi exorcismi orti, qua in re præcipuam suam operam ponebant monachi mendicantes. Has sordes cultura scientiarum naturalium abstersit.

§. 358. Morum quoque disciplina, quam Christus tradidit, meliorem formam, plurimaque præsidia nacta est, postquam jus naturæ diligentius quam antea & clarius explanatum est. Ducem se in hoc genere præbuit *Hugo Grotius* vir incomparabilis libro de *jure belli & pacis*. Quantum autem cultura juris naturalis ad ecclesiæ bonum conferat, pridem ostenderant viri docti [1], quæ inter istud est præcipuum, quod hujus scientiæ opera eorum cavillationes fortius sint repressæ, qui præcepta Christi rectæ rationi repugnare, bonum civitatis evertere, homines effœminare, ac a negotiis vitæ civilis abstrahere audacter disputarunt.

1. Ut enim verbis Illust. L. B. de Martini utar, *id exacta juris naturalis cognitio præstat theologiæ positivæ, ut non modo sufficientis præmii, vel pœnæ naturalis in hac vita defectus, & porro vitæ alicujus futuræ, imo & revelationis necessitas intelligatur, sed etiam ut mira evangelii cum recta ratione conspiratio plenissime eluceat. Quod si autem inter jus naturale & revelationem adparens quædam oriatur contradictio, tunc quidem solida juris naturæ principia præsto esse oportet, ut concordia revelationis cum lege naturali explicari queat.*

§. 359. Sed de philosophiæ inter Christianos fata separatim dicere nonnulla convenit. In binas familias tota fere philosophorum natio tributa erat ineunte seculo præcedenti, *Peripateticorum* nempe & philosophorum *per ignem*, seu *chymicorum*, & hæ plurimis de principatu inter se disputabant. Peripatetici omnes fere scholas occuparunt, neque secus, quam in patriæ proditores & hostes publicos sævierunt in omnes, qui Aristotelem aut emendandum aut deserendum esse judicarunt, plerique tamen horum non tam ipsum Aristotelem, quam recentiores ejus interpretes sequebantur. Chymici, seu philosophi per ignem [1]

per omnes fere Europæ provincias discurrebant, & *Rosæcrucianorum fratrum* vocabulo adscito gentem peripateticam & rationis & religionis corruptæ alius alio ineptius & contentiosius incusabat [2].

1. His se duces præbebant *Rob. Fluddus* Anglus mirabilis ingenii homo, *Jacob Bohmius* sutor Gorlicensis, & *Michael Mejerus*. Rosæcrucianorum nomine philosophos chymicos religionis studium cum mysteriorum chymicorum indagatione sociantes intelligi testatissimum est. Ipsum hoc nomen est chymicum, neque potestatem ejus capiunt, nisi qui stylum chymicis proprium calent. Compositum est non quod multi sibi persuadent ex *rosa* & *crux*, verum ex vocabulis *ros* & *crux*. Ros omnium corporum naturalium potentissimum est ad aurum solvendum, crux vero idem est ex stylo chymicorum quod lux, quia figura † tres illas litteras, quæ vocabulum *lux* formant, una exhibent, lucem vero hæc secta vocat *semen*, seu *menstruum draconis rubri*, grassum illud & corporeum lumen, quod probe coctum & digestum aurum producit. Itaque philosophus *Rosæcrucianus* est, qui ope roris lucem, id est, materiam lapidis philosophorum quærit. Reliquæ nominis hujus interpretationes falsæ sunt & inanes ab ipsis chymicis ad fallendos alios a sacris suis alienos inventæ.

2. Mire hoc hominum genus inter se dissentit, sunt tamen qnæ omnes jungunt communia quædam præcepta. Universi putant, ad veram sapientiam & prima rerum omnium principia non alia deveniri posse via, nisi per artem chymicam, seu solutionem corporum per ignem: universi convenientiam aut analogiam quamdam religionis & naturæ sibi fingunt, Deumque iisdem legibus, quibus in *regno naturæ*, etiam in *regno gratiæ* agere statuunt, unde fit, ut religionis dogmata vocabulis chymicis & phylosophiæ suæ propriis enuncient. Universi de *rerum*, quas nominant, *signaturis*, de astrorum in res corporeas influxu, & in ipsos etiam homines imperio, de magia & varii generis dæmonibus multa superstitiose disserunt. (*Petrus Gassendus examine philosophiæ Fluddanæ*, *Godofr. Arnoldus Historia de la iglesia y de las heregias part. 2. L. 17. cap. 18.*)

§. 360. Modum certamini huic inter chymicos & peripateticos posuerunt, diversamque philosophandi formam protulerunt duo magni ex Gallia viri *Petrus Gassendus* matheseos professor Parisiensis, & *Renatus Carthesius* eques & miles Gallus. Gassendus anno 1624. aristotelicos editis *Exercitationibus* contra Aristotelem fortiter adgressus est, verum tantam sibi invidiam, tot hostes labore isto paravit, ut vir pacis & tranquillitatis amans ab eo desisteret; septem libris enim totam contra aristotelicos pugnam absolvere statuit, sed duos tantum edidit, reliquis quinque in ipso ortu extinctis. Idem Fluddum & in hoc ceteros Rosæcrucianos libro singulari, quod aristotelici non improbabant, adgressus est. Postremo ipse aliam philosophandi viam monstratravit, quæ lento gradu a rebus in sensus incurrentibus ad res supra sensus positas ascendit, atque observando experiundo, motus & leges naturæ considerando ex notionibus singularibus universales alicere studet, qua in re mathesim potissimum in auxilium vocavit.

§. 361. Carthesius autem alia longe ratione philosophabatur, Mathesi enim, cui primo omnia tribuerat, relicta ad notiones

universales, seu metaphysicas confugit. Vix vero cogitata sua in lucem protulerat, cum ex plerisque gentibus Europæis non mediocris virorum perspicacium multitudo, quibus scholarum sordes dudum displicuerant, ea amplecteretur, extrusisque Peripateticis Carthesium juventuti commendaret, Peripatetici contra summa imis miscebant, ne veteri philosophiæ nova præferretur [1]. Diuturnæ contentionis hic tandem fuit exitus, ut sapientior Europæ pars non quidem Carthesii unius disciplinæ se traderet, at exemplo tamen ejus liberius quam antea philosophandum, & servituti *Aristotelis* renunciandum esse decerneret.

1. Et ut eo felicius hoc bellum gererent, adjuti theologorum authoritate, non errorum modo gravissimorum, sed etiam proditæ majestatis divinæ authorem ejus acerbe postularunt. Minus hanc iram admirabitur, qui cogitaverit, non tam pro disciplina sua, quam pro commodis, honoribus & fructibus suis aristotelicos dimicasse.

§. 362. Neque tamen postquam binæ hæ philosophorum sectæ Peripateticos extruserant, universa philosophantium natio ad alteram earum se contulit, aliqui enim nulli addicti sectæ meliora & certiora ex omnibus sectis illa præsertim, quæ omnes scholæ pro veris receperant, colligere & in corpus quoddam cogere tentarunt, qui vulgo *Eclectici* nominabantur. Ex his ipsis denique philosophorum concertationibus peracuti quidam homines occasionem sumpserunt de veritate invenienda desperandi, & scepticorum lusum diu clausum denuo aperiendi [1].

1. Hos inter celebritate antecellunt *Franc. Sanchez* medicus Tolosanus (cujus extat celebris liber: *de eo, quod nihil sciatur*) & *Petrus Daniel Huetius*. Hujus quidem magni viri *de humanæ rationis imbecillitate* liber post ejus obitum prodiit, sed constat Huetium diu ante hunc librum vel scriptum vel editum scepticorum philosophandi genus comendasse, hocque unum ad religionem christianam firmandam adcommodatum judicasse (*vid. comment. de rebus ad eum pertinentibus L.* 4. *p.* 230. *& demonstr. evang. præfat.* §. 4. *p.* 9.) ubi eorum laudat consilium qui scepticis argumentis philosophiam omnem primum enervant, & ex animis ejiciunt, antequam veritatem religionis christianæ dubitantibus probent. Jesuitæ, quibus valde fabebat Huetius, hanc artem ad Protestantes in ecclesiam Romanam pertrahendos nec sine fructu adhibuisse feruntur.

§. 363. Postquam Gassendus & Carthesius aristotelicos impugnare cœpissent, eos demum seculo nostro penitus profligarunt duo magni viri *Godofr. Leibnitius* & *Christ. Wolfius*, quorum alter metaphysicam, quod prorsus novum, nec antea tentatum geometrarum legibus & vinculis alligavit, & *cosmologia* locupletavit. Sed non paucos nacta est philosophia Wolfiana adversarios, eo quod quibusdam fundamenta religionis concutere videbatur [1].

1. Quæ ob philosophiam Wolfianam controversiæ sint exortæ, in historia eccle-

siæ protestanticæ narrabitur. Interim etiam in nostram ecclesiam philosophia Wolfii non modicum habuit influxum, constat enim, Catholicos successive eamdem etiam adoptasse.

§. 364. Incrementa, quæ litteris a seculo XVII. accesserant, in omnibus Catholicorum provinciis æqualia haud sunt, cujus rei ratio præcipua in inquisitione hæreticæ pravitatis invenitur. Nam ubicunque hoc viguit tribunal, libri inquisitorum censuræ subjici debebant, qui veræ doctrinæ expertes, ac monachismi præjudiciis abrepti optimos ingeniorum fœtus suppresserunt [1].

1. Annos ante paucos eruditus quidam, qui bibliothecam regiam *Madriti* adiit, invenit, omnes authores classicos his fuisse notatos verbis: *Author damnatus*, nec ipsi diffitentur Hispani, libros prohibitos præ ceteris lectu dignissimos esse. Imo historiam *Caroli V.* legere aut scribere olim in Hispania prohibitum erat.

§. 365. Magna de gratia Christi controversia seculo XVI. est exorta. *Ludovicus Molina* Jesuita Hispanus anno. 1588. librum edidit *concordia liberi arbitrii, & gratiæ*, in quo gratiam *ab extrinseco* efficacem propugnabat, quod ægerrime ferebant Dominicani pro gratia *ab intrinseco* efficaci certantes, & universam contra Jesuitas concitarunt Hispaniam eos Pelagii errores renovare velle quærentes. Idem Molina (a quo Jesuitæ, aliique Jesuitarum doctrinam de gratia sequentes dicti sunt *Molinistæ*) a plerisque quamquam minus recte [1] author habetur illius quondam percelebris *scientiæ mediæ*.

1. Primus scientiæ mediæ inventor fuit *Petrus Fonseca* Jesuita, qui eam tamen viva solum voce tradidit, primus autem, qui eam in publicam lucem proferre ausus est, erat *Prudentius de Monte-Major*, quod cum deinceps longe majori cum adparatu & strepitu Molina fecerit, ille etiam novi inventi gloriam retulit. Ab illo tempore scholas personare cœperant nomina *Molinistarum* & *Thomistarum*, quorum postremo Dominicani vocari voluerant, eo quod se doctrinam S. Thomæ Aquinatis in materia de gratia Christi sequi profitebantur.

§. 366. Dominicani clamoribus suis contra Jesuitas & Regem Hispaniarum *Philippum II.* & *Clementem VIII.* Papam commovere non cessarunt, donec tribunal quoddam Romæ Pontifex erexerit ad hanc litem decidendam, quod dein adpellatum est *congregatio de auxiliis* (gratiam enim Christi scholastici adpellant etiam *auxilia*). Cœperunt hæ congregationes sub Clemente VIII. anno 1598, & continuatæ usque ad annum 1607, quo finis tandem impositus, nihil tamen decisum. *Hyacinthus Serry* Dominicanus, qui harum congregationum historiam scripsit, narrat, bullam contra sententiam Molinæ & Jesuitarum jam fuisse exaratam, nihilque nisi juris solemnitatem defuisse, distulisse autem Papam suam declarationem in opportunum tempus [1].

1. Causa suspensi decreti a Serry hæc adducitur: decreta duo edidit serenissima

respublica Veneta, unum anno 1603, quo prohibebatur nova monasteria extruere, novosque religiosos ordines inducere, alterum anno 1605., quo vetabatur, ne ullus per actus inter vivos, aut mortis causa bona immobilia monasteriis relinquat inconsulto senatu. Præterea respublica jam sub Clemente VIII. *Brixianum* monachum Augustinianum, qui puellam 12. annorum stuprasse & occidisse adcusabatur, *Scipionem* canonicum Vicetinum, atque *Brandolinum Valdemarinum* Nervesiæ Abbatem scelerum plurium insimulatos in vincula conjecit. Tria hæc ægre tulit *Paulus V.* Papa, ac si iis immunitas ecclesiastica fuisset violata, unde mandavit, ut decreta rescindantur, & sacerdotes incarcerati libertati donarentur, quod ni fieret, secuturum esse *interdictum*, quod etiam senatu non retractante decreta sua est secutum. Verum cum injustum hoc Papæ fuerit interdictum, sub pœna exilii prohibitum fuit ejus habere rationem. Jesuitæ declararunt, se velle potius in exilium migrare, quam non obtemperare Pontifici, hinc duabus naviculis noctu in exilium erant missi. Papa Jesuitarum restitutionem a republica petiit, at res eventum non habuit. Cardinalis *Perronius*, qui jussu *Henrici IV.* Galliarum Regis pacis mediatoris causam exulantium Jesuitarum tuebatur, opportunam hanc arripuit occasionem, proponens Pontifici, non esse Jesuitas damnatione systematis Moliniani denuo affligendos, qui alioquin propter obedientiam Pontifici præstitam adeo vexantur. (Ita refert Hyacinthus Serry, qui historiam congregationum de auxiliis ficto nomine *Augustini le Blanc* Lovanii anno 1700. edidit. Huic *Livinus de Meyer* Jesuita, qui sub nomine Theod. *Eleutherii* latere voluit, historiam controversiarum de gratia anno 1705. in fol. opposuit).

§. 367. Controversia Dominicanos inter & Franciscanos de immaculata conceptione Mariæ multum negotii & molestiæ exhibuit *Paulo V. Gregorio XV.* & *Alexandro VII.* Pontificibus. Cœpit ea non diu post initium seculi præcedentis Hispaniam haud leviter affligere, & in partes distrahere, quocirca ipsi Hispaniarum Reges Philippus III. & IV. legationibus aliquot Romam missis Pontifices ad eam decreto publico terminandam sollicitabant. Verum hi prudentiæ magis, quam tanti ponderis precibus obtemperandum esse judicabant; nam ex una parte terrebat splendor majestatis hispanicæ, quæ in Franciscanorum sententiam propendebat, ex altera vero dominicanæ familiæ dignitas & authoritas. Nihil igitur a Pontifice impetrari poterat, quam ut verbis & scriptis sanciret, valde probabilem esse Franciscanorum opinionem, publicamque ejus impugnationem Dominicanis interdiceret.

§. 368. Michael Molinos Hispanus presbyter Cæsar-augustanus in Aragonia Romæ degens & in magna sanctitatis laude positus, eaque re pluribus utriusque sexus discipulis illustris *Quietistarum* sectam condere studuit [1]. Anno nimirum 1681. Romæ *viam seu manuductionem ad vitam contemplativam, seu mysticam* edidit, in quo libro docuit, oportere hominem suas potentias annihilare, nihilque ab homine operandum esse, velle enim operari esse Deum offendere. Ajebat porro: qui liberum suum arbitrium Deo donavit, de nulla re curam habere debet, nec propriæ perfectionis desiderium.

1. Molinos a Galliæ potissimum legato est pressus, ex quo non temere quidam

Y:

conjiciunt: non de religione tantum, verum etiam de republica in hac lite actum fuisse, huncque presbyterum Hispanum Gallorum Regis voluntati ac consiliis in arduis rebus obstitisse. Quidquid id est, Molinos anno 1685., multorum licet benevolentia uteretur, nec ipsius Papæ *Innocentii XI.* favore careret, in carcerem est raptus, cumque anno 1687. publice errores ejurasset, perpetuæ custodiæ est traditus, in qua anno 1696. senex obiit.

§. 369. In Gallia disciplinam quietisticam disseminavit scriptis nobilis fœmina *Joan. Maria Bouvieres de la Mothe Guijon*, in cujus doctrinæ erroneæ placitis eam non leviter confirmavit *La Combe.* Contra hanc fœminam singulari libro certavit anno 1697. Jacobus Benignus *Bossuet* episcopus Meldensis, ex qua lite alia major exorta est inter binos illos viros, qui tunc temporis eloquentiæ & doctrinæ principatum in Gallia nemine refragante obtinebant, Bossuetum nimirum, quem diximus, & Franciscum *Fenelon* episcopum Cameracensem. Bossuetus libro suo contra Guyonam exarato Fenelonii suffragium expectabat, hic autem non modo contendebat, Bossuetum fœminam hanc temere multorum errorum incusasse, sed etiam libello anno 1697. edito multa ex scitis ejus ipse adoptavit [1].

1. Succensus hac dissensione Bossuetus Regem *Ludovicum XIV.*, & Papam *Innocentium XII.* fatigare non destitit, donec papa anno 1699. publico decreto Fenelonii libellum generatim & singillatim 23. propositiones ex eo decerptas damnaverit, omisso tamen ejus nomine. Fenelonius sententiam in se latam probavit, & per suam diœcesim ipse promulgavit.

§. 370. *Isaacus Pereyrius* fabulam *Præadamitarum* non tam invenit, quam recoxit; contendebat nimirum, ante Adamum homines jam extitisse, quem in finem distinxit originem Gentilium a Judæorum origine: priores ajebat, ab initio mundi una cum animantibus brutis creatos fuisse, hos autem Deum postmodum primum creasse in Adamo eorum parente, prius in lib. Gen. cap. 1., posterius in ejusdem libri cap 2. a Moyse narrari, illos porro, quos ante Adamum creatos dixerat, *Præadamitas* adpellavit. Scopus adoptati hujus systematis is ei fuisse videtur, quoniam tali ratione facillime explicari possit: cur existant homines diversi coloris, & quomodo antipodes ante inventam acum magneticam ad illas penetrare potuerint provincias. Systema hoc duobus in libris tueri conatus est, quorum primum inscripsit: *systema theologicum ex Præadamitarum hypothesi*, alterum *Præadamitæ, seu exercitatio super versus* 12., 13. & 14., *cap. V. ad Rom.* [1].

1. Hanc ob rationem anno 1656. Bruxellis in carcerem est conjectus, & fors poenam rogi haud effugisset, nisi errorem hunc una cum religione Reformatorum, in qua natus erat, ejurasset; nam Romam sub *Alexandro VII.* petiit, annoque 1657. epistolam ad *Philotimum* edidit, in qua momenta profert, cur

Calvini sectam ejuraverit. Erat Gallus, genere Aquitanus, patria Burdigalensis, ejusque tractatus de *Præadamitis* prodiit in lucem in Hollandia anno 1655. Antequam vulgaretur, ipse Pereyrius impressum librum misit ad amicum cum versu Ovidii mutata voce *urbem* in *ignem*: *Vade, nec invideo, sine me, liber, ibis in ignem.*

§. 371. *Bajus* natus fuit in Belgia anno 1513. Lovaniensis academiæ doctor & professor, tandem etiam ejusdem decanus, qui & jussu Regis catholici concilio Tridentino interfuit. Ut laxis quibusdam opinionibus circa gratiam, quæ tunc temporis invehebantur, sese opponeret, contrarii ipse erroris adcusatus fuit, quod scilicet talem Dei gratiam admitteret, quæ omnem nostram libertatem & cooperationem tolleret. Neque in hoc solum, sed in pluribus aliis etiam reprehendebatur; nam 18. ex ejus libris extractæ propositiones a facultate Parisiensi anno 1560. variis censuris proscriptæ sunt. Porro Bajo suæ doctrinæ vindicias agente, nec paucis ipsi adhærentibus eo disputationis fervor pervenit, ut Papa *Pius* IV. expedire judicaverit, silentio utrique parti imposito incendium extinguere.

§. 372. Non tamen diu pax perduravit, iterum enim turbæ excitatæ sunt, & multo plures Baji propositiones ut censura dignæ ad academias Salmanticensem & Complutensem, ac demum ad ipsum Pontificem *Pium* V. delatæ sunt, qui 79. ex iis ut respective hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & piarum aurium offensivas anno 1567. damnavit [1]. Bajus primo conqueri, sibi aliquas propositiones calumniose affingi, alias autem in pravum sensum detorqueri, quare edita apologia apud Pontificem se purgare conatus est; sed cum litteras ab eodem accepisset, quibus ipsi sine ulla tergiversatione obediendum esse significabatur, obediit, ac coram Morillonio vicario generali propositiones damnatas ejuravit, & a censuris, quas ob contumaciam incurrisse dicebatur, absolvi postulavit.

1. Nulla tamen Baji in bulla habita est mentio, ut ejus honori, quantum fieri posset, consultum esset, imo nec bulla de more publici juris est facta, sed facultati tantum Lovaniensi communicata.

§. 373. Huic Baji subjectioni accessit etiam postea facultatis theologicæ Lovaniensis decretum, quo anno 1571. omnibus interdictum fuit, damnatas eas propositiones defendere, quibus de causis res omnino tranquillæ videbantur. Sed circa annum 1578. contendentibus aliquibus, bullam Pii V. fuisse supposititiam, turbæ renovatæ sunt, ad quas sedandas *Gregorius* XIII. constitutionem Pii per Franciscum Toletum iterum Lovaniam misit declarans: eam in Regestis Pii V. fuisse repertam, adeoque ei fidem esse adhibendam [1].

1. His acceptis Bajus denuo sententias suas ejuravit. Post id temporis leves quædam nec memoratu dignæ Bajo molestiæ creatæ sunt, qui tandem anno 1589. ætatis suæ 77. pauperibus heredibus scriptis mortuus est. De controversia, quæ nata est ob *comma*, seu *virgulam* in bulla Pii V. ponendam coram dici potest.

§. 374. Lites Bajanas seculo XVII. secutæ sunt longe majores, quæ *Jansenianæ* dicuntur. Nimirum *Cornelius Jansenius* apud Batavos anno 1585. natus, antea illustris academiæ Lovaniensis professor, postea episcopus Iprensis putabat, Thomistas omnesque alios, qui novis Molinistarum opinionibus restiterant, remissius quam par est gratiæ ab intrinseco efficacis causam defendere & a S. Augustini vestigiis (cujus opera omnia, ut ipse testatur, *decies*, libros vero de gratia & libero arbitrio plus quam *trigeties* a capite ad calcem pervolverat) aliquatenus recedere. Quapropter grande opus magno studio (duos enim supra viginti annos ei insudasse dicitur) hac de re scripsit [1].

1. Opus istud hoc titulo insignivit: *Augustinus, sive doctrina S. Augustini de humanæ naturæ sanitate, ægritudine, medicina adversus Pelagianos & Massilienses tribus tomis comprehensa*, ut scilicet indicaret, nihil aliud eo contineri, quam puram ac defæcatam S. Augustini doctrinam. Illud publici juris facere minime potuit morte præventus, pestilentia enim correptus, quam suis ovibus sacramenta propria manu administrando contraxit vita functus est anno ætatis suæ 53. Occasio librum hunc scribendi paulo altius repetenda est. Finitis nimirum congregationibus de *auxiliis divinæ gratiæ* (§. 366. 1.) Molinistæ audaciores facti placita sua ardentius tueri, ac ubique disseminare aggressi sunt. Nec irriti plane fuerunt illorum conatus, cum enim ex una parte Molinismus novitatis haberet speciem, & concordiam gratiæ cum libero arbitrio ad captum ingenii humani exponeret, ex parte vero altera judicium sedis apostolicæ contra hoc systema publicatum non fuisset, brevi auctus est numerus Molinistarum, cujus favore Jesuitarum factio majores vires accepit, nihilque intentatum reliquit, ut latius semper propagaret. Hinc omnes artes a Jesuitis adhibitæ, ut inter doctores universitatum cooptarentur, maxime vero universitatis Lovaniensis, quæ exorienti in *Lessii & Hamelii* scriptis Molinismo primum vadimonium indixit, & novam cathedram S. Augustini nomine nuncupatam adversus eos erexit, id quod maxime Jesuitarum animos perculerat, ut ipsi fatentur in imagine primi seculi lib. 6. *Ad extremum lectio publica extra ordinem adversus Lessii doctrinam instituta non sinebat obduci cicatricem, sed erat unguis in vulnere, vulnusque Jansenianum perpetuo refricabat*. Nullum itaque lapidem non moverunt apud Hispaniæ Regem, ut in Lovaniensi universitate theologiam docendi licentiam impetrarent, quod demum largitate & munificentia *Philippi IV*. obtinuerunt. At quum id ægre ferrent doctores Lovanienses, antequam regium placitum executioni demandarent, legatum ad Regem mittere decreverunt, qui rerum statum eidem exponeret, ac ita, si fieri posset, beneficium Jesuitis collatum revocaretur. Hoc munus Jansenio demandatum fuit, quem gratia apud Regem Hispaniæ valere plurimum ignorare non poterant, non solum ob præclara illius merita in rempublicam christianam, sed etiam in domum austriacam, cujus jura in Belgium adversus Gallicum Regem defenderat, edito sub nomine *Alexandri Patricii Armacani* theologi libro inscripto: *Mars Gallicus*. Hujus sane legationem acceptissimam Regi fuisse probavit eventus; nam facultatem docendi, quam Jesuitis concesserat, suspendit. Jansenium vero Iprensem renunciavit episcopum. Rebus universitatis Lovaniensis ita compositis, cum Jansenius ad sedem Iprensem ascendisset anno 1636, opus suum theologicum cultiori etiam studio cum *Augustino* perficere aggressus est. Tres illud in partes distribuit, in quarum prima historiam pelagianam ac semipelagianam contexuit: in altera rationem modumque ape-

ruit definiendi ac explicandi mysteria prædestinationis & gratiæ, in tertia vero de gratia Christi ejusque efficacia & de gratuita prædestinatione disputat, cui demum succedit parallelum inter Massileenses & Molinistas. Hoc opus *Urbano VIII.* Papæ inscribere cogitavit Jansenius, at morte præpeditus cogitata exequi non potuit, quæ tamen jam jam moriturus expressit, aliisque demandavit hoc scripto testamento: *Ego Cornelius Dei & apostolicæ sedis gratia episcopus Iprensis de mea libera voluntate do & dono omnia mea scripta ad explicationem S. Augustini spectantia capellano meo Reginaldo Lamæo; partim quia magno labore ea scripsit vel dictavit, partim quia sine originali copia corrigi non possunt. Hac tamen mente hanc donationem facio, ut cum doctissimis viris magnifico Domino Liberto Fromondo, & reverendo Domino Henrico Caleno canonico Mechliniensi conferat & disponat de editione quam fidelissime, sentio enim difficulter aliquid mutari posse. Si tamen Romana sedes aliquid mutari vellet, sum obediens filius, & illius ecclesiæ, in qua semper vixi, usque ad hunc lectum mortis obediens sum.* Actum 6. Maji anni 1638. Infra scriptum erat: *Cornelius Jansenius*, ejusque sigillum impressum. Hinc nescio qua lege æquitatis sibi licitum esse nonnulli putaverint tanti episcopi memoriam injuriis & maledictis proscindere, ejus personæ invidiam creare, eique dum opus suum ex Augustino adornaret, vel prava animi consilia vel vitium superbiæ exprobrare. Defuncto Jansenio, ut ejus votis annuerent *Fromondus* & *Calenus* executores testamenti Janseniani operis editionem procurabant, cujus rei admoniti Jesuitæ authoris fama, operisque gravitate perterriti quasi moliniani sistematis exterminium futurum, ubi illud in lucem prodiisset, vererentur, operam dederant apud nuncium apostolicum Bruxellarum, & cardinalem Franciscum Barberinum *Urbani* VIII. nepotem, ut illius editio interciperetur, sed frustra. Itaque in lucem prodiit semen illud tot, tantarumque discordiarum primum quidem *Lovanii* anno 1640., *Rothomagi* vero anno sequenti.

§. 375. Jansenii opus, ut primo publicam aspexit lucem, ita offendit Molinistas, ut illico theses & opuscula velut futuri ingentis belli primordia raptim contra ipsum prodierint. Aliorum vero studia divisa erant, non pauci enim librum hunc adeo extollebant, ut veluti Augustinum ipsum venerarentur, contra vero alii eum ut opus lue prædestinatiana, jam pridem in Bajo damnata, infectum execrabantur, arbitrantes, Jansenium nimio Molinismum evertendi studio abreptum a veritate exorbitasse, & nubem pro Junone, id est, dogmata prædestinatiana pro Augustini doctrina accepisse. Horum judicium probavit *Urbanus* VIII., & Jansenii Augustinum ut Bajanis erroribus refertum damnavit, eadem simul bulla omnes theses, aliaque opuscula tam quæ contra Jansenium, quam quæ pro ipso prodiere, damnata sunt, ut ita discordiis sopitis pax restitueretur.

§. 376. Sed jam animi ardentius incaluerant, quam ut possent hoc remedio compesci. Universitas Lovaniensis Urbani bullam primo recipere detrectavit eam pro subreptitia habens (Alexander VII. anno 1690. die 7. Decemb. hanc propositionem damnavit: *Bulla Urbani VIII. in eminenti est subreptitia*) duosque e suo sinu doctores Jo. *Sinichium*, & Jo. *Papium* Romam delegavit, qui Pontifici repræsentarent, non posse Jansenii librum damnari, quin simul S. Augustini sententiæ damnentur; res diu protracta est, sed

postquam Romæ decidebatur: & bullam esse authenticam, & Augustini doctrinam sartam tectam manere, Lovanienses anno 1651. fasces submiserunt, eorumque exemplum omnes fere in Belgio secuti sunt, exceptis Jacobo *Boonen* archiepiscopo Mechliniensi & Antonio *Triest* episcopo Gandavensi, qui tamen & ipsi biennio post Urbani bullam receperunt.

§. 377. Sed ex Belgio bellum migravit in Galliam, ibique multo plures & acriores tum patronos tum adversarios Jansenii Augustinus invenit. Nicolaus *Cornet* facultatis theologiæ Parisiensis syndicus septem propositiones ¹ ex Jansenii libris extractas ejusdem facultatis censuræ subjecit, nihil tamen efficere potuit intercedente parlamento. Hac spe frustrati Jansenii censores ad Papam *Innocentium X.* Urbani successorem confugerunt, & nomine 85. Galliæ episcoporum easdem illi obtulerunt propositiones.

1. Harum prima hæc erat: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque iis gratia, qua possibilia fiant.* Secunda: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Tertia: *Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Quarta: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.* Quinta: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.* Sexta: *Sensit olim ecclesia, privatam sacramentalem pœnitentiam pro peccatis occultis non sufficere.* Septima: *Naturalis attritio sufficit ad sacramentum pœnitentiæ.* Hæ tamen duæ postremæ propositiones postea prætermissæ sunt, totaque pugna ad quinque priores, quæ gratiam spectabant, conversa est.

§. 378. Ad urgendam harum propositionum damnationem missi sunt Romam tres doctores sorbonici, ex parte autem contraria undecim episcoporum, qui pro Jansenio stabant, doctores quinque. Optassent hi postremi palam cum suis adversariis congredi, & reciprocam fieri scriptorum utriusque partis communicationem, sicut in famosis congregationibus de auxiliis sub Clemente VIII, & Paulo V. (§. 366.) factum fuerat, sed id minime Jansenii adversariis placuit, ne scilicet quemadmodum in istis contigerat mutuis altercationibus res in infinitum protraheretur. Interim tamen utraque pars tum ore tum scriptis audita fuit, ac demum post 63. congregationes integro biennio celebratas die 31. Maji anni 1653. prodiit bulla pontificia Innocentii X. in qua quinque propositiones priores supra citatæ specialibus censuris ¹ confixæ sunt. Jussi sunt theologi eas propositiones examinantes vota sua scripto signata Pontifici offerre (quæ ab episcopo Montispessuli Roma in Galliam adlata totidem verbis Montaltius post finem epistolarum provincialium edidit). Oblatis autem Pontifici theo-

logorum votis in scriptis palam in hac causa professus fuisse narratur, *se non esse theologum* [2].

1. Prima damnata est ut *temeraria*, *impia*, *blasphema*, & *hæretica*, secunda & tertia ut *hæretica*, quarta ut *falsa* & *erronea*. quinta denique ut *falsa*, *temeraria*, *scandalosa* & intellecta eo sensu, ut Christus duntaxat pro salute prædestinatorum mortuus sit, *impia*, *blasphema*, *contumeliosa*, *divinæ pietati derogans*, & *hæretica*.

2. Testatur enim theologus Catholicus *Ludovicus de S. Amour*, Romam ab episcopis Galliæ ad orandam Jansenistarum causam missus editi Diurnalis part. 3. cap. 12. rogatum Innocentium, ut ipse cognosceret, ne quidem scripta sibi oblata legere voluisse, & respondisse insuper: *Non est mea professio*; *præterquam quod senex sum*, *ego nunquam studui theologiæ*. (Joan. Henr. Heiddegerus hist. eccl. Roman. period. 7. §. 245.).

§. 379. Quamprimum bulla hæc in Galliam missa est, episcopi ecclesiæ Gallicanæ Lutetiæ congregati plures prompti eam acceperunt, scripsit enim eorum nomine *Petrus de Marca* nominatus tum episcopus Tolosanus ad Innocentium Papam litteras, quibus gratias ipsi egit. Aliter autem se gesserant Jansenii patroni, non quidem bullam Innocentianam respuebant, aut damnationem quinque propositionum reprobabant, sed solum Jansenii librum a censura pontificia subtrahere illis curæ fuit. Itaque palam profitebantur, damnare se propositiones illas quinque, *ubicunque illæ fuerint*, sed eas in Jansenii libro reperiri negabant [1] excepta prima, cujus tamen sensum prout in Jansenio jacet ab illo pravo sensu, quem Innocentius damnavit quam longissime distare contenderant. Episcopi contra Gallicani, aliique Jansenii inimici reposuerant, damnatas esse illas propositiones in sensu Jansenii, & quod si aliquæ eorum iisdem verbis in ejus libro non inveniantur, id parum interesse, cum ex contextu, scopo & circumstantiis luculenter ex eo deducerentur. Hinc novarum turbarum occasio, & nova utrinque scripta.

1. *Es muy cierto que no estan en Jansenio las cinco proposiciones condenadas. Tambien es cierto que ni los consultores ni los Cardenales de Roma havian leido el Agustino de Jansenio, ni lo podian leer; pues entonces solo habia un ejemplar en Roma; pero los Jesuitas hicieron imprimir por separado unas quantas hojas con las dichas proposiciones, y las incluyeron en el ejemplar del Agustino, que entregaron al Papa.* (*Historia de la Bula de la Cena*, part 4. pag. 101 ubi auther hujus operis provocat ad *Tosini* Tom. 2. pag. 64. & *Hist. du Jansenisme* Tom. 1.).

§. 380. Interea Galliæ episcopi veriti, ne patroni Jansenii ideo solum ejus librum tanto labore defendere conarentur, ut bullam Innocentii, quam palam revereri protestabantur, clam & per cuniculos everterent, anno 1654. Parisiis congregati præside card. *Mazzarino* octo commissariis Jansenii librum diligenter perscru-

tandi provinciam demandarunt, quibus cum visum fuisset, damnatas propositiones sin minus conceptis verbis, saltem sensu perverso & proscripto in eo contineri, decretum in comitiis fuit: *quinque propositiones illas ad Jansenium pertinere, ejusque opiniones fuisse proscriptas*, quod Gallicanorum episcoporum decretum postea ab Innocentio est confirmatum. Sed cum nec his moverentur Jansenii defensores anno 1656., in generalibus Galliæ comitiis constitutum fuit quoddam formulare [1], cui quilibet subscribere adstringebatur.

1. Jubebantur testari: *Damnare se corde & ore doctrinam quinque propositionum Cornelii Jansenii in ejus libro, cui titulus Augustinus, contentas, quas Pontifex & episcopi jam damnarunt, quæ doctrina S. Augustini non est, ut Jansenius contra hujus S. Doctoris mentem explicavit.* Huic formulario robur magnum adjecit *Alexander VII.* Innocentii X. successor declarans, quinque illas propositiones ex Jansenii libro excerptas, ac in sensu ab eodem Jansenio intento damnatas fuisse.

§. 381. Cum bene multi nec cleri Gallicani mandatis, nec Pontificis confirmatione, nec Regis authoritate adduci possent, ut huic formulario subscriberent, demum Alexander VII. celebrem edidit constitutionem de anno 1665. die decima quinta Febr., in qua alterum præscripsit formularium [1], cui omnes subscribere tenerentur.

1. Erat hujus tenoris: *Ego N. constitutioni apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maji anno 1653., & Alexandri VII. datæ 16. Octob. anni 1656. summorum Pontificum me subjicio, & quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab authore intento, prout illas per dictas constitutiones sedes apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno, & ita juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta evangelia.*

§. 382. Hoc formulario Jansenii defensores ad ultimas angustias redacti sunt, & tunc in varias quasi sectas abierunt, commune quidem erat eorum omnium principium, quæstionem *facti* a quæstione *juris* esse distinguendam, in his ecclesiam quidem esse infallibilem, non item in prioribus. Hoc inquam erat commune eorum principium, sed quantum ad subscriptionem, in varias distrahebantur sententias. Quatuor episcopi nimirum *Alectensis*, *Apamiensis*, *Bellovacensis*, & *Andegavensis* nulla tergiversatione, aut tacita simulatione uti posse censentes aperta fronte declararunt, se formulario subscribere, & subscribi a suis ovibus jubere, quantum ad quæstionem juris, seu condemnationem quinque propositionum, sed quantum spectat ad quæstionem facti, hoc est adtributionem libro Jansenii se subscribere sine mendacio non posse, apostolicæ tamen sedis authoritati se eatenus externe parituros, ut religioso silentio nullas excitent turbas, quod externæ disciplinæ ecclesiasticæ ordo exigit. His pauci alii adhærentes muneribus om-

nibus, bonisque expoliari, exilium & alia mala perpeti maluerunt, quam formulario subscribere, quod sine perjurio se facere non posse ajebant. Alii tamen remissiores vitæ commoda cum Jansenii defensione conjungere cupientes minus aperte sunt refragati, & talem formulario subscriptionem se præstare profitebantur, qualem in ejusmodi circumstantiis ecclesia exigere semper solebat [1].

1. Pro certo autem habebant, nonnisi externam obedientiam ab ecclesia exigi posse, & solere. Hi autem hac acuta utebantur similitudine: si Rex *determinatum* hominem domo commorantem comprehendi, in vincula conjici juberet, mandatum ex natura sua hominis comprehensionem tantum respiceret, domus autem designatio esset circumstantia accidentalis, quam mandatum Regis minime respiceret. At vero, subdebant, per Regem intellige Papam, per hominem ad vincula damnatum quinque propositiones, & per domum Jansenii librum. ecclesiæ ergo satisfit per hoc præcise, quod propositiones damnentur, ubicunque sunt, non autem necesse est credere, eas in Jansenii libro esse.

§. 383. Subscriptionem simplicem & puram non minus Rex quam Pontifex urgebat, & de judicandis condemnandisque quatuor supra memoratis episcopis serio cogitabatur, cum Alexander VII. anno 1667. vita decessit. In ejus locum suffectus est *Clemens IX*, sub quo de pace in Gallia restituenda eo magis cogitatum est, quod quatuor illis episcopis alii novemdecim accesserant, & periculum majoris schismatis imminere videbatur. Archiepiscopus *Senonensis* rem hanc adgressus est, cui postea cardinalis *Etræus*, & episcopus *Catalaunensis* accesserunt: de hoc negotio cum Pontifice per ejus nuncium *Bargellinum* solo Rege paucisque aliis consciis secreto actum est, ac denique multis superatis difficultatibus memorati quatuor episcopi formularium pure & simpliciter subscribendum in suis diœcesibus proposuerunt, expresse tamen oretenus declarantes, se *factum* a *dogmate* distinguere, isti omnimodam, facto autem nonnisi externam reverentiam præbere. Submissas etiam Pontifici scripsere litteras, quibus peractis ad ecclesiæ pacem publice admissi sunt, eorumque exemplum reliquos post se traxit, ut nullus plane fuerit, qui formulario eodem modo non subscriberet [1].

1. Itaque qui carceribus detinebantur, libertate donati, qui in exilio degebant, aut occulti latitabant, ad patriam redire poterant, palamve prodire. Hæc est illa famosa *pax Clementis IX.*, quæ tantam in Gallia lætitiam peperit, ut illius memoria fuerit publicis numismatibus perennata. Porro triumphum canebant Jansenii patroni, palam evulgantes, Clementem sola externa reverentia circa factum seu religioso silentio contentum, nec quemquam ulterius adigi, ut fateretur damnatas quinque propositiones in Jansenii libro reperiri.

§. 384. Hæc tamen decantata pax Clementis non diu duravit, iterumque pura & simplex formularii subscriptio sine omni explicatione addita exacta est, & refractarii muniis suis se abdicare, solum mutare, omnisque generis molestias perpeti coacti sunt,

tantumque abfuit, ut postmodum benignius cum iis ageretur, quin potius aliqui in Belgio episcopi ad omnem fraudis suspicionem præcavendam formulario Alexandri VII. aliquid addere præsumpserunt, exigentes 1.) *ut subscriberent non tantum in reverentiam constitutionum apostolicarum, sed etiam in veritatem earum*, 2.) *ut damnarent quinque propositiones ut excerptas ex libro Jansenii & in sensu a Jansenio intento, seu in prædicto ejus libro expresso*, quæ res majorum turbarum causa extitit, ut *Innocentius XII.* immoderatum eorum episcopornm zelum compescere coactus fuerit, & propterea constitutione sua de anno 1694. præcepit duntaxat, ut juramentum præstarent *sincere absque ulla distinctione, restrictione, aut expositione damnando eas propositiones ex libro Jansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsa propositionum verba præseferunt*, vetuit autem quascunque additiones etiam sub prætextu, quod continerentur in formulario Alexandri VII.

§. 385. Clerus Gallicanus in conventu de anno 1700. eliminavit probabilismum, & quasdam laxas Probabilistarum sententias damnavit (*Apud Bossuet. Tom.* 11. *pag.* 140.). At non deerant irrequieti, qui novas quotidie turbas excitabant; prodiit enim paulo post famosus *conscientiæ casus*, in quo a duobus doctoribus sorbonicis sciscitabatur: an possit sacramentalis absolutio alicui clerico denegari, qui formulario Alexandri VII. sincere subscripsisse testatur, quantum ad quinque propositionum damnationem, fatetur tamen, quantum ad quæstionem facti nonnisi religiosum silentium se exhibere paratum? Hæc quæstio veluti fax fuit ad discordiæ incendium iterum renovandum; nam quadraginta doctores sorbonici proprio adposito nomine in Sorbona definiverunt, talem clericum absolvendum esse. Verum decisionem hanc damnavit *Clemens XI.*, doctores autem sorbonici decisionem suam retrahere coacti sunt [1].

1. Duos tamen, cum subscriptionem dicti casus revocare detrectaverint, e sinu suo expellendos Sorbona decrevit, nisi id intra unius anni spatium faciant, & reipsa alter eorum *Nicolaus Petit-pied* multis editis libris clarus ob detrectatam subscriptionis revocationem e Gallia pulsus diu in Hollandia degere coactus est, post autem in patria redux anno 1719. a facultate in gremium fuit receptus, sed ejusmodi receptio a Rege in irritum missa est, & iterum exulare coactus. Demum anno 1734. exilio soluto Parisios remeavit, ubi tranquillam vitam duxit usque ad mortem, quæ contigit anno 1747.

§. 386. Demum cum aliqui exactam formularii subscriptionem præstare detrectarunt, potissimum prætextu famosæ pacis Clementis IX, & constitutionis Innocentii XII. Clemens XI. celebrem edidit constitutionem anno 1705, qua declaravit, ad veram apostolicæ sedis obedientiam *damnatum in quinque pr*æ-

fatis propositionibus Jansenii libri sensum, quem illorum verba præseferunt, ut præfertur ab omnibus Christi fidelibus ut hæreticum non ore solum sed & corde rejici ac damnari debere. Quam Clementis constitutionem clerus Gallicanus in comitiis generalibus solemniter recepit, eamdem recepit etiam academia Lovaniensis, & opera celebris doctoris *Liberti Hennebel* omnes pene in Belgio formulario Alexandri VII. suscripserunt, & ita pax ecclesiæ reddita [1].

1. Cum litibus jansenianis arcte connexa est causa *Ant. Arnaldi*, & monialium *Portus Regii* (Portroyal) ordinis cisterciensis. Arnaldus magni vir ingenii, multæque eruditionis scholæ molinisticæ, in qua a *Lescotio* educatus fuit, nuncium mittens, doctrinæ augustinianæ mordicus adhæsit. Cum eam in Jansenii libro reperire videbatur, ejusdem defensionem in ipso turbarum exordio suscepit, & contra *Isaacum Habertum*, qui fuit unus e præcipuis Jansenii adversariis, duas edidit pro ipso apologias anno 1644. & 1645, quamobrem invidioso Jansenismi nomine statim infamari cœpit. Sed crevit postea hæc suspicio occasione duarum epistolarum ipsius adversus sacerdotem quemdam (*Picoté* nomine), qui viro nobilissimo (Duci de *Liancour*) absolutionem sacramentalem ea duntaxat de causa negabat, quia a defensoribus Jansenii, quibuscum amicitia conjunctus erat, se segregare recusaverit, id quod contigit an. 1655. Porro in secunda epistola duo maxime reprehensione digna inventa sunt, alterum ad quæstionem *facti* alterum ad quæstionem *juris* spectans primum his verbis continebatur: *Jansenii librum adcurate a se perlectum, nec tamen inventas in eo propositiones illas, quas Papa damnavit: ceterum illas a se ubilibet damnari, & si sunt in Jansenio, etiam in Jansenio.* Alterum his erat ab eo expressum verbis: *Scriptura & Patres nobis in persona Petri ostendunt justum, cui gratia, sine qua nihil possumus, ea defuit occasione, in qua a peccato excusari non potest.* Utraque hæc propositio post multas turbas a facultate sorbonica si non unanimi calculo (nam 71. doctores Arnaldo favebant) saltem suffragiorum pluralitate damnata. Sibi non defuit Arnaldus, & pluribus scriptis Sorbonæ censuram declinare nisus est, præcipue circa quæstionem juris declarans, se solum de gratia illa locutum fuisse, sine qua nihil possumus potentia proxima, seu consequente & conjuncta cum actu (hæc collecta videri possunt in *causa Arnaldina* edita a Quesnello anno 1699.). Imo quia post censuram palinodiam canere detrectavit, ejus nomen ex albo doctorum fuit erasum, nec illi quidquam profuerunt *Jo. Launojus, Petrus Nicolius, Blasius Paschalis*, aliique, qui pluribus scriptis ejus causæ patrocinati sunt. Arnaldus e Sorbona ejectus publicæ luci se subduxit usque ad pacem vulgo dictam Clementis IX, postea autem cum formularii Alexandrini subscriptio non minus a regia, quam ecclesiastica potestate exigeretur, in Belgium secessit, ubi innumeris fere editis libris, quorum ab aliquibus 140. numerantur, quorum multos contra ecclesiæ reformatæ asseclas elucubravit, toto orbe litterario clarissimus obiit anno 1694. ætatis suæ 83. Sex habebat sorores Arnaldus in monasterio portus-regii, imo inter has moniales ejusdem quoque mater defuncta est. Intellexerant a suis directoribus & libro & personæ Jansenii addictos, damnatas ab Innocentio propositiones in Jansenii libro minime inveniri, adeoque neminem posse formulario Alexandri VII. sine mendacio & perjurio subscribere. His principiis imbutæ illæ fœminæ nec precibus nec minis nec vi adduci poterant, ut pure ac simpliciter formulario Alexandri subscriberent. Longum esset dicere, quot & quantis molestiis hac de causa moniales prædictæ affectæ sint, usque ad omnium sacramentorum privationem. Quidvis tamen tolerare maluerunt, quam perjurii periculo, ut ipsæ dicebant, sese exponere, cum ex una parte librum Jansenii legere per se non valerent, ut de rei veritate certiores fierent, ex altera vero ex pertinaci plurium episcoporum, aliorumque ecclesiasticorum resistentia in dubium saltem de hoc facto adducerentur. Accedebant multæ & iteratæ apologiæ pro ipsis editæ, quibus cum etiam agendi rationem probari viderent, eo magis in sua sententia confirmabantur. Post earum obstinationem variis modis frustra tentatam tandem initio seculi XVIII. scilicet anno 1709. ædificiis, quæ supererant, monialibus in varia loca dispersis totum ædificium est dirutum.

§. 387. *Paschasius Quesnellus* [1] plures evulgavit libros, sed ille præ ceteris famosus fuit, quem inscripsit: *Reflexiones morales in novum testamentum.* Hoc opus a multis ecclesiæ pastoribus maxime commendatum quadraginta fere annis omnium fere manibus in Gallia ferebatur, sed postea cœperunt nonnulli suspicari, Jansenii dogmata in eo latere, multi proin episcopi librum hunc ut perniciosum improbare, alii contra defendere pergebant. Causa itaque ad sedem Romanam delata *Clemens XI.* librum hunc proscripsit, bulla *Universi &c.* anno 1709. Idem etiam Clemens quinquennio post anno nimirum 1713. octava Septemb. celeberrimam edidit constitutionem dictam *Unigenitus*, in qua propositiones centum & unam ex eodem libro excerptas variis censuris in *globo*, & respective perstrinxit [2].

1. Natus erat Parisiis anno 1634. congregationi sacerdotum oratorii a Card. Berullio erectæ nomen dedit, quam tamen deserere postea maluit, quam Baji, ac Jansenii doctrinam proscribere. In Belgium se recepit, & Bruxellis diu vixit cum celebri Antonio Arnaldo. Anno 1703. ab Humberto Guillelmo a Præcipiano archiepiscopo Mechliniensi in carcerem conjectus est, sed amicorum ope pariete carceris paulo post effracto in Hollandiam migravit, & octogenario major Amstelodami mortuus est anno 1719.

2. Has inter numero 85. ita sonat: *Interdicere Christianis lectionem sacræ scripturæ, præsertim evangelii est interdicere usum luminis filiis lucis, & facere, ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.*

§. 388. Fuit hæc bulla non multo post a pluribus episcopis in comitiis Gallicanis recepta adjunctis quibusdam explicationibus, quas quadraginta episcopi edidere (*Explications des quarants*; Galli has vocant explicationes). Refragati tamen sunt illius receptioni cum Card. *Noaillio* archiepiscopo Parisiensi octo episcopi, aliique theologi. Recepta similiter fuit urgente Rege in Sorbona, quamquam non sine turbis, propter quas duo insignes theologi Ludovicus *Habert*, & Carolus *Witasse* fuere in exilium amandati, ita repente Gallia scissa est in *Constitutionistas*, & *Anti-Constitutionistas.*

§. 389. Post mortem *Ludovici XIV.* Galliæ Regis (quæ secuta est 1. Septemb. an. 1715.). Duce Aurelianensi sub minorenitate Ludovici XV. regnum administrante hostes constitutionis vires denuo sumpsere, & exules revocati. Hinc Sorbona 15 Decemb. anni 1715. nullam irritamque declaravit, bullæ receptionem a se factam, tanquam vi metuque exortam, cujus exemplum multi tum primi tum secundi ordinis viri ecclesiastici secuti sunt. Clemens XI. autem hac re vehementer commotus Sorbonam omnibus privilegiis a prædecessoribus concessis privavit, & tria *brevia* in Galliam misit [1], quæ tamen mandato Ducis Aurelianensis nuncio restituta sunt, ut ea Romam mitteret,

nec alia ratione quinque subsequentibus brevibus pontificiis Galli obviam ibant [2].

1. In primo Principem Aurelianensem rogabat Papa, ut authoritate sua constitutionis receptionem urgeat, in altero Noaillio cardinalitiæ dignitatis privationem minatur, nisi constitutioni subscripserit, & tertium ad episcopos Galliæ directum erat, & terminus iis positus, quo elapso qui subscribere recusaverint, deponendi essent.

2. Inde numerus Anti-constitutionistarum in dies major, & eo jam deventum, ut quatuor episcopi Gallicani ad futurum concilium generale adpellaverint, quibus se junxit Cardinalis Noaillius, & huic Sorbona, aliaque magna personarum ecclesiasticarum copia. Hoc modo exorti sunt *Apellantes*.

§. 390. Cum jam in apertum schisma res vergere videretur, Dux Aurelianensis utrique parti silentium imposuit, Papæ vero proposuit, optimum fore ad concordiam restituendam, si clerus non urgeretur bullam recipere, prout jacet, sed eidem adjungendum esse *Corpus doctrinæ* a Noaillio confectum, id est, bullæ hujus declarationem; verum cum Papa adpellatione ad futurum concilium facta commotus jam fuerit, receptionem constitutionis sine omni conditione aut explicatione urgebat. Restitit ei suprema curia, at Papa in suo proposito constans litteris anno 1718. datis, quarum est initium, *pastoralis officii &c.* omnes adpellantes, & qui bullam *Unigenitus* recipere detrectabant, a romanæ ecclesiæ communione alienos declarat. Sed qui a constitutione adpellarunt, etiam adpellarunt e sententia excommunicationis, eamque promulgari parlamentum vetuit.

§. 391. Anno 1719. Card. Noaillius litteras pastorales edidit, quibus Constitutionistas satis pressit. Congregatio Romana S. officii eas damnavit, parlamentum contra decretum sacri officii suppressit, quod Papa adeo indigne tulit, ut recusaverit confirmationem impertiri episcopis a Duce Aurelianensi nominatis, at cum Dux ad concordata inter *Franciscum I.* Galliarum Regem, & *Leonem X.* Papam inita provocaret, Clemens ad majora mala evitanda a proposito destitit.

§. 392. Ex hucusque dictis adparet, ac si Anti-constitutionistæ contra suos adversarios victoriam tulissent, verum scena mox mutata est. Papa & episcopi, qui receptionem constitutionis urgebant, probe intellexerant, adversarios suos facile vinci posse, modo Noaillius ab eorum divelleretur partibus, nec frustranei eorum erant conatus; nam subscripsit Noaillius bullæ *Unigenitus* anno 1720, attamen conditionate, conformiter nimirum *corpori doctrinæ* a se confectæ, qua re minime tamen contentus erat Papa *absolutam* bullæ subscriptionem continuo

urgens. Interim parlamentum subscriptionem Noaillii registerio publico inserere regio mandato jubebatur, quod etsi primitus recusaret, tandem non sine magnis motibus fecit [1]. Tandem ipse etiam Noaillius cessit; nam sub Benedicto XIII. subscripsit bullæ sine omni conditione, & in litteris anno 1728. ad Papam datis suam etiam instructionem pastoralem revocavit. Demum *Ludovicus XV.* Galliarum Rex publico registerio inserere parlamentum jussit: omnes illos, qui bullam *Unigenitus* recipere recusant, aut ad futurum concilium generale appellant, pro inhabilibus ad omnia officia ecclesiastica, imo pro rebellibus habendos esse [2].

1. Vi hujus declarationis regiæ 1.) receptio bullæ *Unigenitus* omnibus imposita, simulque prohibitum Noaillii *instructionem pastoralem*, aut *corpus doctrinæ* scriptis impugnare, 2.) omnes adpellationes ad futurum concilium generale interdictæ, 3.) utrique parti prohibitum sibi invicem hæreseos notam impingere.

2. Interim tamen Jansenistæ, & Anti-constitutionarii numquam non multos habebant asseclas, quod quidem duplici ex causa factum ajunt: nam imprimis Jansenistæ Galliæ mira dicendi suavitate pollebant, eruntque elegantissimi Gallici scriptores, præterea miraculorum dono gloriabantur. Jam enim præcedenti seculo in monasterio portus regii quædam miracula a Jansenistis patrata fuisse ipsi narrant, præsenti autem seculo quidam *Franciscus a Paris* Jansenista & Anticonstitutionarius, qui primitus Lutetiæ Parisiorum diaconus erat, dein vero in solitudinem secessit, & austeram egit vitam, multa miracula patrasse narratur quibus tamen immorari non vacat (Qui plura hac de re cupit, adeat continuatorem Moshemii *Christoph. ab Einem* Tom. ult.).

§. 393. Transeamus ex Gallia in Belgium. Ante promulgatam bullam Unigenitus Jansenistæ in Belgio Hispanico refugium invenerant, postquam autem hæ provinciæ sub ditionem venerant austriacam, Imperator *Carolus VI.* anno 1723. utrique parti silentium imposuit [1], Memoratu dignæ sunt etiam litteræ ejusdem Imp. Caroli ad cardinalem de *Althan* legatum & ministrum suum Romanum datæ, in quibus bullam *Unigenitus* bullam nominat infaustam, motus propter illam in Belgio austriaco exortas nervose describit, & propterea Papæ nunciari vult, se qua Imperatorem & populi sui protectorem obligatum esse, ut pacem publicam ex *felici* bullæ ignorantia hucusque conservatam porro conservare studeat.

1. Cum anno 17[illegible]. episcopus [illegible] jubilæum sequenti modo promulgasset: [illegible] *Unigenitus* [illegible], ad [illegible] Imperatrix *Maria Theresia* omnia exemplaria supprimi jussit, & episcopum ad [illegible] de servando circa hanc bullam silentio revocavit. Præcedente vero [illegible] revocata est constitutio [illegible] in memoriam [illegible] ab Aug. Imp. *Josepho II.* in hac materia anno 1781. die 4. Maji lata. [illegible] *unigenitus* [illegible]

sion de los adictos á ella, sino que han obligado á algunos párrocos á admitirla y sugetarse á ella, y aun quieren ser autorizados por hombres de dignidad para justificar sus progresos perjudiciales á la religion y al estado. Para evitar pues estos males que amenazan quizá tambien á otros paises en que se va introduciendo, y poner termino á las inquietudes de los estados hereditarios, causadas por las miras ocultas de los maquinadores, se prohibe con el mayor rigor á los Ordinarios que obliguen en publico ó en secreto á admitir la bula al pueblo ó al clero; se prohibe su uso en todos los casos y se impone perpetuo silencio.

§. 394. Celeberrimis his litibus addi potest altera minoris quidem momenti, satis tamen recens nimirum de *exorcismis Gassneri*, qui a dæmone hominibus morbos immitti, eosque per exorcismum, qui fit in *nomine Jesu*, facillime tolli posse contendebat [1]. Primum operationum suarum experimentum in se ipso fecit, seque a capitis doloribus, quos a dæmone sibi immisos fuisse putabat, liberasse ceteris persuadere conatus est.

1. Totum fanatici hujus hominis systema sequens erat, 1.) maleficia & magiam ope dæmonis quid patrandi existere, dæmonemque triplici modo homines vexare posse eos circumsedendo, obsidendo & possidendo, hinc illos, quos communiter energumenos dicimus, divisit in *obsessos*, *circumsessos*, & *possessos*. Per possesos stricte sic dictos energumenos, per obsessos maleficiatos, & per circumsessos illos intellexit, quibus dæmon tum quoad corpus, tum quoad animam insidiatur, 2.) omnis generis morbos demon homini immittere valet, 3.) Usquedum origo morbi ex causis naturalibus deduci potest, habendus est pro naturali, non pro demoniaco. 4.) si medicus morbum quemdam depellere non valet, legitime inde concluditur, eum dæmoniacam esse obsessionem, aut circumsessionem, 5.) ejusmodi morbi dæmoniaci per exorcismum, qui nomine Jesu fit, facillime tolli possunt, 6.) sanctissimum nomen Jesu ibi solum effectum producit, ubi est morbus dæmoniacus, non item ubi est naturalis, 7.) num morbus naturalis aut dæmoniacus sit, explorandum esse per præceptum probativum: porro *præceptum probativum* juxta theoriam Gassnerianam erat mandatum, quo Exorcista dæmonem jubet vehementes paroxismos, morbo quo infirmus laborat, correspondentes producere, & ad libitum Exorcistæ continuare, quo quidem ex principio illud deduxit, morbum esse mere naturalem, si nulli sequuntur paroxismi, 8.) ut infirmus efficacia sanctissimi nominis Jesu valetudinem recuperare queat, firmam fidem in hujus nominis efficaciam & in dæmonis potentiam morbis vexandi homines concipiat oportet, sine tali fide vero nulla speranda salus, quo quidem ex principio sequebatur, 9.) infantes & rationis usu carentes sanari non posse, eo quod fidem ejusmodi concipere non valeant, 10.) morbus dæmoniacus quandoque transit in naturalem, quo casu ope exorcismi tolli nequit, 11.) qui fidem semel conceptam denuo amittit, aut in peccata pristina relabitur, in pristinum quoque incidit morbum.

§. 395. Primum, quod in sanandis ægrotis adhibuit, erat præceptum probativum, quo explorabat, num morbus naturalis sit aut dæmoniacus. Testes oculati perhibent, eum præceptum istud probativum duodecies repetiisse, ac infirmum ultra duarum horarum spatium vehementissimos paroxismos perpeti permisisse, priusquam dæmoni *cessare* præceperit. Peracto præcepto probativo sequebatur sanatio exorcizando dæmonem in nomine Jesu, ut circumsessum deserat, quo finito crucem suam pectoralem fronti infirmi adposuit, & verba quædam imperceptibilia mussitavit. Et

quamvis insolita hæc sanandi methodus ab imposturis & falaciis minime immunis fuerit [1], ingens tamen illorum erat numerus, qui illius querebant auxilium [2].

1. Omnes enim testes oculati, qui his intererant operationibus, unanimiter testantur, eum durante exorcismo oculos suos in patientem, & hunc vicissim in illum immobiliter defixisse, rauca & imperiosa voce dæmonem ad producendos paroxismos impulisse, simulque manu una frontem, altera cervicem infirmi pressisse, aut totum corpus quassasse, sine his autem attrectationibus nullos paroxismos fuisse secutos. Accedit, quod per exorcismum sanatis ad cautelam, ne morbus recurrat schedam exorcismi, ut se ipsos exorcizare potuerint, pulveres, & oleum benedictum dederit.

2. Nam *Elvangum* ad viginti millia ex Bavaria, Suevia, ducatu Bremensi, aliisque provinciis non Catholici modo, sed etiam aliarum sectarum (nam neque Judæos a se arcebat, quos quidem non nomine Jesu uti Christianos, sed nomine *Jehova* exorcizavit) convenerant, & Ratisbonæ tria millia opem ejus expectabant. Pone jam simplicitatem & superstitionem Catholicorum æque ac Protestantium, qui illuc convenerant, quantamcunque velis, vix tamen concipi potest, quomodo tam brevi temporis spatio nimirum a mense Octobri anni 1774. usque ad Decembrem anni 1775. tot millia sibi persuadere potuerint, se esse a dæmone obsessos aut circumsessos, præsertim cum circumsessio simplicissimis etiam hominibus res fuerit prorsus ignota, cujus ne quidem vocabulum unquam audierant, nam nemo hominum ante Gassnerum de dæmonis circumsessione unquam somniavit.

§. 396. Ut autem multos habebat Gassnerus patronos, attamen plures nactus est adversarios [1]. Primus, qui exorcismos ejus improbavit, erat episcopus *Constantiensis*, hunc secutus est Archiepiscopus *Trevirensis*, qui in sua diœcesi operationes has exerceri vetuit, Archiepiscopi vero Salisburgensis & Pragensis litteras pastorales contra illum evulgaverant, Elector Bavariæ theatrum exorcismorum Monachii adperire inhibuit, tandem Imperator *Josephus II.* motibus his finem imposuit, & patronos ejus episcopum Ratisbonensem, ac Præpositum *Elvagensem* eum amandare jussit, prohibuitque, ne unquam sibi præsumat in quacunque imperii Romano-Germanici provincia operationes suas exercere, quæ inhibitio eo necessarior fuit, quia non tantum *Ambergæ* Capucinum & in Bohœmia plures presbyteros, sed etiam in Italia aliquot fratres mendicantes imitatores nactus est, quibus tamen ubique resistebatur [2].

1. In hac causa ultra octoginta prodierunt scripta, quæ inter præcipua sunt: 1.). *Las prodigiosas curas de Gassner ilustradas con documentos autenticos, y apoyadas con testigos de vista, año de 1775. por Sterzinger. 2.), pregunta politica: si un Principe que gobierna sabiamente podrá ser indiferente por mas tiempo á las curas de Gassner en sus estados.*

2. Ob causam duplicem, ut eruditi conjiciunt, Gassnerus imposturam hanc excogitavit. Prima earum erat, ut [illegible] sententiam de nullitate [illegible] magiæ realis everteret, [illegible] magiam realem scriptis suis impugnavit, altera fuisse perhibetur vindicatio Jesuitarum, ut demons-

tret, quantam utilitatem illa societas ecclesiæ adtulerit, quæ a sanctissimo nomine Jesu, cujus virtute morbi depelluntur, compellata fuit. Ad hanc firmandam conjecturam varia concurrunt: nam 1.) circa idem tempus, quo societas est extincta, suos cœpit exorcismos, 2.) in Jesuitarum scholis educatus fuit, nec desunt, qui eum tyronem societatis fuisse adfirmant; accedunt 3.) varia facta fide digna, quæ inter istud satis est memorabile: dum quamdam fœminam nomine *Oberhueberin* per exorcismum liberare, seu morbum ab eo immissum depellere adlaborabat, dæmon, a quo circumsessa putabatur, dixit: *Vosotros hombres habeis perdido un grande apoyo con la extincion de los Jesuitas; pero yo he sacado mucho provecho. A la pregunta de Gassner: ¿no has causado tú este horrible destrozo? Respondió el, sí y debes creer que en las cuatro partes del mundo he hecho lo mismo.* Hæc publicis protocolis sunt inserta.

§. 397. Postquam festa nimium fuerint multiplicata, atque inde maxime populorum parti justam victitandi spem & occasionem [1], quin & ut fere solet fieri ob nimiam eorum frequentiam contemptui haberi, sæpius synodi & scriptores a quatuor jam seculis conquesti sunt, numerumque eorum esse imminuendum proposuerunt. Seculo XV. eædem querelæ a Patribus concilii Constantiensis fuere renovatæ (*Hardtius de reb. conc. Constant. T.* 1. *col.* 733.) & seculo XVI. in concilio Trevirensi anno 1549. denuo, nulla tamen adhibito remedio repetitæ, quibus tandem *Urbanus* VIII. permotus seculo XVII. de numero festorum saltem figendo consilium cœpit edita Romæ constitutione anno 1642. (*in Bullar. M. T. V. fol.* 376.).

1. *El católico tiene en el año* 120. *dias de descanso, y el protestante* 60: *de suerte que el primero está ocioso la tercera parte del año y el otro la sexta.* (Pensamientos de Beaumelle.)

§. 398. Postmodum Papa *Benedictus* XIV. urgentibus quibusdam Principibus Catholicis festorum multitudinem contraxit, & intuitu festorum superstitum fideles sola obligatione audiendi sacrum obstrictos esse voluit concessa plena libertate & licentia hisce diebus operibus & laboribus servilibus vacandi [1]. Cum vero nec hæc indulgentia inveteratis abusibus radicitus evellendis par esset, *Clemens XIV.* immortalis memoriæ Papa hanc quoque obligationem audiendi missam remittere & hoc modo edita Romæ anno 1771. constitutione dies festos fere omnes exceptis principalioribus tollere decrevit, quæ in omnibus provinciis austriacis prævio placito regio est promulgata.

1. Benedictus anno 1743. theologorum quorumdam consilia hac super re sibi communicari jussit, verum superstitio & spuria pietas bono huic consilio restitit, & ingens scriptorum copia contra Pontificem prodiit, quibus se ducem præbuit Cardinalis *Quirini*, doctissimus contra *Muratorius* Pontificis consilium defendere est jussus, ita repente Italia in duas factiones est divisa, nec [illegible] finis litis antea, usquedum Papa utrique parti sub pœnarum comminatione anno 1748. silentium imposuit.

§. 399. Originem festi *cordis Jesu*, quod non modicam puritati religionis inussit labem, vulgo repetunt ab ementita revelatione, quam factam ajunt in Gallia piæ fœminæ, admodum tamen illusæ *Margarithæ Mariæ Alacocque* [1] *Urbanus* IV. quidem anno 1264. festum corporis Christi in universa ecclesia celebrari voluit, quod usque ad seculum XVII. unicum erat illorum, quæ ad corpus Christi relationem habent, verum anno 1697. Jesuitæ a sede Romana festum cordis Jesu impetrare studebant. Congregatio rituum ut eorum votis saltem ex parte annuere videretur, loco festo cordis Jesu festum quinque vulnerum instituit, eo quod vulnera nihil aliud sint, quam ipsum Christi corpus lancea & clavis perforatum, sed cum Jesuitæ ternis vicibus pro institutione festi cordis Jesu supplicassent, tandem 6. Februarii anni 1765. sedes Romana eorum votis annuit, & festum hoc prima die post octavam corporis Christi, quæ incidit in feriam sextam, celebrare indulsit [2].

1. Spiritum erroris cognoscere inde possumus, quia non Christus totus & totum, sed particulatim, hoc est, secundum partem corporis adorandus proponitur, non ergo a Deo, sed a moderatore fœminæ hujus *Columberio* olim extinctæ societatis Jesu alumno revelatio hæc originem suam habet. Post id temporis mirum est, quibus conatibus Jesuitæ cultum cordis Jesu propagare studuerint, miracula ipsa & visa de cœlo ostentarunt, sed non successu satis felici; cum enim pro ea qua pollebant authoritate effecissent, ut Romæ evulgaretur, totumque inde propagaretur per orbem effatum S. Aloysii, quod beatus nuncius de cœlo in cubiculum tyrunculi Lojolitæ *Cœlestini* delatus, eique in visione adparens tanquam ex Dei ipsius ore revelavit, cultum cordis Jesu esse universæ curiæ cœlesti gratissimum, idem ille Nicolaus Cœlestinus, qui ad hunc cultum propagandum sanitati a S. Aloysio restitutus esse dicitur, propediem Tusculi mortuus est.

2. In decreto congregationis rituum clare est expressum, ideo cor Jesu esse colendum, quia *symbolum* est vel signum amoris Christi erga genus humanum, cor ergo *symbolicum* aut figuratum, non *carneum* colere sedes Romana indulsit, verum rudis populus, cujus captum distinctio inter cor symbolicum & carneum superat, colendo cor carneum a toto Christo separatum in proxima idololatriam committendi est occasione.

§. 400. Reformationem ecclesiæ in capite & membris concilium Constantiense & Basileense, uti dictum fuit, jam meditabatur. Cum deinde ad componendum dissidium Catholicos inter & Protestantes exortum convocatum fuisset concilium Tridentinum [1] præter causam fidei etiam agebatur de reformatione, sed cum aula Romana reformationem sui semper abhorruerit, nihil intentatum reliquit, ut in hoc concilio omnia ad nutum & arbitrium Pontificum gesta sint, quod cum ingenti rei christianæ detrimento factum est.

1. Est hoc ultimum ex generalibus hucusque celebratis. Varios ejus status, seu epochas considerare possumus: Ceptum est sub Papa *Paulo III.* 13. Decemb. anni 1545., continuatum sub *Julio III.*, absolutum sub *Pio IV.* die 4. Dec.

anni 1563., sub Paulo sessiones 11. celebratæ, 8. Tridenti, 3. Bononiæ, sub Julio 5. sessiones habitæ, reliquæ sub Pio, universim autem 25. constabat sessionibus.

§. 401. Imprimis jam de titulo synodi concertatio est exorta; plurimi enim ex episcopis singulorum decretorum titulo addi volebant hæc verba: *universam ecclesiam* repræsentans a concilio Constantiensi & Basileensi usurpata. Restiterunt legati Pontificis, aliique episcopi Italiæ speciosis quibusdam rationibus [1]. In primis congressibus etiam acriter disputatum est, num a dogmatum definitione, vel a reformatione inchoandum esset? postremum hoc optabat Imperator, quia hoc identidem Germani & ipsi Protestantes postulabant, legati vero pontificii & qui illis adhæserant, a dogmatum definitione inchoandum censebant variis speciosis rationibus freti [2].

1. Vera autem ratio, ob quam legati eam inscriptionem rejecerant, ea fuit, quam in synodicis quidem congregationibus dissimularunt, sed quam adperuerunt Pontifici (et constat ex *Farnesii* litteris 5. Januarii anno 1564. datis) quod scilicet metuerent, ne hac inscriptione admissa plurimi Patrum eo quoque verba addi postularent, quæ synodo Constantiensi & Basileensi fuerant adjecta: *Quæ synodus a Christo immediate habet potestatem, cui quilibet cujuscumque status & dignitatis etiamsi papalis existat, obedire tenetur.*

2. Præcipua ratio, quæ Pontificem & legatos ad protrahendam reformationem impulit, metus erat, ne synodus hanc ab aula Romana inchoaret, & potestatem suam supra Pontificem efferret, ut fuse *Palavicinus* hist. conc. Trid. l. 6. c. 7.

§. 402. Optabant plerique, ut suffragia numerarentur secundum nationes, sicut in concilio Constantiensi est factum, at factio Pontificis impetravit, ut vota *viritim* colligerentur. Per hoc autem mirum in modum Imperatoribus & Principibus, qui reformationem in capite & membris exoptabant, illudebat Papa; nam ex quatuor nationibus principalioribus nimirum hispanica, germanica, gallica, & italica sola hæc ultima legatis & factioni Pontificis fuit dedita, si itaque secundum nationes suffragia numerata fuissent, tres cæteræ nationem italicam votorum pluralitate superassent, atque ita omnia ad nutum & arbitrium Pontificis agi non potuissent, at vero cum vota viritim collecta fuerint, tantum numerum episcoporum Italiæ ad concilium misit ut contra episcopos ceterarum nationum votorum pluralitatem efficere potuerint [1]. Imo adeo sollicitus de conservanda sua curia fuit Papa, ut episcopis pauperioribus pecunias e camera apostolica subministrari curaverit, iisque pinguiora beneficia promiserit, dummodo juvarent votis suis potestatem pontificiam supra concilium fulcire, jura Regum & episcoporum deprimere, monachorum corruptionem laudare, & ita reformationis negotium infringere.

1. Hoc ut facilius obtineatur, etiam Abbatibus & præpositis generalibus ordinum religiosorum jus suffragii est tributum, qui potissimum præ ceteris intenti erant authoritatem pontificiam supra omnem modum extendere Exortus fuit non diu ante concilii initium ordo Jesuitarum, quorum præpositus generalis *Lainezius* desiderio Principum quoad reformationem curiæ Romanæ & cleri maxime restitit.

§. 403. Inde factum, ut in negotio reformationis ferme nihil ex iis statutum sit, quæ Imperator, aliique Principes desiderarunt; legati enim proponebant, quæ in deliberationem mittebantur, quæ autem proponenda sint, ab aula romana determinabantur, nihil enim ad deliberandum proponebant, nisi prius Roma fuisset missum, & Pontifici placuerat [1]. Cum itaque aula Romana his astutiis usa fuisset, Imp. *Ferdinandus* durante adhuc concilio ad *Pium* Papam litteras dedit querelis plenas [2]. Quod autem Papæ pleraque in hoc concilio e voto successerint, nihilque eorum, quæ Imperator & alii Principes reformari desiderabant, factum sit, id causæ in eo quoque est reponendum, quod oratores & theologos Principum Papa corruperit, & donis ad partes suas traxerit [3].

1. Hinc cum sess. XVII., quæ sub Pio IV. prima fuit, particula *proponentibus legatis* decreto fuisset apposita, magnas ea contentiones excitavit ex parte præsertim episcoporum Hispaniæ, qui eam ob novitatem impugnabant, & quod violatæ aut imminutæ libertatis concilii argumentum sit, at nihil cordati hi effecere episcopi, quoniam factio pontificia & monachi numero plures eam particulam adprobarunt.

2. Conquestus est Imperator: *quod concilium non eo modo ac ordine procedat, quo pii vellent, & afflictus rei christianæ status exposceret, quod segniter negotia tractentur, quod Patres contentionibus & dissidiis distrahantur*, misit etiam ad concilium volumen postulatorum, cujusmodi erant: *ut Pontifex se ipsum & curiam Romanam reformari benigne patiatur. ut numerus cardinalium reducatur, provideatur ne fiant amplius dispensationes scandalosæ, ut revocentur exemptiones passim contra communia jura concessæ, ut tollatur beneficiorum pluralitas, ut eucharistia sub utraque specie decernatur, in esu carnis & jejuniis de pristino rigore aliquid remittatur, conjugium sacerdotum nationibus quibusdam indulgeatur.* Extant tum litteræ, tum articuli apud *Goldastum* secunda constitutionum imperalium parte. Similes articulos a Galliæ Rege ad concilium missos idem Goldastus parte tertia narrat addita ejusdem adversus concilium protestatione solemni, in qua inter alia Galli Patres concilii sic alloquuntur: *Quid vobis judicandum proponitur, aut a vobis judicatum publicatur, quod non prius Roma missum, & Pio IV. placuerit? ——— Cum nihil a vobis, sed omnia magis Romæ quam Tridenti agantur, & quæ hic publicantur, magis Pii IV. placita, quam concilii Tridentini decreta jure existimentur, denunciamus, & protestamur, quæcunque in hoc conventu hoc est solius Pii IV. nutu & voluntate decernuntur & publicantur, ea neque Regem christianissimum probaturum neque ecclesiam gallicam pro decreto concilii œcumenici habituram.*

3. Hujus rei testis est epistola, quam scripsit Cardinalis *Moronus* legatus Pontificis die 17. Maii anni 1563. Refert eam author libri: *historia de la bula de la cena*; estque ex ipso originali & chyrographo desumpta hujus tenoris: *conforme á las ideas de S. S. he hecho algunos regalos á estos ministros imperiales tanto en dinero como en alhajas de oro y plata, y creo que todo sea bien empleado. Al vice-canciller de S. M. [illegible] muy estimado del emperador, he regalado una copa y un plato de plata que está trabajado en Francia y costo 15[illegible] [illegible] de oro, y es un milagro que lo recibiese. A la esposa del gran mariscal, que es la primer dignidad de*

imperio, por cuanto no era regular dárselo á él, le he enviado un aderezo que costó 120. escudos de oro. En dinero se han dado á Canisio 190. escudos por via de limosna para la compañia de Jesus: otros 100. al P. confesor y predicador de S. M. Zitaldo, y otros tantos á Conrado Bruno, y se los he dado con tanto mas gusto por haber oido que se queda en la Corte para tomar en consideracion, de órden de S. M. las materias teológicas que ocurran. A Stafilo he dado igualmente 200. escudos de oro, por ser un sábio que siempre está en la corte imperial ó en la de Baviera. S. S. le ha ofrecido 300. florines anuales, y él desea que se le paguen en Ausburgo, para usar de ellos segun le acomode. Como esto le es muy provechoso y á la Cámara Apostólica no le resulta perjuicio, suplico &c. Todo cederá en servicio de S. S. que sacará gran provecho de estas gentes que quedan contentas. Idem author in citato opere dicit: *Ha costado este concilio muchas cantidades á la corte de Roma, adonde fué el dinero de los estados de aquellos mismos príncipes que mas deseaban la reforma.*

§. 404. Perspicimus nunc rationem, cur quædam nationes concilium Tridentinum quoad decreta reformationis aut plane non, aut nisi certis sub conditionibus receperint. Hispania diu cum Pontifice de ejus receptione certavit, & postremo non aliter, quam *salvis Regum Hispaniæ juribus* illud recepit. Gallia vero decreta reformationis constanter tam publice quam privatim rejecit, quia Regum juribus & libertati ecclesiæ gallicanæ repugnant. Hungaria etiam concilium hoc nunquam publice recepit. Germania quidem decreta reformationis recepit, at multa jam subsequentibus Imperatorum legibus sunt abrogata.

§. 405. Cum tali modo aula Romana sui reformationem declinasset, Pontifices, suorum prædecessorum vestigiis inhærentes, pergebant jura Principum civilium sibi arrogare & supremum in ecclesia agere monarcham; nam Pii IV, sub quo concilium Tridentinum finitum est, successor Pius V. author erat bullæ illius percelebris, quæ bulla *in cœna Domini* dici solet [1] qua quidem nihil erat oportunius ad potestatem pontificiam firmandam, & jura Regum deprimenda, si recepta & observata ubivis fuisset [2].

1. Hæc adpellatio ideo ei est data, quia ad tempora usque *Clementis XIV.* quotannis in hebdomadæ majoris feria quinta, qua memoria cœnæ Domini celebratur, prælegi seu promulgari solebat. Bullam hanc subsequentes Pontifices variis additamentis auxere, eam vero formam, quæ hodie habetur ei dedit *Urbanus VIII.*

2. Ut enim cetera prætercam, dicitur ibidem, 1.) *excommunicamus omnes hæreticos, eorumque defensores, fautores & receptores*, 2.) *excommunicamus omnes cujuscunque status a Papa ad futurum concilium generale adpellantes*. 3.) *excommunicamus omnes, qui in terris suis nova pedagia seu gabellas, præterquam in casibus sibi a jure, vel ex speciali sedis apostolicæ permissis imponunt vel augent*. 4.) *excommunicamus omnes falsarios litterarum apostolicarum* (quam excommunicationem *Rebuffus* aliique inepti canonistæ adeo extenderant, ut eam quilibet incurrat, qui vel comma aut punctum in bulla Pontificia radit) 5.) *excommunicamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, aut hæreticos deferunt vel transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera atque bellica instrumenta, lignamina, funes &c.*

§. 406. Non tamen his suis conatibus efficere poterant Pontifices, quin Imperantes civiles identidem jura sua vindicare studuerint, hinc sæpius inter eos ac aulam Romanam contentiones Offert se sunt exortæ. hic primo loco controversia *Pauli V.* cum republica Veneta, de qua supra jam mentio facta est (§. 366. 1); nam cum bulla interdicti a Papa Venetias missa fuisset, Dux reipublicæ, qui tunc erat *Leonardus Donatus*, omnibus Patriarchis, Archiepiscopis & episcopis sui territorii decretum edidit, quo declarat, bullam interdicti *non modo ut injustam, indebitamque, verum etiam uti nullam, nulliusque valoris habendam esse, atque ita invalidam, irritam & fulminatam illegitime & de facto, nulloque juris ordine servato, ut ea remedia adhibenda nos duxerimus, quibus majores nostri & alii supremi Principes usi sunt cum Pontificibus, qui potestatem sibi a Deo in ædificationem traditam transgressi fuerant* [1].

1. Parebant fere omnes episcopi senatus decreto, & nulla interdicti ratione habita sacra more solito peragebant, Jesuitæ tamen obtemperare renuebant, qui etiam Theatinos & Capucinos, ut idem facerent, exemplo suo adduxerant. Interea Pontificem inter & Venetos nata dissidia crescebant. Magnas in hac lite partes habuit Fra-Paolo Sarpi theologus Venetus ex ordine Servitarum, qui scriptum quoddam sub nomine *Considerationum* evulgavit, quo leges reipublicæ Venetæ ut æquissimas defendit, & exemptiones clericorum beneficio Principum concessas probavit. Pugnabat contra pro Pontifice Baronius & Bellarminus præcipue. Dum scriptis pugnatum fuerat, prope ad arma ipsa deventum fuisset, nisi *Henricus IV.* Galliarum Rex mediatorem sese interposuisset. Propositæ sunt itaque mutuæ pacis conditiones, inter quas Papa illud maxime desiderabat, ut Jesuitæ in pristinum statum restituerentur, verum senatus nullo modo adduci potuit, ut in id consentiret, itaque Jesuitarum exilium ex Venetia durabat ab anno 1606. usque ad annum 1657. id est annis 50, eo enim anno precibus multorum Principum imprimis vero *Ludovici XIV.* fatigata respublica reditum concessit. Ex hoc tempore Pontifices damno suo sapientes excommunicationibus & interdictis in Principes & integras provincias latis abstinuerunt, audientesque adeo fuere dicto *Nicolai Pontani* Venetorum Ducis: *Uti scilicet Pontifices censuris seu anathematibus debere instar gladii vaginæ inclusi, non temere distringendi, ne discerent homines eos non timere, contemnere*, qui etiam *Gregorio XIII.* obnuntiare non dubitavit, *esse* verendum, ne Veneti, qui Græci olim fuissent, a Papa irritati e Latio in Græciam migrarent.

§. 407. Si Lusitanis tantum animi fuisset, quantum Venetis, æque terminata lis fuisset, quam cum illis *Urbanus VIII.* an. 1641. suscepit, & ad annum 1666. gessit. Lusitani enim *Joannem* Ducem Bragantinum exturbatis Hispanis Regem sibi crearunt. Urbanus & successores ejus nec hunc qua Regem Lusitaniæ salutare, nec episcopos ab eo nominatos confirmare voluerunt. Qua e re id evenit, ut maxima terrarum Lusitaniæ parti diu episcopis carendum esset, volebantque Pontifices potius contra officium suum greges sine pastore relinquere, quam Regem Hispaniæ offendere. Exhortati sunt Lusitanorum Regem cum alii tum maxime Galli, ut Venetos æmularetur, & in concilio provinciali invito Pontifice episcopos suos confirmari curaret, &

videbatur interdum fortiter agere velle, sed audentem aliquid tum inquisitionis authoritas, tum incredibilis populi erga Pontificem voluntas retraxit. Quocirca post annos demum 25. pace cum Hispanis facta *Clemens IX.* episcopos a Rege constitutos confirmavit.

§. 408. Gallis a multis jam seculis perpetuum fere cum Pontificibus certamen erat, quod ut alias ita etiam seculo XVII. aliquoties in apertum bellum erupit. Pontifices si quid calide & constanter, hoc certe per totum seculum egerunt, ut sensim *libertates*, quas vocant, *ecclesiæ Gallicanæ* aut tollerent aut enervarent. Sed validissima semper his machinationibus munimenta opposuerunt cum supremus senatus, seu *Parlamentum* Parisiense, tum fortissimi scriptores *Edmundus Richerius*, *Jo. Launojus*, *Petrus de Marca*, *Lud. Elias du-Pin* & alii, qui majorum decreta alius tamen alio animosius & doctius repetere, & novis rationibus firmare ausi sunt [1].

1. Non semper quidem aula generosis his viris quod merebant præmium persolvit, imo sæpe iniquam sese illis præbuit, quo indignanti & minanti Pontifici gratificaretur: nec tamen multum inde utilitatis ad curiam Romanam pervenit. malunt nimirum Galliæ Reges jura sua tacite custodiri, quam verbis & rationibus publice cum strepitu & impetu quodam defendi (ideo *Voltairius* de modo loquens, quo aula gallica jura sua contra romanæ curiæ insultus servare studet, ingeniose dixit: *Rex Galliæ Papæ pedes osculatur, & manus ligat.*) Quando vero lenitatem hanc ad suam potestatem dilatandam adhibere vident Pontifices, Gallorum se Reges esse recordantur.

§. 409. Prima pugnarum seculo isto inter Pontificem, & Gallos exortarum in tempus *Alexandri* VII. incidit, & Corsorum, quæ prætoriani sunt Papæ milites, temeritati debetur, utpote qui anno 1662. legato Regis Marchioni *Crequio* ejusque uxori instinctu nepotum Alexandri insultare audebant. Injuriam hanc bello ulcisci Rex Gallorum voluit; nam Avenionem occupavit, & exercitum in Italiam misit. Donavit tamen pacem Pontifici clementiam Regis impetranti Pisis anno 1664. ea inter alia conditione, ut nepotem Lutetiam deprecandi causa mitteret, & Corsorum gentem publico edicto infamiæ nota inureret.

§. 410. Hæc tamen lis Regi non tam cum Pontifice qua *ecclesiæ capite*, quam qua Principe territoriali erat. Cum ipso Pontifice qua Pontifice Rex congressus est anno 1673. sub *Innocentio XI.*: materia certaminis erat, ut a Gallis vocatur, *jus regaliæ* [1]. Ludovicus Rex omnes omnino regni sui ecclesias juri regaliæ subjicere voluit, Innocentius fieri hoc posse negavit, & latius jus hoc patere, quam patuerat antea noluit (Ludovicus enim aliquas provincias urbesque Noviomagensi pace constituta suo imperio adjunxit, ad quas jus regaliæ antea ibidem non

usitatum extendere statuit). Rex monitis & epistolis Pontificis leges & mandata opposuit, cumque Papa novos episcopos a Rege nominatos confirmare nollet, ipse eos in episcopos consecrari regia authoritate curavit, & anno 1682. celebrem illum episcoporum suorum conventum Lutetiæ Parisiorum nomine *Congregationis generalis cleri Franciæ* insignitum convocavit, in quo antiqua Gallorum dogmata de potestate Pontificis mere spirituali denuo solemni more ab omnibus sunt probata, & universo clero non minus quam academiis inviolandæ regulæ loco propositæ quatuor celeberrimæ propositiones [2], ob quas certamina quædam litteraria sunt exorta [3].

1. Vi juris hujus Reges Galliæ mortuis episcopis fructus & reditus illorum colligunt, & beneficia in diœcesi defuncti episcopi vacantia conferunt, donec novus in locum defuncti succedat. Reditus ejusmodi, qui a morte episcopi, aut alterius beneficium ecclesiasticum habentis usque ad ejusdem collationem novam fluunt, communiter reditus *intercalares* dicuntur. Hi juxta jus pontificium aut successori in beneficio dari, aut in ecclesiæ vacantis utilitatem impendi deberent, juxta praxim vero hodie in terris Austriacis usitatam ad augendum fundum religionis destinati sunt.

2. Harum prima ita sonat: Papa, imo ecclesia nec directam nec indirectam in temporalia Principum habet potestatem. 2.) concilium generale est supra Papam. 3.) potestas Papæ limitanda est & restringenda juxta canones, 4.) Papæ decisiones in rebus fidei sine consensu ecclesiæ non sunt infallibiles.

3. *Innocentius* XI. has propositiones tam publice quam privatim oppugnari curavit. Princeps omnium, qui Pontificis partes egerunt, facile est *Cœlestinus Sfondratus* cardinalis, qui adscito nomine *Eugenii Lombardi* edidit: *Regale sacerdotium Romano Pontifici assertum & quatuor propositionibus explicatum* anno 1684. Formæ litterarum docent, librum apud Helvetos vulgatum esse. In reliqua multitudine Italorum, Hispanorum, Germanorum, qui Pontificis partem arripuerant eminet *Nicolaus du Bois* Lovaniensis doctor, a quo aliquot hujus argumenti libelli exarati sunt, quos *Borsuetus* memorat. Hos omnes idem Jac. Benignus Bossuetus Meldensis episcopus jussu Regis sui erudito opere profligavit quod tamen post fata ejus prodiit sic inscriptum: *Defensio declarationis celeberrimæ, quam de potestate ecclesiastica sanxit clerus gallicanus 19. Martii anno* 1682. *Luxenburgi* 2. *vol.* 1730. Vetuit nempe Rex defensionem hanc in lucem proferri, quia post Innocentii obitum magna spes pacis appareret, quæ etiam paulo post est secuta. Tandem controversia hæc de jure regaliæ temperatione quadam adhibita composita est, uti exponit *Fleury in instit. jur. eccles.*

§. 411. Nullo vero tempore authoritas Pontificis adeo imminuta est, quam præsente, quod vivimus, seculo [1], ex illo præsertim tempore, quo jura ejus adventitia vehementer impugnaverit author libri, cui titulus est: *Justini Febronii jurisconsulti de statu ecclesiæ & legitima potestate Romani Pontificis, liber singularis ad reuniendos dissidentes in religione Christianos compositus, Bullioni* (*reipsa Francofurti ad Mœnum*) 1763. *in* 4. [2]. *Hantheim* episcopus Myriophitanus suffraganeus Archiepiscopi Trevirensis, qui sub nomine Febronii latere voluit, exemplo suo exci-

tavit *Antonium Pereiram* juris ecclesiastici Ullissippone professorem, ut anno 1765. dissertationem *de suprema Regum potestate*, & anno sequenti alteram *de potestate episcoporum in impedimentis matrimonii dispensandis* evulgaverit.

1. Hujus rei ratio non ultima in eo est, quod a tempore *Leibnizii* & *Wolfii* scientiæ philosophicæ multum sint perpolitæ, qua face accensa mox jus naturæ & civitatis excoli, inde vero & jus ecclesiasticum a sordibus purgari cœpit, nam per jus civitatis juri ecclesiastico adplicatum limites utriusque potestatis adcuratius deducti, & jura Imperantium circa sacra vindicata sunt: ex altera vero parte cognita falsitate decretalium Isidori episcopis jura, quibus Papa eos spoliavit, restitui cœperant.

2. Opus istud post sui evulgationem mox ingentes excitavit motus. *Clemens* XIII. accepto per nuncium Viennensem ejusdem exemplari illud indici librorum prohibitorum inseri jussit, & 27. Februarii anni 1764. damnavit, missis simul 14. Martii tribus Brevibus ad Electores ecclesiasticos, aliosque Archiepiscopos & episcopos Germaniæ, quibus eos exhortabatur, ut opus Romanæ sedi adeo perniciosum in suis diœcesibus supprimere jubeant. Verum etsi nuncius Viennensis omnibus illud supprimere adlaboraverit conatibus, attamen exemplaria ejusdem in terris Austriæ hæreditariis publice divendendi licentia est data, & cum prima editio quam celerrime fuerit distracta, adornata est altera, mox etiam opus istud ex lingua latina in germanicam, gallicam, italicam, aliasque translatum. In Hispania primitus nonnisi excerpta quædam in forma dissertationum imprimebantur, posthac vero multa exemplaria ex Italia illuc mittebantur, cujus quidem is fuit effectus, ut Rex Hispaniæ multos abusus, qui ab aliquo tempore in rebus ecclesiasticis irrepserant, ad mentem Febronii abrogare proposuerit. Idem factum est in Lusitania.

§. 412. In quantum autem potestas Pontificis hoc seculo sit imminuta, optime intelligere licet ex litibus, quæ ipsis cum Principibus civilibus erant; nam in his semper inferiores discessere. *Clemens* XI. in bello ob successionem in regnum Hispaniæ gesto magis ex parte Galliæ quam Austriæ stetit, commovit præterea non leviter Imperatorem *Josephum* I. ob exercitium *primarum precum*, & ob hybernalia copiarum austriacarum in Parmensi provincia. Imperator repressaliis utens pontificis dominium in provinciam *Comachio* impugnavit [1], quæ res fere universam commovit Europam. Comachio abs dubio feudum est imperii, quo Dux Modenæ ab Imperatore investiri solebat, dein vero Papa sibi appropiavit. Anno 1708. Imperator Duci Modenæ ad feudum hoc recuperandum opem tulit, & in urbem Comachio milites stationarios eo sub prætextu misit, quod urbs ista pro fortalicio apta esset, quod quidem aula Romana æquo animo tulit, at cum animadvertisset, id in præsidium Ducis factum fuisse, Clemens XI. commotus copiis Imperatoris suas opposuit, dein vero inferiorem se cernens oblitus excommunicationis, quam Imperatori minatus est, pacem rogavit, quam acceptatis conditionibus ab Imperatore præscriptis anno 1709. obtinuit. Tandem Imp. commoveri se passus est, ut anno 1725. urbem Comachio Papæ restituerit, salvis tam juribus tum suis, tum Ducis Modenensis.

1. Ad has similesque lites melius intelligendas notandum est, provincias ad territorium Papæ spectantes non omnes ejusdem esse generis; de quibusdam enim nemo illi litem movet, in quasdam partim Imperator partim Principes quidam Italiæ jus habere prætendunt, qua de causa sæpius controversiæ sunt exortæ. Territorium pontificium hodiernam comprehendit, 1.) patrimonium S. Petri, de quo nemo illi litem movet, 2.) illas provincias, quas olim Imperatores orientis in Italia possederant, postquam imperium occidentale est extinctum, nec de his provinciis quis litem movet Papæ, cum eas a Pipino, Carolo M. & Ludovico Pio dono acceperit, in eo tamen est dissensio, quousque se exarchatus Ravenatensis exporrigat. Pontifices limites ejus ampliant, & sub eo Parmam, Piacencam, ducatum Modenæ, partem Pedemontii & partem ditionum Venetarum comprehendi contendunt, Imperator contra ab exarchatu Ravenatensi Parmam, Piacencam & Modenam excludit, qua de re magno æstu certatum est. Acriter præterea disputabatur de supremo & *directo* harum provinciarum dominio. Aula Imperatoris dominium directum Papæ denegat, eique solum dominium utile tanquam vasallo feudum habenti concedit, contenditque, Pontificem obligari illarum provinciarum, quæ eidem a Carolo M. donata sunt, *investituram* ab Imperatore accipere, domus autem Borbonica in hac controversia partes Pontificis amplexa concedere noluit, ut provinciæ istæ fiant feudatariæ, 3.) comprehendit territorium pontificium donationem Mathildis, quæ partim sunt bona allodialia, partim feudalia. hæc donatio Pontifici non mansit integra, feudalia nimirum tanquam feuda imperii, quæ Mathildis Papæ donare non poterat, Imperatores sibi vindicarunt. allodialium quoque prætentionem proximi Mathildis consanguinei & præprimis Dux Modenæ fecerant, 4.) tandem comprehendit provincias, quas Papa variis modis & artibus sibi appropiavit, uti ducatum Ferraræ, urbem Bononiam, aliaque, harum quoque provinciarum Imperatores prætensionem faciunt, & pridem a Pontificibus exigebatur, ut titulum possessionis hujus demonstrent.

§. 413. Inter conditiones pacis, quam Clemens XI. cum Imperatore Josepho I. iniit ob urbem Comachium, illa etiam fuit, ut *Carolum III.* legitimum Hispaniæ Regem agnoscat, quo autem tacite declarabat, *Philippum* Andegavensem *Ludovici* XIV. nepotem esse illegitimum. Hoc indigne tulit Ludovicus, & anno 1709. minatus est, se velle repudiata potestate pontificia suo regno patriarcham præficere. Sed quoniam Regi Ludovico persuaserat, se ab Imperatore, ut hanc declarationem faceret, coactum fuisse, lis est sedata, præsertim cum posthac ipse Imp. *Carolus* VI. Philippum legitimum Hispaniæ Regem declaraverit. Fortius autem restiterant Galli *Benedicto* XIII., qui canonizationem *Gregorii* VII. Papæ moliebatur, & eidem officium canonicum præscripsit; nam vix ac officium hoc in Gallia innotuit, utpote libertatibus ecclesiæ gallicanæ repugnans est rejectum, senatusque Parisiensis omnia exemplaria supprimi jussit [1]. Exemplum hoc secutus Imperator noster *Josephus* II. officium de Gregorio VII. in provinciis Austriæ recitare prohibuit.

1. Tributa a Rege Galliæ clero imposito non minus Pontifici displicuerant, non tamen contradicere est ausus, quod scivisset, Gallos in persona clerici etiam spectare coronam. Ad conservandas libertates ecclesiæ gallicanæ nuntio Pontificis injunctum est, ne se negotiis ecclesiasticis immiscere præsumat: ideo, *placitum regium* circa bullas pontificias pridem in Gallia exercitum fuisse.

§. 414. Reges Hispaniæ ceteroquin obsequiosissimi erant Pontifici, ex quo autem solium Hispaniæ ex Gallia oriundus conscendit, & principia gallica secum adtulit, scena mutata est. Mansit *Philippo V.* alta mente repostum, quod *Clemens XI. Carolum III.* legitimum Hispaniæ Regem salutaverit, & quamquam Papa metu Imperatoris adactus id fecerit, Philippus tamen non flectebatur, sed legatum apostolicum solum Hispaniæ migrare jussit. Brevi novum certamen ratione decimarum exortum: Papa prohibuit decimas contra Turcas a clero datas impendere ad bellum cum Imperatore continuandum, quamobrem Rex adeo commotus est, ut omnem cum aula Romana communionem sustulerit, omnesque Hispanos Roma avocaverit [1].

1. Lites alias Pontificum cum Lusitanis, Sardinia, Neapoli, Venetis hoc seculo gestas omitto, ne limites operi huic præfixos transgrediar. Generaliter notandum, ex his litibus Pontificis interiores discessisse, & quamquam Pirncipes Catholici Papæ personam hucusque semper venerati sunt, attamen prudenter *aulam romanam a sede romana*, seu Pontifice distinguunt.

§. 415. Superest exponendus status ordinum religiosorum. Carmelitas ad veterem disciplinæ ordinem revocare tentavit. S. *Theresia* mulier Hispana nobili genere nata socio tanti laboris adscito Joanne de Matha, qui postea *Joannes de cruce* adpellatus est. Neque fortuna hisce defuit conatibus, maxima licet pars Carmelitarum repugnaret [1]. Ordo *Capucinorum* authorem habuit *Mathæum de Bassi* ex Umbria oriundum, quem adprobavit Papa *Clemens* VII. anno 1528. Nomen hic ordo habet a caputio capitis tegumento togæ franciscanæ assuto, quod ipsum S. Franciscum gestasse ferunt. Ordo *charitatis*, ut in Gallia vocatur, in Germania vero *Fratrum misericordiæ*, fundatus est a *Joanne de Deo* natione Lusitano, & a *Pio V.* anno 1572. confirmatus. Præter tria communia ceteris religiosis vota habent hi fratres quartum de juvandis infirmis, sub S. Aug. regula propriisque statutis viventes [2]. *Patres Oratorii*, seu congregationem Philippi Nerii creavit Philippus Nerius Florentinus, quam Papa *Gregorius* XIII. anno 1577. in tutelam publice recepit [3].

1. In duas hinc sectas per decem annos familia hæc tributa fuit, quarum altera lenioribus, altera durioribus legibus utebatur. Multarum vero inimicitiarum & rixarum argumentum quum esset diversa hæc vivendi ratio inter unius ordinis membra, primum Gregorius XIII. anno 1580. rogatu *Philippi II.* Hispaniarum Regis Carmelitas durioribus legibus viventes, qui a nudis pedibus *Discalceati* nominantur, a remissioribus se separare jussit. Confirmavit & dilatavit hanc separationem *Sixtus* V. anno 1587., perfecit vero *Clemens* VIII. anno 1593., qui illis proprium *præpositum generalem* dedit.

2. His addendus ordo Eremitarum discalceatorum S. Aug. a *Baptista Poggio* fundatus, ordo Minimorum a *Francisco de Paula* institutus, ordo clericorum Re-

gularium S. Pauli vulgo *Barnabitarum*, a templo S. Barnabæ anno 1545. Mediolani illis dato, ab *Antonio Morigia* & *Bartholomæo Ferrario* institutus.

3. Hæc congregatio viros haud paucos eruditione & ingenio inclytos protulit, & in his Cæsarem *Baronium*, postea Oder. *Raynaldum*, & postremo Jac. *Laderchium* annalium ecclesiæ celeberrimos scriptores, de quibus in prolegomenis est dictum.

§. 416. Ordines religiosos seculi XVII. recte dividere possumus in *Reformatos*, & *non-Reformatos*, priores inter *congregationes* quædam Benedictinorum reliquos partim instituto-rum utilitate, partim disciplinæ observantia vincunt. Earum celebrior est illa Gallorum *S. Mauri* congregatio [1], non quidem desunt, quæ in ea reprehendi possent, at multa tamen habet præclara, quorum quidem primarium & utilissimum hoc est, quod membra ejusdem se cultui scientiarum profanarum & divinarum, historiæ præsertim & antiquitatum consecrent. Sciunt, quibus fata litterarum non ignota sunt, quantum utilitatis hoc institutum rei litterariæ adtulerit in omni, si philosophiam demas, litterarum genere.

1. Litteras *Gregorii XV*, quibus congregatio S. Mauri adprobatur, severe omnibus momentis sui ponderat Jo. *Launojus*, monachorum etiam meliorum flagellum, examine privilegii S. Germani Tom. 3. Part. 1. operum. Idem turbas & motus in ea post initia statim natos, paulo tamen iniquius ut solet quum de monachis agit, refert assert. Inquis. in privil. S. Medardi Part. 1.

§. 417. Habet hæc congregatio inimicos, eosque non paucos. Primum episcoporum aliqui doctioribus his Benedictinis parum favent; postquam enim hi monachi veteri historiæ, reique diplomaticæ magnam lucem laboribus suis affuderunt, res, opes, jura sua felicius & doctius quam olim contra episcopos in foro tueri possunt. Jesuitæ deinde, quorum gloriam & merita Benedictini hi egregiis laboribus valde obscurarunt, quantum poterant, illis eorumque studiis detraxerant (*Richard. Simon.*). Alii illis exprobrant, quod litterarum studia in locum laborum manuum, quos regula S. Benedicti monachis præscribit, substituerint. Robustiores monachi aliquot diei horas manu laborare jubentur, at debiliores & excellentiori ingenio præditi studiis vacant. Id vituperant viri quidam severi, veterisque disciplinæ monasticæ amantes, qui litterarum studia monachos dedecere, quoniam a rerum divinarum contemplatione mentem avocant, arbitrabantur. Hanc cum imprimis sententiam vehementius professus fuisset *Armandus Joh. Bouthillier de Rance* Abbas Trappensis in libro de *monachorum officiis*, jussus est *Io. Mabillonius* Benedictinorum doctissimus familiæ suæ causam notissimo de *studiis monasticis* libro [1] defendere, hinc celebris illa

lis in Gallia exarsit: *quousque monachum litteratum esse conveniat*? Ceterum congregatio S. Mauri ex 200. circiter monasteriis conflata est quorum unicuique superior præest.

1. Secundam hujus operis partem ex gallico in italicum idioma translatam cum *Ceppi* Augustinianus in lucem edere prætulisset, in magnas incidit difficultates, quibus magister sacri palatii hanc editionem remoratus est. Mabillonii exhortatio ad legendos quosdam libros Protestantium minime ibi arrisit, *Usserii* chronologiam hominis Catholici opus omnium tutissimam ab eo numerari displicuit, quæstiones scholasticas, quæ per particulam *quomodo* incipiuntur, ab eo de medio sublatas obmurmuratum est, exemplum *Tichonii* Donatistæ licet ex S. Aug. depromptum rejectum est, eo quod ad legendos libros hæreticos excitare possit, profanas historias & chonologiam ad sacrarum scripturarum intelligentiam exhiberi neutiquam probatum. Denique *impostoris* nomen, quo Mabillonius *Joannem Annium Viterbiensem* notavit, improbabatur. Magistrum sacri palatii tanta in hoc negotio subiit religio, ut asserere non dubitaverit, se connixurum, ut hic liber sacri officii censura sugillaretur. Interea tamen æquis commonitionibus & rerum argumentis a *Massolié* in medium prolatis illud confectum est, ut Ceppi imprimendi facultatem impetraverit ea tamen lege, ut omitteret, quidquid ad hæreticos libros spectat, quorum lectionem Mabillonius commendavit In Germania opus hoc prodiit latine ab *Udalrico Straudige* Benedictino in oppido Cantensi anno 1702.

§. 418. Idem *Armandus Joannes Buthillierius*, qui cum Mabillonio de studiis monasticis certavit, author fuit Cisterciensium, seu ut ab aliis adpellantur Bernardinorum Reformatorum *Trappensium* (La Trapa), quorum institutum ex Gallia in Italiam & Hispaniam propagatum est [1], verum si qua fides est multorum testimoniis, a primævo rigore Trappenses jam deflexerant.

1. Buthillierius juvenis in litteris elegantioribus adeo excelluit, ut puer 10. annorum *Homerum* dextre interpretaretur, & 13. natus annos *Anacreontis* poemata doctis cum animadversionibus ediderit. Lectio hujus poetæ ei tantam ad impuros amores proclivitatem instillasse fertur, ut illam gremio Sorbonæ adscriptus nec studio theologiæ compescere valuerit. Parisiis puellam quamdam ardentissime adamavit, contigit autem, ut, cum per sex septimanas remotus ab urbe ruri degeret, redux amasiam suam invisere pergens eam in feretro invenerit, quo tristi & inopinato eventu adeo commotus est, ut ad locum desertum (la Trappe) secesserit, ibique per annos 40. austeram vitam duxerit.

§. 419. *Joannes Berullus* cardinalis an. 1613. instituit Patres *Oratorii Jesu* Gallorum familiam. Congregatio hæc Jesuitis reipsa opposita multos viros pietate & doctrina celebres protulit. Non abdicant se bonorum suorum usu, qui ad hanc sodalitatem accedunt, verum omnem spem ad munera sacra, quibus certi reditus adjuncti sunt, & honorum gradus perveniendi, quamdiu societatis membra sunt (excedere vero, si placet, ea possunt) dimittunt. His addendi *fratres, sororesque piarum scholarum* anno 1678. a *Nicolao Barre*, vel, ut communis est opinio, a Josepho *Calasantio* Aragonensi instituti.

Piaristæ hodie vulgo nominantur, quorum institutum instructionem pauperum puerorum præcipit [1].

1. Fæminarum quoque puellarum institutionem curantium cœtus seculo XVII. prodierunt. Enimvero *Victoria Fornaria* anno 1604. Genuenses virgines, quæ a cœruleo vestis colore *cœlestes* vocantur, in unum congregavit. Quæ adpellantur *Visitationis*, authore Francisco Salesio anno 1610. primam domum Annecii in Sabaudia incoluerunt, sequenti autem anno *Ursulinas* Parisiis *Maria Luillier*, eodemque anno 1611. in Lotharingia *Petrus Forerius* instituit.

§. 420. Author *Jesuitarum*, seu *Societatis Jesu* [1] fuit *Ignatius Lojola* [2], postquam ex vulnere in obsidione Pampelonensi accepto convaluit. Confirmata est hæc societas primo viva voce, a *Paulo III.* anno 1539, anno 1543. per bullam a *Julio III*, an. 1571. a *Pio V.* inter ordines mendicantium adscripta. Membra ejus præter tria vota ceteris ordinibus religiosis communia quartum de speciali obedientia Pontifici præstanda edere jubebantur [3].

1. Viri hujus ordinis ab eorum inimicis adpellari solebant *Lojolitæ*, aut ab hispanico fundatoris nomine *Inigistæ*, nam inter Hispanos eorum fundator adpellatus fuit *Don Inigo*. Quod autem ordo iste nomen *Societatis Jesu* assumpserit, inde factum fuisse a quibusdam perhibetur, quia Ignatium Christus in itinere Romam suscepto comitatus fuit; Romam enim cum *Fabro* & *Lainezio* profectus est confirmationem ordinis sui petiturus, in hoc autem itinere, ut vulgus putat ei apparuit Deus pater cum filio suo Jesu Christo, eumque Ignatio tradidit, inde proin denominatio *Jesuitarum*, seu *Societatis Jesu*.

2. Non Protestantes tantum, verum etiam Catholici, fidemque docti & rerum periti negant, tantum fuisse Lojolæ ingenii & doctrinæ, ut ipsa, quæ ab eo scripta dicuntur, scribere & ordinem, qui ab illo profectus est, construere potuerit. Contra tradunt, quosdam eximios & prudentes viros animum ejus gubernasse ac flexisse, alios ipso doctiores, quæ nomen ejus gerunt, composuisse. Plerorumque scriptorum ejus author censetur esse *Joannes a Polanco*, qui ab epistolis ejus erat. Ejus *Exercitia spiritualia* Benedictini ex libro cujusdam Hispani ord. S. Benedicti monachi, cui nomen *Cisneros*, transcripta esse dicunt, societatis autem *constitutiones* conscripsisse feruntur *Lainez* & *Salmeron* primi ex ejus sodalibus.

3. *Jesuitissas*, seu ordinis jesuitici moniales in Italia & Belgio exortas *Urbanus VIII.* an. 1630. suppressit. In bulla suppressionis inter cetera ita loquitur: *In nonnullis Italiæ, & ultramontanis partibus certæ mulieres Jesuitissarum nomine* [illegible] *sedis apostolicæ approbationem ab aliquot annis in unum* [illegible] *distinctum a ceteris habitum* [illegible] *collegiorum formam* [illegible] [illegible] *ac virginali* [illegible] *rerum* [illegible] *magna circumspectione adhibita adgrediuntur, attentare & exercere consueverunt.*

§. 421. Ob depravatam theologiam moralem Jesuitas plures

incusabant. Hos inter eminet *Blasius Paschalis*, qui in opere inscripto: *Litteræ provinciales* laxas Jesuitarum sententias recenset, illustravit illud Petrus *Nicolius* adscito Guil. *Wendrocky* nomine, quibus veritas eorum, quæ Paschalis breviter partim sine teste dixit, copiose demonstratur, latine etiam a Sam. *Rachelio* conversum extat. Immiserunt in terribilem hunc adversarium Jesuitæ locupletissima ingenia sua præter ceteros facundissimum & subtilissimum *Gabrielem Danielem* celeberrimum historiæ gallicæ scriptorem, librum etiam ejus Lutetiæ publice comburi curarunt[1].

1. Minus suavitatis, quam Paschalis, at ob testimoniorum ex probatissimis Jesuitarum scriptis multitudinem plus soliditatis habet *Perrait*, cujus opus pariter Jesuitis authoribus est combustum. Hunc unum qui legerit, is nihil eorum ignorabit, quæ vitio data sunt moralistis Jesuitarum.

§. 322. Sequentes autem præcipue in eorum morali perniciosæ reperiuntur sententiæ, 1.) *Regem, vel Principem quemvis in hæresim prolapsum etiam ante exploratam voluntatem & authoritatem Romani Pontificis, dummodo subditi comitia habere prohibiti, Jesuitarum aut aliorum theologorum consilio ad id usi fuerint, occidere non fas duntaxat, sed etiam laudabile, & meritorium est*[1], 2.) *fas esse sive in judicio, sive in casu confessionis, etiam in juramento ipso ejusmodi uti æquivocationibus, & restrictionibus pure mentalibus, quibus ad veritatem occultandam aliud mente clausum teneatur, aliud ore verbisque promatur*, 3.) *peccatum philosophicum* ab ipsis inventum, quod sic definiverant, esse actionem rectæ rationi quidem repugnantem, patratam tamen a tali homine, qui Deum aut penitus ignorat, aut eo momento, quo hanc actionem patrat, de Deo non cogitat se ad ejus existentiam reflectendo[2]. *Probabilismum* in Jesuitis merito plures reprehendunt[3], ii tamen iniqui mihi videntur, qui contendunt, probabilismum ad atheismum viam sternere, perplacet Ludovici *Fabri* præceptoris *Ludovici XIII.* Galliæ Regis judicium, qui dixerat, totam casuistarum scientiam nihil aliud esse, quam artem *cum Deo cavilandi.*

1. E pluribus unicum in hanc rem sufficiat exemplum, ac testimonium: Joannes *Mariana* Jesuita Toletanus tractatum de institutione Principum scripsit, cujus imprimendi facultas a Stephano *Ojeda* visitatore societatis data est. Libro ejus primo hanc quæstionem tractat: *An liceat Regem regitimum, puta Henricum III Regem Galliæ, postquam a paucis seditiosis, sed doctis cœperit tyrannus adpellari, occidere?* concludit ad extremum, licere, & monachum *Jacobum Clementem*, qui Hericum III occidit, ob hoc facinus laudat. Manifestissimum autem argumentum, aliquos Jesuitarum docuisse, quod Reges hæreticos aut tyrannos occidere liceat, sanctio est *Claudii Aquavivæ* præpositi generalis societatis Jesu, qua prohibuerat, ne quis deinceps publice, aut privatim doceat, *licitum esse cuicunque personæ quocunque prætextu tyrannidis Reges occidere.*

2. Peccatum philosophicum *Alexander VIII* anno 1690, alias vero laxas Jesuitarum sententias anno 1659. *Alexander VII.* damnavit. Bullas tamen has frustra in *Bullario* Pontificum quæsieris: perire vero eas vetuit Dominicanorum & Jansenistarum diligentia in custodiendis omnibus, quæ Jesuitas concernunt.

3. Quæ hic de Jesuitarum in doctrina morali erroribus dicta sunt, ita neminem oportet accipere, ac si omnes huic familiæ adscripti eos fovissent; habebat enim ordo iste plurimos viros uti doctos, ita minime malos ac ingenuos: nec magni laboris foret ex scriptis scriptorum jesuiticorum meliorem virtutem & pietatem deducere. Qui Jesuitas generatim adcusant, hæc sibi volunt: superiores ipsorum non solum tolerasse, ut ejusmodi errores a quibusdam publice sint propositi, verum etiam libros, in quibus extant, suffragiis suis munivisse.

§. 423. *Ludovicus XV.* Galliarum Rex ad exemplum Regis Lusitaniæ *Josephi* anno 1764. Jesuitas regno suo excedere jussit. *Clemens XIII.* tum sedem romanam tenens hoc fato Jesuitarum commotus, in speciali bulla, quæ incipit, *Apostolicum pascendi*, eos supra modum laudavit, & innocentes in iis, quorum incusabantur, declaravit, cui bullæ plerique Principum placitum denegarunt. Ex Hispania ejecti sunt anno 1766, at Clemens in altera bulla, quæ incipit, *Animarum saluti*, eos denuo laudavit, eorumque privilegia confirmavit, qua re Principes ita offensi sunt, ut etiam ducatu Parmensi & regno Neapolitano fuerint ejecti. *Torregiani* ausus est Duci Parmensi minari excommunicationem, qua re fere omnes Principes Catholici ita commoti sunt, ut bullam *Animarum saluti* suppresserint, domus autem Bourboniæ junctis consiliis revocationem Brevis contra Parmam, & omnimodam Jesuitarum extinctionem urserant. Clemens interim immotus in Jesuitarum defensione perstitit, ideo Rex Galliæ Avenionem, Rex Siciliæ Beneventum, & Hispania dispensationes matrimoniales sibi appropriavit, qua re camera pontificia non exigua redituum parte privabatur. Sub his turbis Clemens XIII. mortuus est.

§. 424. Successor ejus *Clemens* XIV. gesta antecessoris contra Ducem Parmensem improbavit. Primitus reformationem Jesuitarum proposuit, at cum domus Borboniæ semper magis & magis totalem eorum extinctionem urgerent, demum his votis annuens eos solemni bulla de anno 1773. die 21. Julii extinxit, atque ita omnium ordinum religiosorum potentissimus, postquam 277. annis varia fortuna usus est, penitus occidit.

MEMBRUM II.

HISTORIA ECCLESIÆ PROTESTANTICÆ.

CAPUT PRIMUM

DE

FATIS EXTERNIS.

§. 425. In pace religiosa anno 1555. inita Lutheri asseclis liberum religionis suæ exercitium quidem est permissum, at ne latius reformatio tentata se extendat, in eadem pace religiosa cautio quædam est constituta, quæ multos a separatione ab ecclesia Romana absterere apta erat. Vocatur hæc cautio *reservatum ecclesiasticum*, vi cujus Archiepiscopus, episcopus, prælatus, aut capitulum canonicorum jure dignitatis & fructibus beneficii ecclesiastici privatur, & a Catholicis ad Protestantes transit [1]. Hæc prima erat causa, quod nova post pacem religiosam gravamina in Germania sint exorta, Protestantes enim querebantur, per reservatum ecclesiasticum eorum religionem *per indirectum* ut hæreticam declarari. Huic brevi accesserat alterum, quod Protestantes ægerrime tulerant; Catholici enim minus prudenter publicis scriptis valorem pacis religiosæ impugnare cœperant, eo quod metu injuste incusso extorta sit, neque a Pontifice aut concilio Tridentino adprobata, quos inter fuit Princeps *Franciscus Burkhardus* in celebri illo libro anno 1586. exarato de *autonomia*, seu libertate conscientiæ. Porro pugnabant Catholici contra Protestantes ob confessionem Augustanam (§ 304.), hanc enim a Melancthone corruptam & immutatam fuisse, ac per id Protestantes juribus per pacem religiosam illis concessis excidisse dixerant [2], quod quidem posterius multis scriptis & disputationibus præbuit occasionem [3].

1. Matrimonium autem a persona ecclesiastica catholica initum tanquam præludium transitus ad religionem protestanticam spectabatur, hinc episcopus matrimonium iniens vi reservati ecclesiastici episcopatui suo cedere debet, id quod contigit Archiepiscopo Coloniensi *Gebhardo*; hic enim labente seculo XVI. ducta

cc;

uxore in terris suis religionis catholicæ abolitionem moliebatur, at vi reservati ecclesiastici decedere principatu & episcopatu cogebatur.

2. *Essentia* enim cujusvis religionis consistit in *determinatis dogmatibus*, quibus mutatis eadem religio esse desinit, & in aliam mutatur. Iam porro dixerant Catholici, illius religionis exercitium in pace religiosa Protestantibus est permissum, cujus dogmata exhibet confessio Augustana imperatori in comitiis oblata: at postquam dogmata hæc a Melancthone fuissent mutata, Protestantes talem exercent religionem, quæ a sua priori *essentialiter* est diversa, & hanc ob causam eos juribus per pacem religiosam adquisitis excidisse.

3. Pugnavit contra hos inter ceteros jussu *Joannis Georgii* Saxonis Electoris *Matheus Hoe* edito libro sub titulo: *Defensio fugæ evangelicæ.*

§. 426. Post certamina litteraria ventum est ad arma, belloque tricennali initium dederant *motus Bohæmici.* Siquidem sub *Rudolpho II.* anno 1609. evangelici, seu ordines *sub utraque specie* plenam religionis libertatem *litteris Majestatis* ab eodem Imperatore firmatam adepti sunt, nominati quoque eodem Rudolpho consentiente libertatis religionis tutores ac conservatores, denique inter ordines *sub utraque & una* de mutua pace tractatum fuit. Rudolpho successit *Mathias*, qui jam anno 1617. Archiduci *Ferdinando* regnum Bohœmiæ ea conditione cessit, ut ipsi ad dies vitæ dominium supremum salvum maneat. Ferdinandus a proceribus Bohœmiæ ea sub conditione Rex est designatus & declaratus, ut intra spatium quatuor hebdomadarum Bohœmis privilegia sua & speciatim litteras Majestatis a Rudolpho concessas confirmaret. Ferdinandus jurejurando hoc quidem promisisse, postea vero ab hujus juramenti vinculo nuncius apostolicus eum absolvisse fertur, imo etiam ajunt, se coram imagine lauretana voto obligasse ad stirpandos e suis terris Protestantes. Nihil sibi boni sperantes a Ferdinando Bohœmi mortuo Mathia sibi ipsi elegerant Regem repudiato Ferdinando. Licere sibi autem hoc putabant jure veteris gentis, quæ liberis suffragiis ipsa designaret Reges, non vero jura successionis adtendere consuevit. Igitur electus fuit *Fridericus* V. Elector Palatinus religioni reformatæ addictus, & Pragæ anno 1619. inauguratus.

§. 427. Ferdinandus sub initium benigne cum Friderico & Bohœmis egit; dederat litteras commonitorias ad novum Regem, ad proceres Bohœmiæ, ac ad eorum fœderatos, quibus jussit, ut ipsum Regem salutarent, sed cum hæc effectu caruissent, Electorem Bavariæ in Bohœmia omnia igne & ferro vastare jussit. Itaque Fridericus novus Bohœmiæ Rex anno 1620. a copiis cæsareis ad Pragam fusus, una cum regno, quod occupaverat, patrimonium amisit, exulque terras florentissimas una cum thesauro Bavaris & Austriacis tradere coactus, Bohœmorum vero multis vinculis, exiliis, bo-

nis, morte plexi, totaque natio ab eo tempore religionem catholicam suscipere coacta; nam litteras Majestatis extradere Bohœmi & Moravi jubebantur. Tricennalis in Germania belli hæc Friderici Palatini clades erat initium [1].

1. Germaniæ enim Principes quidam causam Palatini, quem injuste terris suis exutum esse contenderant, fœdere cum Daniæ Rege facto contra Imperatorem armis tuebantur: Electorem enim Palatinum Bohœmiam invadendo cæsaream majestatem non læsisse contenderant, sed domum tantum austriacam, cujus injurias Imperatorem pœnis in rebelles romani imperii Principes sancitis ulcisci haud oporteat.

§. 428. Præcipua autem belli tricennalis causa edictum erat *restitutionis* a Ferdinando II. anno 1629. promulgatum, quod fundamentum suum in reservato ecclesiastico habuit, jubebantur enim vi hujus edicti Protestantes bona omnia Romanæ ecclesiæ restituere, quæ post pacem religiosam seculo XVI. in ditionem suam redegissent eo quod multi personarum ecclesiasticarum, qui a tempore pacis religiosæ usque ad Ferdinandum relicta religione catholica ad Protestantes transiere, beneficia sua bonaque ecclesiastica retinuerint, quibus tamen vi reservati ecclesiastici se abdicare debuissent, & quod majus erat, Principes Protestantici plures episcopatus catholicos ad se traxerant. Verum Protestantes prætendebant, quod in reservatum ecclesiasticum nunquam consenserint, præterea oggerebant, non decere Imperatorem propria authoritate sine consensu comitiorum imperii Protestantes ad restitutionem bonorum ecclesiasticorum Catholicis ereptorum cogere. Facile est cogitatu, quales motus edictum restitutionis in provinciis Principum Protestantium excitaverit. Elector Brandeburgicus & Saxonicus palam sese opposuere, reliqui Germaniæ Principes obtemperabant, Imperator commissarios designavit, ut executionem edicti urgerent, quod adjuvit armata manu Dux copiarum cæsarearum Wallensteinius [1].

1. Jesuitæ magnam possessionum partem, quas Protestantes restituere cogebantur, sibi tanquam debitum magnorum pro religione laborum suorum præmium vindicarent, præcipuis autem hac occasione dabant operam ut quæ spectabant ad monachos S. Benedicti, monasteria monialium consequerentur, opera *Lamormaini* a confessionibus Ferdinandi II, unde vehemens inter eos & antiquos illarum Dominos concertatio est exorta (*Christ. Aug. Salig. Hist. Aug. Conf.*)

§. 429. Trepidavit hos inter motus infelix Germania, & abs dubio Ferdinandus copiis suis rem Protestantium penitus destruxisset, nisi Sueciæ Rex *Gustavus Adolphus* opibus austriacis se objecisset. Is a Gallis potissimum fortunam & potentiam austriacam metuentibus inductus anno 1629. cum pauco sed exercitatissimo milite in Germaniam migravit. Reviviscere spes Catholicorum extincta vide-

batur, quum anno 1632. Rex Gustavus in prælio ad *Lützam* (annum tum agens ætatis 38.) occumberet, verum ablato etiam hoc Rege bellum incredibili cum Germaniæ calamitate varias inter vicissitudines per multos annos est protractum, donec Imperator hostium numero fractus in pacem, quam *Christina* quoque Gustavi filia Regina Sueciæ postulaverat, consensit. Ergo 30. annis cum acerrime pugnatum esset, celeberrima pax illa, quam *Westphalicam* nominamus (quia *Monasterii* & *Osnabrugæ*, quæ Westphaliæ sunt urbes, facta est) Europam anno 1648. refecit [1].

1. Longum nimis, & a foro nostro etiam alienum foret, ea omnia, quæ in hac pace conclusa sunt, recensere, hæc enim provincia jurisconsultis est relinquenda. Itaque illud tantum hic notasse sufficiat: quod 1.) pax religiosa rursus sit confirmata, 2.) reservatum ecclesiasticum etiam ad Protestantes extensum, 3.) edictum restitutionis Ferdinandi II. sublatum, statutus annus 1624. *normalis* & *regulativus*, ut quæcunque possederint bona Protestantes die 1. Januarii an. prædicti, ea ipsis salva maneant, & ubicunque prædicto anno seu publicum seu privatum religionis suæ habuerint exercitium, retineant id etiam in posterum, denique 4.) ecclesia Protestantium una cum illa reformatorum ita in Germania jure civitatis donata est, ut jura illius cum juribus ecclesiæ catholicæ in imperio romano-germanico sint æqualia, ut quod uni justum est, alteri quoque justum sit. (Exposui hæc uberius in meo *Jur. Eccl. Tom. I. Secc. 3. pag. 277. seq. edit. secundæ.*)

§. 430. Conclusa pace magna librorum copia contra ipsius valorem prodiit [1], & pœnitere videbatur Catholicos, quod Protestantibus tantum concesserint. Et quod caput rei erat, restitutio nimirum bonorum vi pacis Protestantibus facienda protrahebatur varias nectendo moras. Verum miles Sueciæ solum Germaniæ deserere recusavit, donec restitutio executioni mandata fuerit; hac de causa præcipue factum, ut *Norimbergæ* recessus imperii de pacis executione habitus sit & subscriptus.

1. *Fabius Chigius* legatus apostolicus binas protestationes nomine *Innocentii X.* contra pacem westphalicam edidit, ipse etiam Pontifex anno 1651. Romæ bullam singularem, quæ incipit, *Zelo domus Dei* promulgavit, irritumque declaravit, quidquid contra jura sedis Romanæ est conclusum. Has Pontificis protestationes valoris pacis Westphalicæ eversivas esse quidam inscite putarunt, sed melioris notæ canonistæ utrumque conciliare norunt.

§. 431. Vi & armis cum parum profici animadverterent Catholici, mollioribus consiliis reluctantes Protestantium animos capiendos esse censuerunt. Viam vero hoc in negotio non omnes unam eamdemque ingressi sunt; alii ad disputationes publicas inter eximios utriusque partis viros confugerunt [1], alii omissis litibus de pace potius inter dissidentes ineunda consultandum esse rati sunt, ut nimirum ostendatur, doctrinam Catholicorum, si recte intelligatur, non tantum distare a doctrina Protestantium, ut ipsi falso existimant [2].

1. Anno 1601. celebres quidam Lutheranorum doctores cum tribus Jesuitis magnæ famæ Ratisbonæ authoritate *Maximiliani* Bavariæ Electoris, & *Philippi Ludovici* Palatini de norma religionis, & controversiarum in rebus fidei judice, ad quæ capita tota fere lis Protestantes inter & Catholicos revocabatur, disputarunt. Anno 1615. *Wolffangus Wilhelmus* Palatinus, qui ad sacra Catholicorum rediit, Neoburgi Jac. *Kelerum* Jesuitam cum Jac. Heilbronnero Lutherano commisit. Anno 1645. *Uladislaus* IV. Poloniæ Rex theologos nobiliores tum Catholicos tum Protestantes, & reformatos *Thorunium* Borussiæ urbem vocavit, ut de tollendis religionis controversiis amice inter se deliberarent, quod Regis consilium disputationi *colloquii charitativi* nomen peperit. Paulo post anno 1651. *Ernestus* Hassiæ Landgravius, qui ad castra Catholicorum transire jam decreverat, *Valerianum Magnum* celebrem Capucinum theologum cum Petro *Haberkornio* doctore Giessensi in arce Rheinfeldensi congredi jussit. Præter has disputationes authoritate publica susceptas habebantur quoque quædam privatæ, inter quas ceteras omnes ea nobilitate superat, quæ fuit Jo. *Claudio* theologorum reformatorum in Gallia doctissimo cum magno illo ecclesiæ gallicanæ lumine *Jac. Benig. Bossucto* episcopo Meldensi anno 1685. Horum omnium colloquiorum unus idemque erat exitus, neutra enim pars alteram convincere poterat. (*Gaspar*, *Sagittarius Introd. in Hist. Eccl. Tom. II.*)

2. Princeps eorum, qui ingeniorum suorum periculum in hoc negotio fecerunt, erat *Armandus Richelius* potentissimus ille regni Galliæ administer, qui reformatos in Gallia degentes cum Catholicis unire conatus est. Tam illustria vestigia minori authoritate, imparique gradu secuti sunt *Jac. Masenius* Jesuita Germanus, *Godofr. Volusius* theologus Moguntinus, *Math. Prætorius* Borussus, *Henricus Marcelius* Jesuita, & alii quidam obscurioris nominis. Recentiori memoria cautius nemo & majori consilio ad hanc rem tractandam accessit, quam *Bossuetus* Meldensis episcopus, cujus *expositio fidei catholicæ* eo tendit, ut doceat, brevem & facilem apertum esse Protestantibus reditum ad ecclesiam catholicam, modo veram ejus indolem & sententiam non ex doctorum suorum opinione, sed ex veritate æstimare velint. Quæ fata liber hic Bossueti habuerit, narrat *Math. Pfaffius* in Hist. Litter. Theol. Tom. 2. Notatu dignum est, novem annos elapsos fuisse, antequam librum hunc Papa confirmatione dignum judicavit, imo *Clemens X.* eum adprobare expresse rennuit.

§. 432. Publica denuo autoritate munitus venit *Cristophorus de Raxas* Thinensis in Bosnia episcopus, qui anno 1686. & sequentibus aulas Germaniæ celebriores a Romana ecclesia sejunctas adivit, spemque non modo novi liberiorisque concilii, quam Tridentinum erat, convocandi fecit, sed etiam quæcunque Protestantes flagitarent jura & beneficia liberaliter a Pontifici concessum iri confirmavit, nullus tamen hujus rei erat effectus [1].

1. Causa hujus esse videtur, quod Protestantes tum theologi, tum rerum civilium prudentes ministri fidem his promissis non habuerint, sed putaverint, insidias ipsis strui, nec tam pacem honestam ac stabilem dare, quam (ut phrasi Protestantibus consueta utar) veterem servitutem instaurare velle Pontifices.

§. 433. Monendum quoque paucis de iis, qui varias methodos Protestantes convincendi excogitarunt. *Methodistas* hos vulgo nominare solent Protestantes, omnes autem hi in duas classes commode dividuntur: prima a Protestantibus exegit, ut ea sua dogmata, quibus a Catholicis dissentiunt, dissertis verbis ex scriptura sacra deducant & demonstrent [1], altera classis censebat,

communibus locis, quæ totam causam comprehendunt & conficiunt, seu argumentis generalibus (*præjudicia* vulgo nominant) Protestantes obruendos, non membratim cum iis certandum esse. Gloria consilii hujus, si non excogitati, at perfecti tamen *Petrus Nicolius* fruitur, proponebant Protestantibus jus præscriptionis, nostram doctrinam esse antiquam, illorum novam, Lutherum hominem fuisse flagitiosum, qui nulla missione instructus reformationem adgressus est, hinc nullos in ecclesia protestantica esse episcopos, in nostra contra ecclesia seriem dari episcoporum continuam, quæ recedendo non antea terminatur, nisi in ipsis Apostolis [2].

1. In hac est *Franc. Veronius* Jesuita, *Bartholdus Nihusius*, fratres *Wallenburgici*, aliique, qui facilius esse reputantes dogmata nostra defendere contra objectiones, quam Protestantes oppugnare, probandi onus omne Protestantibus imposuerant, sibi unam respondendi, eorumque objectiones solvendi provinciam retinentes. Utebantur hi modo certandi in materia *præscriptionis* usitato, qui enim dominium alicujus rei præscribit, onus probandi ei incumbit, qui præscriptionis legitimitatem impugnat. Eodem modo hi Catholici Methodistæ ajebant, se in posessione esse, & Protestantibus onus probandi incumbere, quod dogmata nostra falsa sint. *Armandus Richelius* potentissimus ille regni Galliæ administer totam litem ad unum de *ecclesia* caput revocandam, ejusque originem divinam ac infallibilitatem manifestis rationibus supra omnes cavilationes ponendam esse suasit, quoniam posita ecclesiæ infallibilitate omnia Protestantium dogmata a nostris diversa ruunt.

2. Eminet in hac turba *Jac. Benig. Bossuetus*, qui ex inconstantia doctorum Protestantium, & frequentibus quæ dogmatibus eorum acciderunt mutationibus falsitatem ecclesiæ lutheranæ, ex perpetua vero unitate in fide veritatem ecclesiæ catholicæ demonstravit. Hoc Bossueti opus *Jacobus Basnagius* refutare est adgressus, qui, cum ei Bossuet respondisset, magnum suum opus historiæ ecclesiasticæ duobus tomis in folio comprehensum perfecit.

§. 434. Hi doctorum Catholicorum conatus non quidem eum habuere fructum, ut integer populus aut provincia sacra romana denuo susciperet, at Principes tamen quidam, nec non aliqui docti ex Protestantibus adduci se passi sunt, ut ad castra ecclesiæ romanæ redirent [1].

1. Ex principibus occurrit primo *Christina* Regina Sueciæ, quam tamen ex animi levitate, aut rationibus politicis religionem catholicam suscepisse Protestantes contendunt, & ostendere sibi sumpsit *Arckenholzius*. Hanc excipiunt *Wolfgangus Wilhelmus* comes Rheni Palatinus, *Christianus Guilielmus* Marchio Brandeburgicus, *Ernestus* Hassiæ Princeps. *Jo. Fridericus* Dux Brunsvicensis. *Fridericus Augustus* Rex Poloniæ. Ex viris ingenio & eruditione præstantibus Baro de *Boineburg* Electori Moguntino a consiliis secretioribus magnus ævi sui Mecenas. *Christ. Reinzovius* eques Holsatus, *Casp. Scioppius*, *Petrus Bertius*. *Christ. Besoldus*. *Ulric. Hunius*. *Nicol. Stenonius* medicus celeberrimus, *Jo. Ph. Pfeiferus* Regiomontanus professor, *Lucas Holstenius* cum cognato *Petro Lambecio*. *Henr. Jul. Blumius* professor Helmstadiensis, *Dan. Nessellius*, *Andr. Fromius*. *Barth. Nihusius*. *Christ.* [illegible]. *Math. Prætorius*, & alii quidam inferioris numeri ac conditionis. Horum tamen fere omnes ad sacra romana rediise partim ob res domi adversas, partim spe majoris dignitatis aut melioris fortunæ Protestantes contendunt.

§. 435. Postquam Catholici seculo XVII. sacra sua extra Europam propagare studuerint, Protestantes eorum exemplum imitari, & suam quoque ecclesiam in provinciis extra Europam sitis dilatare conati sunt. A nullo studiosius res hæc acta est, quam a Barone *Justino Ernesto de Wels* Austriaco, qui societatem a nomine Jesu adpellatam ea de causa colligere constituit. Sed quo minus ultra vota & consilia negotium progrederetur, tum aliæ causæ impedivere, tum maxime Principum Protestanticorum rationes, quorum pauci provincias & castella extra Europam possident.

§. 436. Illi Salisburgensium, qui seculo XVII. ad sacra Protestantium transiere, primitus ejus exercitium in occulto peregerant, sed cum detecti sunt, & variis propterea malis affecti, ad corpus evangelicum Ratisbonense confugerant, & intercedentibus Electoribus Saxonico & Brandeburgico ab Archiepiscopo suo *Max. Gandolfo* emigrandi licentiam obtinuerant, hinc annis 1684., 1685. & 1686. aliquot millia solum patrium migrarunt [1] retentis tamen violenter eorum & bonis, & prolibus.

1. Dux horum præcipuus erat Josephus *Schaitberger*, qui plerisque author erat, ut romana sacra abjecerint, & solum patrium mutaverint.

§. 437. Ceteri Protestantes, qui Salisburgi remanserant, sub Archiepiscopo *Harrach* Gandolphi successore utcunque quieti erant, satius enim hic esse putabat eos tolerare, quam provinciam suam incolis exhaurire, verum longe alia successori ejus *Leop. Ant. de Firmian* mens fuerat: is enim immoderato & spurio religionis zelo abreptus in occultos Protestantes inquiri, & ad religionem catholicam adigi jussit, hinc multi in carcere misere perierant, multi etiam metu pœnarum ad ecclesiam romanam saltem oretenus & externe redierant. Inde vero magni motus Salisburgi anno 1729. excitati, pressi nimirum Protestantes ad corpus evangelicum Ratisbonense denuo confugerant petentes, ut ipsis ab Archiepiscopo licentiam emigrandi in pace Westphalica fundatam impetret. Corpus evangelicum & præprimis legatus Regis Borussiæ causam horum hominum in se susceperat, eamque anno 1730. Archiepiscopo proposuit, verum ille ea de re magis commotus majoribus ac antea malis subditos suos protestanticos affecit, in vincula enim qua cives rebelles eo conjici jussit, & ad rebelionem sedandam militem austriacum in provinciam salisburgensem descendere curavit, corpus contra evangelium tum apud Imperatorem, tum Archiepiscopum serio pro emigrandi licentia intercessit. Tandem anno 1731. media hyeme 800. emigrarunt, quibus successive plures se adjunxerant, quum vero *terminus* emigra-

tionis ipsis destinatus corpori evangelico arctus nimis videbatur, eo res devenit, ut aliqui Principes protestantici repressaliis cum suis subditis Catholicis uterentur [1].

1. Incusant Archiepiscopum Salisburgensem Protestantes, eum motus hos salisburgicos typis divulgari, ac emigrantes qua cives seditiosos describi jussisse, qui Christum adorare recusant, proin ut tales, quibus pax religiosa & Westphalica nihil prodest.

§. 438. Cum jam in dies magis Protestantes salisburgenses premerentur, causam eorum præter corpus evangelicum etiam legatus Bataviæ, Rex Daniæ & Sueciæ, præprimis vero Rex Borussiæ suam fecerant, Rex enim *Fridericus Wilhelmus* declaravit, se paratum esse emigrantes in suum territorium recipiendi, Ratisbonæ etiam *cassa emigrantium* erecta, atque ita Protestantes salisburgenses per varias imperii civitates, Hanoveranam, Bataviam, imo & quidam per Americam, plerique vero per Borussiam dispersi sunt.

§. 439. Anno 1732. etiam in præpositura Berchtolsgadensi occulti Protestantes innotuerant, quorum cum non meliora quam Salisburgensium fuerint fata, magna quoque copia emigravit, suamque sedem præcipue in Lithuania fixit. Emigrantes, qui successive in Borussiam ex provincia salisburgensi & berchtolsgadensi venerant, numerabantur 15500., & Regis opera factum, ut bona eorum in patria relicta venderentur, ex quorum venditione 500000. florenos adquisiverant (Hæc fusius legi possunt in *la historia completa de la emigracion por Gerardo Gotl. Focking*) [1].

1. Ex viris litteratis & eruditione conspicuis, qui seculo præsenti relicta Romana ecclesia ad Protestantes transierant, notissimi sunt Hiacynthus de *Quiros* Gregorius *Rothfischer*, & Frid. Ambros. *Fidler*. Primus natione erat Hispanus, professione Dominicanus, doctor romanus, factus inter reformatos professor *Lausannæ* in Helvetia, & mortuus anno 1756. Cœpit, sed non perfecit opus, quo ostendere conabatur, sacra & dogmata Catholicorum civitati esse noxia, quod quidem sæpius a Protestantibus nobis objectum fuit, nec objiceretur immerito, si cordatus Catholicus nesciret, superstitiones successive inventas partem religionis nostræ minime constituere. Rothfischerus natione Germanus, theologiæ professor in monasterio Benedictinorum S. Emerani Ratisbonæ accuratissimus erat philosophus & theologus. Exprobrabant ei superiores monastici suam in philosophiam Wolfianam propensionem, historiam ecclesiasticam, cujus amantissimus erat, docere suos a superioribus prohibebatur. Vocatus professor philosophiæ Helmstadium mense Martio 1752. illuc advenit, anno vero 1755. ætatis suæ 34. obiit. Fidlerus Augustinianus erat Viennæ in Austria, relictis sacris romanis inter Protestantes factus professor theologiæ *Bacephaliæ*, & post Ducis Mechlenburgensis consiliarius consistorialis.

CAPUT SECUNDUM.

DE

FATIS INTERNIS.

§. 440. Mortuo Luthero Phil. Melancthon caput ecclesiæ protestanticæ factus est. Erat Melancthon pacis & tranquillitatis amans, ac prorsus etiam concordiam cum ecclesia romana instaurare pronus, qua de causa nonnullis in rebus a Luthero dissensit [1]. Non quidem eo vivente propensionem ad concordiam prorsus dissimulavit, at modeste tamen & caute proposuit, verum Luthero mortuo, quæ timide antea docuerat, multo liberius & clarius protulit, quod tandem effecerat, ut ecclesia Protestantium post Lutheri mortem multarum turbarum & disputationum scena fuerit.

1. Namque 1.) putabat, pacis causa multa concedi & fieri posse in ecclesia romana, quæ Lutherus nullo modo toleranda esse arbitrabatur, imo veterem ecclesiæ gubernationem, ipsamque romani Pontificis jurisdictionem retineri posse a Protestantibus non dubitavit, 2.) quasdam sententias Lutheri, verbi causa, *solam* fidem justificare, bona opera ad salutem non esse necessaria &c. paululum mitigari posse existimavit, 3.) Lutheri & Zwinglii dissidium circa realem corporis Christi in eucharistia præsentiam non tanti esse momenti censebat, sed satis concordiæ consultum fore, si dogma de eucharistia ejusmodi verbis æquivocis exponeretur, ut ea utraque pars in suam sensum interpretari posset.

§. 441. Incidit dissidii interni in ecclesia protestantica initium anno 1548. propter constitutionem *interim*, Mauritius enim Saxoniæ Elector theologos suos (quorum princeps Melancthon erat) consultare jussit, num constitutio hæc recipienda sit? Melancthone duce hi deciderant, recipi eam posse quoad *adiaphora* seu indiferentia ad religionis essentiam haud spectantia. Jam porro inter hæc adiaphora Melancthon multa retulit, quæ Luthero ad religionis essentiam pertinere videbantur [1], inde vero gravissimum illud bellum, quod *Adiaphoristicum* nominatur, in ecclesia protestantica est exortum, & per plures annos protractum [2].

1. In exemplo: Melancthon inter adiaphora retulit dogma de justitia per solam fidem consequenda, necessitatem bonorum operum ad salutem, numerum sacramentorum, ceremonias plures ecclesiæ Romanæ, quæ Luthero superstitiosæ videbantur, dies quosdam festos, Pontificis imperium, aliaque.

2. Ex parte Melancthonis erant theologi Witembergenses & Lipsienses (qui Lu-

DD:

therani *moderatiores*, seu etiam *Philippistæ* ab eorum duce Philippo Melancthone nominabantur,) antiquæ vero doctrinæ lutheranæ defensorum caput erat *Math. Flacius*, qui cum sociis suis, uti in prolegomenis dictum, *centurias Magdeburgenses* exaravit, & illius asseclis nomen Lutheranorum *rigidiorum* datum.

§. 442. Adiaphoristicum hoc certamen fœcunda mater erat litium aliarum, nam primum ob id lis exorta est cum *Georgio Majore* theologo Witembergensi de bonorum operum necessitate ad salutem. Consensit dudum Melancthon, & in consultatione illa de constitutione interim cum suis sociis professus est, salva veritate doceri posse, *opera bona ad salutem esse necessaria*, quod cum rigidioris Lutherani reprehenderent, *Georgius Major* singulari libro anno 1552. pro necessitate bonorum operum pugnavit. Hinc acris iterum inter rigidiores & molliores Lutheranos concertatio, in qua *Nic. Amsdorfius* partes rigidiorum secutus eo disputandi fervore prolapsus est, ut etiam defenderet, *bona opera perniciosa esse ad salutem*, per quam imprudentiam materia litis aucta est. Hæc disputatio per *formulam concordiæ* terminata.

§ 443. Hos inter motus *Jenæ* academia est aperta & erecta, quam scholam cum Lutherani rigidiores sedem genuinæ doctrinæ Lutheri esse voluerunt, tales doctores theologi in eam vocati sunt, qui tenaces erant doctrinæ Lutheri. Cumque hoc in genere nullus esse celebrior *Math. Flacio* Philippi Melancthonis & omnium Philippistarum adversario vehementissimo, is anno 1557. Jenæ professor theologiæ constitutus est. Hic autem non tantum veteres lites fovit, sed etiam novas concitavit, quas inter præcipuæ erant cum collega suo *Victore Strigelio* [1], unde lites *synergisticæ* natæ sunt.

1. Invasit Strigelium Melancthonis discipulum & amicum, eo quod multa ex præscripto Melancthonis docuisset, quem tanto successu apud Ducem Saxoniæ adcusavit, ut jussu Principum duriori custodiæ traditus sit. Fuit autem concertatio Flacium inter & Strigelium de viribus hominis naturalibus ad bene agendum, qua in lite Flacius in tam deformem degeneravit sententiam, ut eum ipsi quoque ejus amici eam ob causam reprehenderint. Eo in colloquio anno 1560. *Vinariæ* habito Strigelius, qui vires hominis naturales ad bene operandum exagerare videbatur, philosophiæ non imperitus, quo Flacium in angustias cogeret, ex eo quærebat, num peccatum originale, seu illa ad malum proclivitas ad *Substantiarum*, vel *accidentium* genus pertineret? Flacius imprudenter respondit ad *substantiarum*, atque deinde ad finem usque vitæ portentosam hanc sententiam, peccatum originis ipsam esse hominis substantiam tanto fervore tantaque pertinacia defendit, ut omnia commoda & honores quam errorem hunc dimittere mallet. Qui cum Strigelio vires libertatis nimis exagerare videbantur, *synergistæ* dicti sunt.

§. 444. *Andreas Osiander* in marchionatu Brandeburgico natus relicta propter constitutionem *interim* Norimberga in Borussiam migrans sub Alberto Duce litem in ecclesia protestantica excitavit, negando nos justificari fide, sed eamdem essentiali

justitia, qua Deus justus est. Impugnavit Melancthon ejusque collegæ hanc sententiam, impugnavit eam quoque Franc. *Stancarus* linguæ hebrææ Regiomontanus professor, at in oppositum incidit errorem; nam juxta Osiandrum Christus ut Deus tantum generis humani peccata expiavit, Stancarus contra divinam Christi naturam a redemptione & satisfactione exclusit, & munus redemptionis ad solam naturam humanam pertinere disputavit.

§. 445. Hæ lites vivente Melancthone exortæ sunt, neque ad eas terminandas a Protestantibus quid cum fructu suscipi poterat, mortuo vero anno 1560. Melancthone de iis componendis certius & securius agere cœperant. Hunc in finem *Augustus* Elector Saxoniæ & Jo. *Guilielmus* Dux Vinariensis anno 1568. præstantiores utriusque partis theologos convenire jussit Altenburgi, ut controversiæ amicabiliter componi possent; verum æstus disputantium & aliæ rationes impedimento erant, quo minus fructuosum hoc esset *colloquium*, aliam igitur rationem restituendæ concordiæ inire placuit. Nempe utilissimum videbatur, *formulam* quamdam seu libellum a theologis confici, in quo omnes istæ lites dirimerentur, eamdemque formulam, postquam ab omnibus Principibus & cœtibus Lutheranis esset probata libris *symbolicis* ecclesiæ protestanticæ adjici [1].

1. Magno huic & difficili negotio authoritate Ducis Witembergensis admotus est *Jacobus Andreæ* theologus Tübingensis suo tempore longe celeberrimus, hinc varia per Germaniam itinera obivit, ac cum aularum ministris theologisque de formula ista prudenter adornanda, ut omnium suffragia sperare posset, consultavit.

§. 446. Maturare hanc concordiam per id voluerunt *Gasparus Peucerus* Melancthonis gener, medicus & professor physices Witembergensis, ceterique tam Witembergenses ac Lipsienses theologi Melancthonis discipuli (freti amicitia virorum primi ordinis in aula Saxoniæ, præcipue vero *Georgii Cracovii* cancellarii Dresdensis) quod abrogato Lutheri de reali corporis Christi in eucharistia præsentia dogmate in ejus locum calvinianam de S. cœna sententiam ab anno 1570. substituere per varias clandestinas artes tentaverint. Hunc in finem anno 1571. libro germanico, quem *stereoma* nominarunt, aliisque deinde scriptis dissensum suum in dogmate de eucharistia & persona Christi aperte testati sunt, atque ut facilius optata exequerentur, novum catechismum dogmati calviniano faventem, quem *Pezelius* composuit, in scholas introduxerunt. Motibus hinc in ecclesia protestantica & disputationibus exortis *Augustus* Saxoniæ Elector theologos suos Dresdæ convenire an. 1571, at-

que sententiam suam de eucharistia profiteri jussit. Fecerant hoc illi, verum subdole: domum reversi consilium quod cœperant, studiose persecuti sunt docendo, scribendo, aliisque modis vetus Saxonum de eucharistia dogma extinguere conantes. Quam rem cum plene Augustus Elector plurimis testibus cognovisset, anno 1574. *Torgæ* celebri conventu indicto alios ex his occultis Calvinistis in custodiam tradidit, aut in exilium misit, alios sententiam mutare coegit [1]. Socii Peuceri a Protestantibus dicuntur *Crypto-calvinistæ* (id est calvinistæ *occulti a* Κρυπτὸς *occultus*).

1. In neminem acrius animadvertit, quam in Peucerum, cujus primæ hac in re partes erant. Is enim diuturno & duro carcere ad ann. usque 1585. detentus fuit, quo precibus Anhaltini Principis, cujus filiam Augustus duxerat, liberatus Servestam migravit.

§. 447. Disturbatus Crypto-calvinistarum consiliis Augustus Princeps Elector, quique cum eo senserant, negotium formulæ concordiæ acrius & diligentius promoverant. Post varias igitur consultationes anno 1576. Jac. Andreæ potissimum in conventu multorum theologorum Torgæ ab Augusto convocato libellum composuit ad pacandam ecclesiam protestanticam adcomodatum, qui a loco *liber Torgensis* vulgo nominatus est. Eo libello a plerisque theologis Lutheranis ponderato & illustrato *Bergæ*, quod vetus est juxta Magdeburgum ordinis Benedictini collegium a delectis quibusdam theologis res iterum in deliberationem vocata, omnibusque consideratis, quæ varie a variis monita erant, formula concordiæ notissima est perfecta [1].

1. Adjutores habuit Jacobus Andreæ Bergæ præcipuos *Mart. Chemnitium*, & *Nic. Selneuerum* thœlogos inter Luheranos maximi nominis.

§. 448. Controversia seculo XVII. in ecclesia Protestantium exortæ haud incommode in *majores* & *minores* dividi possunt, quarum illæ totam concernebant ecclesiam protestanticam, non item hæ. In minoribus primo occurrit illa, quæ Tübingenses & Giessenses theologos ab anno 1616. disjunxit. Quærebatur maxime de vera indole & ratione status illius, quem *exinanitionis* vulgo nominare solent. Consenserant disputantes, Christum hominem divinas proprietates per *unionem hypostaticam* acceptas in statu etiam exinanitionis possedisse, dubitabant vero, utrum in eo statu usu harum proprietatum se abdicaverit? an vero usum earumdem oculis hominum subduxerit? Hoc Tübingenses, illud Giessenses propugnarunt [1].

1, Accessit ad primariam hanc quæstionem alia subtilis magis quam utilis, nimirum de Dei omnipræsentia, id est, de *modo*, quo Deus rebus creatis præsens est.

§. 449. *Martinus Seidelius* Ohlaviensis-Silesius sub exitum seculi XVII. sectam in Polonia & vicinis regionibus quæsivit quidem, sed non invenit. Existimavit nimirum homo hic audax, Messiam quidem a Deo populo judaico promissum fuisse, illum vero nondum venisse, nec unquam venturum esse, quia Judæorum populus peccatis suis indignum se tanto vindice reddidisset: Christum igitur male pro Messia haberi, ejusque officium unice contineri in uberiori declaratione & explicatione juris naturalis, quod culpa hominum valde obscuratum est. Huic igitur legi naturali a Christo declaratæ qui obedit, eum omnia religionis a Deo præscriptæ officia implere. His portentis quo præsidium & speciem veritatis compararet, omnis novi testamenti libros rejecit. Pauci, quibus vera esse quæ docuerat, persuasit dicti sunt *Semi-judæi*, quia cum iis consenserant, Messiam nondum venisse, & in eo discreparunt, illum nunquam venturum [1].

1. Habebant Lutherani hoc seculo quosdam in sua ecclesia, qui se prophetas a Deo excitatos, & futura prædicendi facultate præditos gloriati sunt. Extiterant hi illis præsertim temporibus, quibus Austriaci cum Germanis, Suecis & Gallis de principatu dimicarunt: usu scilicet diuturno compertum est, nunquam majorem copiam Prophetarum excitari, quam cum magnæ rerum conversiones imminere videntur, aut repentinæ calamitates nascuntur. Notiores ex his sunt *Nicol. Drabicius*, *Christoph. Kotterus*, *Joach. Greulich*, *Georg. Reicharaus*, *Eva Maria Frölich*, *Anna Vetteria*, cum aliis quibusdam, nullus tamen horum insignium turbarum causa extitit, & ipse rerum eventus brevi eorum oracula authoritate omni exuit.

§. 450. Controversiæ majores duæ sunt, quæ maximam partem seculi XVII. absumunt: *syncretisticæ*, quæ & a loco, unde profectæ *Helmstadienses*, & ab eo, qui primas in illis partes egit, *Calixtinæ* vocantur, & *Pietisticæ*, quas *Halenses* aliqui ab academia, cum qua gestæ sunt, adpellant. Caput omnium, quæ tam odiose Calixto a Lutheranis quibusdam exprobata sunt, studium ejus erat, tres nobiliores in Europa Christianorum ecclesias catholicam, protestanticam, & reformatam in unum corpus cogendi [1]. Istam vero quam meditabatur concordiam, ut persuaderet, duo ipsi sumere necesse erat: primum fundamenta religionis christianæ, seu illa principia generalia, ex quibus reliquæ manant veritates, in omnibus tribus Christianorum familiis salvas & incolumes esse, hæc autem fundamenta ajebat contineri in *symbolo apostolorum*, alterum, quæ unanimi consensu Patrum primorum quinque seculorum nituntur, ea æque vera esse, ac si in ipsa sacra scriptura legerentur.

1. Negat tamen *Moshemius*, Calixto mentem fuisse in unum corpus has tres ecclesias cogendi, sed solummodo eum studisse a mutuis odiis eas ad amorem & tolerantiam revocandi.

§. 451. Certamina syncretistica exceperunt & simul extinxerunt controversiæ *pietisticæ*. Excitavit primus hos motus *Jacobus Spenerus*, dum privatos instituit Francofurti conventus populi ad sanctimoniam cohortandi & formandi causa, & singulari deinceps libello exponeret *pia sua desideria*, ut ipse vocavit, seu morbos Ecclesiæ lutheranæ & remedia eorum. In duplicem vero classem hi pietatis restauratores se diviserant: alii sic ei succurrere voluerunt, ut integram simul religionem lutheranam libris symbolicis comprehensam tum disciplinam & gubernationis formam servarent, alii vero florere pietatem nullo modo posse judicabant, nisi & recepta dogmata immutarentur, & nova disciplina induceretur [1].

1. Materia harum litium multiplex erat. Nimirum qui pietati promovendæ studuerant, in ea primum erant sententia, nihil magis ejus incremento obsistere, quam illos ipsos, quibus pietatis cura credita est, doctores nimirum & sacrorum ministros, ex quo jam duo deduxerant, corolaria: primo scholas theologicas emendandas esse, mixturam nimirum theologiæ cum philosophia aliisque profanis eruditionibus tollendam & simplicem ex sola sacra scriptura religionis christianæ notitiam instillandam. De hac sententia cum nonnulli eorum non satis determinate disputarent, oborta multis est suspicio, philosophiam & reliquas litteras prorsus ab his pietatis patronis contemni, theologiam vero in rudi quadam & vaga de moribus officiisque declamandi facultate collocari. Hinc lites illæ de pretio philosophiæ & scientiarum profanarum in re sacra, de dignitate & utilitate theologiæ, qua *systematica* dicitur, 2.) sollicite elaborandum esse præceperant, ut futuri religionis ministri viva pietatis exempla fierent, unde scitum illud manavit: *nemo pietatis magister & dux salutis esse aliis potest, nisi prius ipse Deo sit amicus.* Per hoc dogma multi verbi divini virtuti, quæ hominum vitiis infirmari nequit, derogari, tum ad Donatistarum errores viam sterni putabant. quocirca longæ quæstiones agitari cœperunt, num scientia rerum divinarum, quæ est in homine improbo dici *theologia* queat? quatenus impii doctoris munus salutare & efficax sit? num illuminatio in hominem cadat malum & a Deo aversum? & similes.

§. 452. Iidem pietatis collapsæ restauratores, quo citius innatam pravitatem fortius oppugnarent, necessarium duxerant, ut usitatæ quædam formulæ, quæ hominum libidini & concupiscentiæ favere videbantur, ex libris symbolicis tollantur, cujusmodi sunt: bona opera non esse ad salutem necessaria, hominem per solam fidem justificari, perfectionem, quam lex divina poscit, neminem in hac vita assequi posse. Optabant quoque Pietistæ, ut præter publicos ad Deum colendum conventus, privati etiam frequenter precum & aliarum piarum exercitationum causa agerentur, quos *pietatis collegia* vocabant. Pariter ut actiones quædam, quæ de se quidem non sunt prohibitæ, attamen occasio vitiorum esse possunt, ex innocentium in se, seu indifferentium actionum classe eximerentur, & in

malis seu prohibitis ponerentur, uti verbi causa, saltationes, mimi, joci, ludi, fabulæ scenicæ &c. [1].

1. Nimis vero rigidam multi censebant hanc esse vitæ disciplinam, unde illa veterum scholarum dimicatio in medium reducebatur, utrum dentur actiones indifferentes de se nec bonæ nec malæ. Maximum vero suorum odium Pietistis illud accersebat, quod non tantum regnum in terris Christi millenarium, & universalem Judæorum conversionem expectaverint, sed etiam adfirmare ausi sint, ecclesiam protestanticam adeo esse corruptam, ut nova indigeat reformatione, omnesque libri eorum symbolici abrogari debeant.

§. 453. Controversiæ seculo XVIII. inter Protestantes exortæ denuo in *majores* & *minores* dividi possunt. Prioris generis duæ sunt, de philosophia nimirum *Wolfii*, & *Apocatastasi*, seu æternitate pœnarum infernalium. Philosophia Wolfiana non paucos invenit adversarios, cum theologi quidam putaverint, per eam fundamenta religionis concuti: incusabant nimirum Wolfium 1.) quod principio rationis sufficientis, quod pro veritatum contingentium principio posuit, evertatur liberum arbitrium, 2.) eamdem libertatem everti per harmoniam præstabilitam [1], 3.) per mundum optimum, quem Wolfius defenderat cum *Leibnizio* [2], Deum poni authorem peccati, 4.) eum varia argumenta ad Dei existentiam demonstrandam impugnasse, & sarcastice traduxisse, nec definitiones perfectionum divinarum conformiter ad mentem scripturæ dedisse, 5.) ejus theoremata & demonstrationes de fato, mundique æternitate suspectas esse, 6.) perniciosa principia in morali sua tradidisse. Ad extremum progressi quidam adeo inepti erant, ut non dubitaverint asserere, Wolfianam metaphysicam ad atheismum viam aperire.

1. Systema *harmoniæ præstabilitæ*, quod ad explicandum commercium animam inter & corpus adhibuit, his nititur principiis: 1.) quoties in organis sensoriis & corporis membris contingit mutatio, toties anima vi sibi congenita sine corporis adminiculo perceptionem producit, idque ita, ut quæ producitur perceptio, ex aliis antecedentibus perceptionibus serie nexuque continuo resultet, 2.) motus corporis nec ab anima, nec a Deo producitur, sed oriuntur ex structura & vi motrice corporis, ac motibus præcedentibus, 3.) quod autem tum in motibus, tum in sensionibus tam arctus animam inter & corpus consensus adsit, id a quadam Dei præordinatione, ac sapienti præstabilitione derivandum esse.

2. Ut intelligas, a quibus primordiis ducta sit controversia de *mundo optimo*, brevissime rem, ut gesta est enarrare juvat. Leibnitius impeditam illam ac difficilem quæstionem de origine mali *enodatius* expositurus, & *Baylium*, qui contortis quibusdam & minutis conclusiunculis effici voluit, originem mali ad Deum quemdam malum esse referendam, confutaturus suam de mundo optimo opinionem in lucem protulit, malumque propterea, quod hic mundus, in quo inest malum, sit optimus, ab eo negabat sejungi posse, ut adeo videas, quæstionis de mundo optimo stirpem quæri debere in altera quæstione de *origine mali*. Petrus *Baylius* in explicanda mali origine tot tantasque difficultates occurrere putavit, ut vix expediri eas posse crederet. Rationem, ac revelationem adversis velut frontibus inter se pugnare putabat, atque ob

intestinam quamdam discordiam inter utramque reperiri quod vel ex eo lucide adparere ajebat, quia ratio talia adfert dubia contra ea, quæ de peccato originis in sacra scriptura præcipiuntur, ut ex iis se expediendi nulla detur via, rationem vero negabat perspicere, quomodo fieri possit, ut Deus sit bonus, sapiens, & sine macula, si condit hominem mox peccaturum, si malorum plenus sit mundus. Leibnitius in eo omnes ingenii nervos intenderat, ut Bailii nodos dissolveret. Borussorum Regina *Sophia Carolina* Leibnitium identidem rogavit, ut scrupulos, quos Bailii operum scriptorum lectione sibi senserat injectos, eximeret, Bailiumque confutaret. Leibnitius ergo Reginæ obsecuturus precibus in lucem protulit sermone gallico meditationes illas, quæ *Theodicææ* nomen præseferunt. In hoc libro novam Bailianas difficultates solvendi init rationem, qua Dei bonitatem vindicari optime, malique originem planissime posse explicari vir eruditissimus est arbitratus. De Theodicææ Leibnitianæ argumento sic habeto: *Deus est intelligentissimus, sapientissimus, sanctissimus, atque adeo non potuit non eligere id, quod est* optimum, *sive quod est* melius. *Cum ergo Deus hunc potissimum mundum præ pluribus aliis elegerit, omnesque omnino, qui existere poterant, mundos ab omni æternitate distinctissime perspexerit, consequens est, ut hic mundus, quem Deus ceteris prætulit, & in quo malum futurum adcuratissime prævidit, sit optimus.*

§. 454. Primus, qui se Wolfianæ philosophiæ opposuit, erat *Dan. Strahlerus*, vir quoad doctrinam Wolfio longe inferior, hic tamen levis armaturæ miles jussu Regis ex arena descendere coactus. Anno vero 1723. facultas theologica Halensis Regi Friderico Wilhelmo animadversiones *Langii* in metaphysicam Wolfianam exhibuit, simulque supplicavit, ne liceret Wolfio in collegiis philosophicis versari. Constantes & repetitæ querelæ theologorum Halensium Regem tandem permoverant, ut severo edicto Wolfium intra 24. horas Halla, & intra trium dierum spatium territorio regio emigrare jusserit. Venit ergo philosopus exul Casselium, ubi summis honoribus exceptus, & primo professor Marpurgensis, dein Hesso-Casselanus consiliarius aulicus designatus est.

§. 455. At scena mox mutata; nam Rex doctrinam Wolfii denuo viris doctis examinandam commisit, quod negotium impositum *Reinbekio*, *Noltenio*, & *Jablonskio*. Horum judicio Wolfius absolutus, & a Rege ipso anno 1733. & 1739. Hallam ut rediret invitatus est, verum vocationem hanc sequi formidabat, insidias sub ea latere metuens. Tandem anno 1740. a Rege Borussiæ *Friderico* II. revocatus est, qui illum vice-cancellarium academiæ Hallensis, consiliarium a secretis, professorem matheseos, juris naturalis ac gentium, & anno 1743. universitatis cancellarium, Elector vero Bavariæ vacante imperio, qua imperii vicarius liberum S. R. I. Baronem creavit. Obiit vir magnus plenus in rempublicam litterariam meritis anno 1754.

§. 456. Post hanc controversiam gravitate sua se distinguit altera de *Apocatastasi*. Nam pridem inter theologos quidam inventi sunt, qui putabant, bonitatem Dei cum æternitate pœnarum

componi non posse, inde docuerant, damnatos & dæmones longa annorum serie elapsa ad amicitiam Dei redituros. Hæc tanta fiducia quidam adfirmarunt, ut annorum etiam numerum determinandum sibi sumpserint, per quos miser damnatorum status adhuc durabit. Hujus rei ænigma quærebant in annis remissionis veteris testamenti. Elapsis sex millibus annorum ajebant secuturum annum remissionis, hinc elapsis septem remissionis annis omnes dæmones & damnatos ab interno liberandos esse [1].

1. Primam huic controversiæ ansam dedit uxor pastoris *Petersen*, qui uxoris suæ librum (suppresso tamen ejus nomine) cum titulo: *æternum evangelium universalis apocatastaseos omnium creaturarum* anno 1699. evulgavit, quam doctrinam a quadam *Joanna Leade* mutuavit. Cum vero multi huic operi contradixerint, eo quod doctrina in eo contenta repugnet illorum libris symbolicis, Petersen uxorem suam defendere suscepit vasto opere, quod inscripsit *mysterium apocatastaseos*, nec asseclæ ei defuerunt. Idem Petersen regnum Christi millenarium in terris cum Chiliastis expectavit.

§. 457. Ad controversias minores pertinet lis de natura matrimonii, & de statu animæ post hanc vitam. Jo. Sam. Strykius matrimonium rem mere civilem esse contenderat, omniaque quæ theologi Protestantes de matrimonio docent, reliquias esse religionis pontificiæ. Alius jurisconsultus *Dantisci* propugnavit, polygamiam lege divina positiva non esse vetitam. Etiam de impedimento affinitatis, de valore matrimonii cum sorore defunctæ uxoris inito disputabatur (in Borussia tamen lites hæ pridem cessarunt, ex quo Rex *Fridericus* II. impedimenta adfinitatis sustulit.) De statu animæ mota est quæstio, an illius immortalitas ex sola ratione naturali demonstrari queat? *Majerus* negabat, eam semota revelatione evinci posse, & ita clasicum cecinit, ut ingens argumentorum copia ad eam demonstrandam sit inventa. Ex appetitu infinito multi sua argumenta deduxerant, quæ tamen *Moshemius* in sua morali ut infirma impugnavit.

MEMBRUM III.

HISTORIA ECCLESIÆ REFORMATÆ.

CAPUT PRIMUM

DE

FATIS EXTERNIS.

§. 458. Ecclesia, quæ ipsa *reformata*, aut *evangelico-reformata* vocari vult, olim ab adversariis *zwingliana*, aut vero *calviniana* dicta fuit, nunc a multis *calviniano-reformata* adpellatur. Primus ejus conditor erat *Udalricus Zwinglius*, qui in variis punctis, præcipue vero de præsentia corporis Christi secus ac Lutherus senserat. In Helvetia omnes illi, qui se a romana ecclesia separarunt, Zwinglii placita sunt amplexi, ita paulatim prima illa ecclesia reformata, quæ Zwinglium parentem colit, mediocris tamen, nec late patens coaluit [1].

1. Vestigia Zwinglii in sententia de eucharistia *Jo. Œcolampadius* Basileensis theologus pressit. Utrumque Lutherus ejusque asseclæ vehementer oppugnarunt. at Zwinglius cum vix novam ecclesiam suam composuisset, in prælio Tigurinorum cum Helvetiis Catholicis religionis defensoribus occubuit, in quod quidem bellum, ut ajunt, non pugnandi causa, sed milites exhortandi & consolandi, armatus licet more gentis suæ, profectus erat.

§. 459. Post mortem Zwinglii quidam concordiæ amantes, maxime *Martinus Bucerus* omnem adhibuerunt conatum utriusque partis tam Lutheri, tam Zwinglii de eucharistia sententiam æquivocis verbis & expressionibus involvere, & qualemcunque concordiam sancire. In Helvetia ex his Buceri consiliis motus quidam sunt consecuti, alii enim Zwinglii sententiam dimittere noluerunt, alii vero Buceri temperatas formulas sunt amplexi.

§. 460. Mors Lutheri ad pacem inter Protestantes & Zwinglianos expectandam animos iterum erexit; nam Melanchon cum amicis & discipulis tam cupide eos sociari exoptavit, ut ne simula-

tam quidem concordiam fugeret, & ejus obtinendæ causa in varias se formas verteret. Ex altera parte *Jo. Calvinus* Noviodunensis Gallus, amicus Melancthonis duram Zwinglii sententiam temperavit, atque ab Helvetis Tigurinis maxime, quos inter summa valuit authoritate, impetrare studuit, ut sibi adsentirent, sed irriti tum Melancthonis tum Calvini erant conatus concordiam restituendi [1].

1. Melancthon siquidem non tantum sibi fisus est, ut hoc negotium sperte tentaret, Calvinus vero etsi circa eucharistiam consensum perficere studuerit, novam docere cœpit sententiam, quæ graviores excitavit lites. Adfirmavit nimirum Calvinus, Deum quosdam ante prævisa demerita ad interitum prædestinare, quæ sententia plus adhuc divisit Protestantes a Zwinglianis, quam dissensio de eucharistia.

§. 461. Hæc de causis, quæ reformatos a Lutheranis sejunxerant. Fata ipsa ecclesiæ reformatæ quod adtinet, considerari debet tempus, quo Zwinglius cœtum a Romana ecclesia separatum construere cœpit, ad illud usque, quo Calvinus Genevæ consedit, & summam inter reformatos authoritatem est nactus. Priori temporis spatio non late patebat ecclesia, quæ *reformatæ* sibi nomen postea exemplo vicinorum Gallorum, qui se hoc vocabulo a Catholicis distinguebant, sumpsit, & unius ferme Helvetiæ finibus continebatur, atque hos inter exiguos fines forte constitisset ecclesia Zwinglii studio collecta, nisi Calvinus ortus fuisset.

§. 462. Prima hac reformatæ ecclesiæ ætate nihil eam & protestanticam ecclesiam dissociavit, quam controversia de reali Christi præsentia in eucharistia, ex qua nata est altera de *persona Christi* [1], quam suam tamen tota ecclesia lutherana haud fecit. In dogmate vero de eucharistia Helveti hoc temporis intervallo Zwinglii sententiam in universum sequebantur, quæ a Calvini distat opinione [2].

1. Suevorum enim theologi cum Helvetis disputantes, cum ex dogmate de *communicatione idiomatum* arguerent, *omnipræsentiam* naturæ humanæ Christi fuisse communicatam, indeque realem ejus præsentiam in eucharistia deducerent, negabant Helveti idiomatum communicationem, qua quidem ex re difficillima lis illa de idiomatum communicatione & ubiquitate est orta.

2. Sic enim censebat Zwinglius, panem & vinum repræsentare tantum corpus & sanguinem Christi, seu signa esse beneficiorum per mortem ejus humano generi partorum, nullum igitur ex sacra cœna fructum alium referre Christianos, quam recordationem meritorum Christi, seu ut dicere solebant sententiæ hujus patroni, *nihil esse in sacra cœna, quam memoriam Christi*. Multis testimoniis hanc veram esse Zwinglii de eucharistia sententiam [illegible] Tom. I. pag. 485. sq. & Zwinglius ipse in lib. de [illegible]. Tomo 2 op. pag. 85. ait: [illegible]. Hoc de eucharistia dogma Mart. Bucerus pacis studio corrigere nitebatur, quo lutherano dogmati similius, imo cognatum videretur, sed re-

centior erat memoria Zwinglii, quam ut Helvetos ab hac abducere possit sententia.

§. 463. Nova plane rerum facies nata est in ecclesia reformata, quum Jo. Calvinus Genevam rediisset, unde antea anno 1541. pulsus fuit. Factus erat tum ecclesiæ Genevensis antistes, tum etiam in republica summam authoritatem adeptus est. Primum igitur scriptis epistolis, aliisque rebus effecit, ut ex Gallia, Italia, aliisque regionibus copiosi homines Genevam migrarent, & ibi domicilium figerent, plurimi quoque Calvinum videndi & audiendi causa illuc profecti sunt. Deinde senatui Genevensi author erat, ut anno 1550. academiam Genevæ conderet, in qua & ipse & collega ejus *Theod. Beza* docuit, nova hæc academia tantum brevi tempore gloriæ est nacta, ut ad eam certatim ex Anglia, Scotia, Gallia, Italia, Germania juvenes confluerent, per quos discipulos Calvinus ecclesiam reformatam ubique amplificavit.

§. 464. Doctrinam autem a Zwinglio traditam Calvinus tribus potissimum in rebus mutavit: 1.) circa formam sacræ gubernationis [1], 2.) circa eucharistiam [2], & 3.) in doctrina de prædestinatione (§. 459. 1.). Horum trium quod primum est, non omnibus reformatis ecclesiis, non Germanis, non Anglis, ne ipsis quidem Helvetis nec Calvinus, nec discipuli ejus persuadere poterant, persuasit tamen Gallis, Batavis, Scotis aliisque. Helveti formam gubernationis semel sub Zwinglio constitutam labefactari nullo modo passi sunt, de binis reliquis satis diu in ipsa Helvetia acerrime est disputatum, constantia tamen & authoritate Calvini post gravissimas altercationes evenit, ut concordia inter eum & Helvetos primum de eucharistia anno 1549., & postea anno 1554. etiam de prædestinatione sanciretur.

1. Zwinglius magistratui plenum & absolutum jus circa sacra tribuerat, eidemque sacrorum ministros prorsus subjecerat, at Calvinus jus magistratuum in res religionis angustis circumscripsit finibus, atque ecclesiam sui juris esse, se ipsam per collegia presbyterorum & synodos ecclesiæ catholicæ more regere debere asseveravit, tutella tamen & externa cura magistratui relicta. Paucis illam gubernationis sacræ formam Genevæ introduxit, & in universam ecclesiam reformatam introducere studuit, quæ *presbyteriana* dicitur, quia episcopos & gradus hierarchicos non habet, sed omnes ministros religionis pares inter se jure divino esse debere statuit.

2. Cum Zwinglius *symbolicam* tantum corporis & sanguinis Christi præsentiam concessisset, & nullum alium ex perceptione eucharistiæ fructum permisisset, quam recordationem mortis Christi & beneficiorum illa morte partorum, Calvinus [illegible] quodammodo præsentiam fassus est, atque ex eucharistiæ perceptione [illegible] gratiæ incrementum capere statuit. Dein ex Zwinglii opinione peccatoribus æque ac justis cœnæ sacræ participes fieri, Calvino authore autem non nisi justis ad eucharistiam accedere licuit.

§. 465. Qui primi ex Gallis ecclesiam catholicam deseruere,

Lutherani vulgo a scriptoribus illorum temporum nominantur, ex quo conficiunt nonnulli, omnes Protestantibus deditos, & ab Helvetis, seu reformatis alienos fuisse. At vicinitas Genevæ, Lausannæ, aliarumque urbium, quæ calvinianam doctrinam adoptarunt, & indefessum Calvini ac Bezæ studium tantum potuerunt, ut omnes dimidia seculi XVI. parte nondum elapsa Genevensium se socios profiterentur, qui a Romana ecclesia defecerant. Hi Galliæ Calvinistæ dicebantur *Hugonotti* [1], & gravibus tempestatibus jactati fuere [2].

1. Nomen hoc traxerant a voce fœderis helvetici, quo se invicem, id est fœderatos nuncupant, male a Gallis pronunciata, hinc enim formata est vox gallica *Hugonot*: quasi *Eignet*, & reformatis tributa, quod ad novam religionem stabiliendam esset confœderati (ita Nat. Alex.) quamquam de hujus vocis origine alia proferant.

2. Huc pertinet celebris illa historia, quam Galli *Massacre de S. Barthelemi* vocant. Cum enim *Henricus* Rex Navarræ in uxorem duxisset *Margaritham* Caroli IX. sororem, ad has nuptias invitati sunt omnes Galliæ nobiles Calvino addicti. Conspiratione autem contra eos facta in festo S. Bartholomæi, quod cadit in 24. Augusti, anno 1572. signo campana dato a sicariis eum in finem destinatis omnes sunt occisi. Ad centum millia Hugonottorum illa die periisse, tantumque sanguinis fusum fuisse narratur, ut flumina cadaveribus impleta, sanguine atrata sint, ut adcolis etiam longius dissitis usus aquæ ad potum aliasque res necessarias præpeditus fuerit. *Thuanus* supremi senatus, seu parlamenti Parisiensis præses, dum hanc historiam narrat illos Statii Papiniani versus ex Theb. lib. 2. adcommodavit:

Excidat illa dies ævo, nec postera credant
Secula: nos certe taceamus, & obruta multa
Nocte tegi propriæ patiamur crimina gentis.

Gregorius XIII. vero, narrante eodem Thuano L. 53. & *Strada Dec. I. L. 7. pag.* 441. confirmante, certior factus a Rege Carolo IX. tragœdiæ feliciter peractæ statim cum cardinalibus ad B. Marci concessit, & Deo ritu solemni gratias egit, jubilæum toti orbi Christiano publicavit, & publicæ lætitiæ signum tormentorum displosione dedit.

§. 466. Post hos contra Calvinistas in Gallia motus sub Rege *Henrico IV.*, qui relictis reformatis ad sacra Catholicorum rediit, bellum civile excitarunt, quod ut sedaret Henricus, celeberrimo illo edicto Nanneti anno 1598. lato iis religionis suæ exercitium permisit. Inde autem factum, ut a tempore Henrici ecclesia reformata in Gallia repræsentare cœperit civitatem quamdam, seu rempublicam in republica magnis juribus & privilegiis munitam, quæ cum alia securitatis suæ causa oppida & castra, tum urbem munitissimam *Rupella* (*La Rochela*) possedit, suisque præsidiis custodivit.

§. 467. Verum hæc reformatorum quasi respublica motibus & bellis civilibus exortis partibus eorum se junxit, qui regi repugnabant, Batavorum quoque, & Anglorum fœdera aperte nimis

appetebat, aliaque suscepit paci publicæ & supremæ Regis authoritati adversa. Hinc ab anno 1621. bella quædam Rex *Ludovicus* XIII. cum reformatis gessit, summusque rerum gallicarum administer *Richelius* cardinalis Galliam non antea tutam & tranquillam fore putavit, quam reformatorum respublica disturbetur, tum castris juribusque suis spolietur. Itaque anno 1628. post longam difficillimamque obsidionem urbem Rupellam maximum reformatorum propugnaculum expugnavit, & in Regis ditionem redegit, qua urbe capta actum erat de reformatorum republica.

§. 468. Conqueruntur reformati, aulam gallicam non fuisse contentam destructa illa reipublicæ specie, sed ipsam etiam illorum ecclesiam & religionem contra fidem a Regibus in edicto Nannetensi & aliis datam destruxisse. Præcipue autem ea de causa conquesti sunt, quod non tantum promissis & blanditiis eos ad ecclesiam Romanam reducere studuerint Catholici, sed etiam cum leniora hæc consilia frustrata esse intellexissent, variis interpretationibus & edictis edictum Nannetense restrinxerint, & labefactaverint. Sed quidquid de his querelis sit, istud constat, Regem *Ludovicum* XIV. eo a Catholicis permotum fuisse, ut anno 1685. edictum Nannetense abrogaverit [1].

1. Falso enim Regi Catholici persuaserant, edictum Nannetense supervacaneum esse, eo quod plerique subditorum reformatorum ad ecclesiam Romanam redierint, legitur enim in constitutione regia, qua edictum Nannetense sublatum est: *illud per se ipsum cessare*, eo quod maxima pars subditorum reformatorum ad ecclesiam Romanam redierit. At ingens ex revocatione edicti hujus respublica Gallorum cœpit detrimentum, innumerabilis enim multitudo solum patrium migravit, & in variis Europæ partibus domicilium quæsivit, ceteri, qui vigilantia Catholicorum fuga sibi consulere impediti fuerant, per milites cogebantur religionem catholicam saltem ore (intellectus enim per vim externam cogi nequit) profiteri.

§. 469. Sublato edicto Nannetensi omnia reformatorum templa diruta, eorum doctores & pastores pulsi, ceteri ad professionem religionis catholicæ adacti ita quidem, ut conventus sacrorum causa agere sub pœna triremium, & pastoribus exercitium muneris sui sub pœna laquei prohibitum fuerit. Interim reformati nihilominus clandestinos egerant conventus, quod cum a Catholicis detectum fuisset, milites aut satelites missi, qui in conventibus congregatos cingerent, & carceri manciparent. Viri ad triremes & fœminæ ad carceres damnabantur. Reformati inde in desperationem acti arma contra Regem arripuerant, unde notum illud bellum *Camisardorum* [1] exortum est, quam ob causam Regem magis exacerbarunt, & majores sibi pararunt calamitates. Verum Hugonotti his calamitatibus non tantum non fracti, sed potius audaciores facti, dum antea clande-

stinos tantum & nocturnos egisset conventus, jam non verebantur in publicum prorumpere, & palam etiam convenire [2].

1. *Asi llaman los Católicos en el Languedoc á los habitantes de Sevenes que tomaron las armas contra el Rey, y trae su origen esta denominacion de la palabra* camisse, *que significa la camisa; por cuanto los* camissaros *ó descamisados eran gentes pobres y miserables.* (Hubner, Lexicon).

2. Factum id anno 1743, qui propterea novam in historia reformatorum Galliæ facit epocham. Ratio autem præcipua, ob quam publicos agere cœperint conventus, ut saltem ipsi contendunt, hæc est, quia gravium criminum in clandestinis suis conventibus patratorum a Catholicis incusabantur.

§. 470. Nova exorta est procella, cum præses *Occitaniæ* (*Intendente del Languedoc*) anno 1752. omnia matrimonia coram pastoribus a Catholicis celebrata a presbyteris Catholicis ratificanda esse jusserit, hoc enim mandato perterriti ingenti numero sibi fuga consuluerunt. Rex itaque D. de *Paulmy*, ut causam hanc cognoscat, in mandatis dedit, cui senior pastor *Nemausi* (*Nimes*) supplices tradidit litteras, in quibus miserum a Catholicorum statum vivis depinxit coloribus. His brevi post adjunctæ secundæ, quæ tantum habuere effectum, ut altera sint in historia reformatorum Galliæ epocha [1].

1. Non quidem lege publica exinde Rex Galliæ tolerantiam ipsis concessit, attamen respirare illis modice licuit. Anno 1761. novæ inquisitiones propter baptismum & matrimonium reformatorum instituebantur, sed litteras supplices Regi porrexerant, & ab hoc tempore a publicis calamitatibus securi vivunt. (*Nueva historia de la Religion, por* Lessius).

§. 471. Anglicana ecclesia diu adduci non potuit, ut legibus Genevensium totam se subjiceret, nec quæ ex illis accepit, diu retinuit. Testatum fere est, maximam eorum partem, qui in Anglia ab ecclesia Romana defecerant, ad Lutheri sententias de eucharistia & sacra gubernatione propensiores fuisse, quam Helvetorum. Post Henricum vero VIII. conatibus Calvini ejusque discipulorum maxime *Petri Martyris* contigit, ut extrusis illis hæ in scholas & templa migrarent. Quocirca cum sub *Eduardo* VI. de constituenda religione & disciplina deliberaretur, Genevensium institutum ea lege Angli amplexi sunt, ut veterem tamen gubernationis sacræ formam, quæ valde distat a genevensi, una cum institutis nonnullis, quæ maximæ reformatorum parti superstitiosa videntur, retinendam ducerent. Hoc ipsum vero discrimen, leve licet tunc temporis esset, postea non ecclesiæ tantum, sed etiam reipublicæ anglicanæ calamitates & bella conflavit.

§. 472. Tristissimi dissidii principium ab illis anno 1554. natum est, qui *Maria* in Britania regnante in Germaniam aufu-

gerant, ut vitæ & fortunis consulerent. Horum aliqui sacra ritu illo peregerant, quem Eduardus VI. sanxerat, alii Helvetorum rationem tanquam simpliciorum prætulerant. Illi nomen *Conformistarum* ex eo accepere, quia sacra sua legi ab Eduardo latæ convenienter instruxerant, hi vero *Non-Conformistæ*, seu *Puritani* sunt vocati, quia majorem cultus divini puritatem flagitarunt, nec omni superstitione formulam Eduardi vacare putabant. Hæc vocabula ætatem tulerant, & ad nostra usque tempora notarum loco sunt, quibus anglicani Calvinistæ distinguuntur. Lis hæc cum exulibus sub *Elisabetha* Regina in patriam redeuntibus ad Anglos translata magnum subito incrementum cœpit. Regina Elisabetha sub his turbis in religione determinanda potius primorum seculorum, quam Genevensium & Puritanorum exemplum imitari jusit. Qua ex sententia quum totius ecclesiæ & cultus publici formam adornasset, eadem celeberrima illa lege, quam *uniformitatis decretum* (The Act of uniformity adpellant Angli) omnes subditos suos sequi jussit. Puritani religione se prohiberi, ne parerent, contendebant, & religionis romanæ ritus reduci acerbe querebantur. Hac ratione illa religionis veteris immutatio, quæ Anglos æque a Catholicis & Protestantibus sejungit, firmata at simul æternæ discordiæ materies est congesta.

§. 473. Prima, quæ tot dissensiones peperit, causa valde levis est, abhorrebant Puritani a vestimentis, quibus sacer ordo Anglorum utebatur; hæc enim illis, quia a Catholicis derivata erant, *Anti-Christi* insignia esse videbantur, hinc autem ad graviora progressi sunt. Ipsam primum ecclesiæ anglicanæ formam dissimilem esse ei, quam Christus instituit, contenderant, divinoque jure omnes religionis ministros æquales esse debere, quod a Calvino acceperant. Nihil quidem impediebant, quo minus aliquis *episcopi* nomine insignitus collegio fratrum servandæ disciplinæ causa præsideret, at hunc episcoporum jure uti, inter regni proceres cooptari, civilibus negotiis adhiberi, opibus & potentia eminere nolebant [1]. Bellum hoc aulæ & episcoporum cum Puritanis plus habuisset atrocitatis, nisi ipsi Puritani discordias inter se excitassent, uti seq. cap. dicetur.

1. Mediocre erat hujus controversiæ pondus, quamdiu Anglorum episcopi jure tantum humano & legibus imperii superiores se esse fatebantur: longe vero gravissimum evasit ab anno 1588. quo *Richardus Bancroftius* episcopus deinde Cantuariensis publice primus adfirmare ausus est, episcopos jure divino presbyteris superiores esse, quo ex sententia sequebatur, ut nulli pro veris religionis ministris habiti sint, nisi quos episcopus consecrasset.

§. 474. Seculo XVII. ad Britaniam in ecclesiam romanam

reducendam multum operæ consumptum est, talibus quoque adhibitis mediis, quæ ecclesiæ nostræ dedecus non modicum inusserant. In ipso seculi principio scelerati quidam homines odio religionis reformatæ inflamati Regem *Jacobum I.* una cum filio & universo gentis anglicanæ senatu impetu pulveris nitrati, quem ædibus subjecerant in quibus comitia parlamenti agi solent, uno ictu de medio tollere constituerant. Nec enim his occisis occasionem sibi defuturam putabant, religionem catholicam quo detrusa erat loco denuo collocandi. *Conspirationem pulveriariam* insidias has vulgo Angli nominant [1].

1. Ex indubitatæ fidei actis publicis eruitur, dramatis hujus authorem fuisse *Catisbejum.* Sic enim hic falso religionis zelo inflamatus secum rationes subduxit: Regem *Jacobum* solum multis modis tolli posse, at hoc sublato superesse parlamentum, utut autem præcipui ex parlamento tolli possent, superesse tamen multos præpotentes comites religioni reformatæ addictos, ergo decrevit uno ictu omnes tollere. Diu recoctum consilium ita se exequi posse speravit, si in parlamentariæ domus fundamenta, in qua convocato Senatu comitiisque coactis Rex una cum familia sua mascula, proceres Angliæ, & delegati ex urbibus, oppidis, pagis sunt congregati, cuniculo ducto & perfosso subjiceretur pulvis nitratus una cum ferramentis & ingentibus saxis, eoque succenso omnes in parlamentaria domo congregati uno impetu in aerem sublati memoratim discerperentur. Hoc consilium suum Catisbejus quibusdam zelotis pro religione catholica manifestavit, cum autem atrox adeo facinus num perpatrare liceat scrupulos conscientiæ facile moveat, consilium theologorum exquirere proposuerant. Adierunt itaque *Garnetum*, *Tesmundum*, & *Gerardum* Jesuitas, qui conspirationem adprobarunt, eo quod contra *hæreticos* sit inita, post hæc conjurati juramento se obligarunt ad rem secrete custodiendam. Consilium Catisbejus aperuit *Percio* militi Regis prætoriano, qui statim ædes conduxit parlamentariæ domui vicinas, & per unicum murum ab ea separatas. Comitia anno superiori 1604. indicta in Februarium anni sequentis 1605. rejecta fuerunt, quod ipsis percommodum accidit ad laborem subterraneum commodius perficiendum. Opus ipsum subterraneum mense decembri anni 1604. inchoatum est: sæpe intermisso, sæpe repetito opere tandem cuniculus ad curiæ murum perductus fuerat, ubi nova se difficultas ob muri duritiem & trium ulnarum grassitiem obtulit, paucis diebus ad comitia restantibus. Jam pertinacia operariorum medium murum pene pertuderat, & non deficientibus animis solum tempus defuturum videbatur, cum repente comitia in mensem octobrem dilata sunt. Dum vero murum acriter pertundere pergunt, & parata jam erant omnia, scenaque ultimum actum expectabat, conspiratio miro modo est detecta. Decem ad comitia dies supererant, cum litteræ incerto authore, incognito latore seu tabellione ad *Montaquilium* tanquam ab amico deferuntur, quibus monitus is est, ut primo comitiorum die a conventu se abstineret, magnum enim & inopinatum malum conventui imminere *terribilem ictum sensuro, nec percutientem visuro.* Juvat adscribere ipsam epistolam ex idiomate anglico in hispanicum translatam: *El amor que os tengo me obliga á pensar en vuestra conservacion. Por tanto os aconsejo que si estimais vuestra vida, busqueis algun pretexto para no asistir al parlamento, pues Dios y los hombres se reunen para castigar las maldades de estos tiempos. No desprecieis este aviso, sino retiraos á vuestra casa de campo, donde podais esperar las resultas sin temor. Aunque no hay ninguna señal de conmocion, os digo que en este parlamento se ha de sentir un golpe terrible, sin que se sepa de donde viene el mal. No es de despreciar esta noticia que os puede ser útil y no puede perjudicarnos en nada, pues pasará el peligro tan pronto como el tiempo en que quemeis esta carta. Espero que Dios os conceda la gracia de aprovecharos de ella.* Quid faceret Montaquilius diu incertus, pensitato Regis periculo nihil morandum, & quidquid erat secretos Regis consiliarios minime celandum judicavit. Nullus tamen consiliariorum sensum hujus epistolæ extricare valuit, demum ipsi Regi ex venatione reduci epistolam ostenderant, sæpius enim consiliarii perspicax Regis ingenium & fe-

licem in obscuris extricandis conjecturam sunt experti. Rex lecta epistola expensis verbis illis: *terribilem ictum parlamentum sensurum*, *neque percutientem visurum*, subodoratus est, improvisum pulveris nitrati ictum his verbis designari. Perlustratis die lunæ, quæ comitia proxime antecedebat, curia & vicinis locis in cella subterranea lignorum, fascium, carbonum strues deprehensa est, rogatoque *Wincardo* regiarum ædium custode, in quem usum illa essent comparata, a Percio conductas ædes cum cella & acervum illum congestum didicere. Præterea adstantem in cellæ angulo *Fauxium* Percii famulum cum desperati hominis vultu conspicati Percii domesticum & illarum ædium per Percii absentiam custodem esse ex ipsomet intelligunt. Quibus perceptis indiciis Fauxius captus & amotis in cellario lignis ac carbonibus triginta sex dolia diversæ magnitudinis pulvere nitrato repleta, denique vestibus Fauxii excussis fomenta & funes canabei, quibus lenta flamma alitur, inventa sunt. Interrogatus Fauxius in flagitio deprehensus crimen ultra fassus est, & interrita facie insuper addidit: bene evenisse quæsitoribus, quod impeditus fuerit, quin se cum illis immiso igne contumulasset. Complices Fauxius manifestare noluit, at torturæ admotus omnia fassus est. Concludit interpres Moshemii: *Como se defirió la abertura del parlamento, que debia hacerse en este dia, y empezase á correr la voz de la conjuracion de Londres, algunos conjurados se pusieron en fuga, y se asociaron á los demas que se habian adelantado para robar la princesa Isabel, á la primera noticia del buen éxito del designio. Todos estos resolvieron congregarse y alborotar á los Católicos para ponerse al frente de ellos, pero apenas juntaron unos* 100. *hombres. Los conjurados fueron buscados y hallados, pero como se defendian mucho, quedaron asesinados algunos en el acto por el pueblo, y los demas hechos prisioneros, oidos y castigados.*

§. 475. Scotica ecclesia *Knoxum* Calvini discipulum conditorem habuit, & ab hoc idcirco ab ipsis initiis suis Genevensium & dogmata & gubernationem sacram accepit, quorum pure custodiendorum adeo semper studiosa fuit, ut ferro etiam eos ulcisci non dubitaverit, qui sub *Carolo II.* gubernationem episcopalium introducere tentarunt. In provinciis Belgicis anceps & incertum visum est diu, utrum ad Helvetorum, seu reformatorum, an ad Protestantium communitatem transire vellent, quia a romana ecclesia defecerant. Anno vero 1571. aperte Helvetis principatus tributus est, nam *confessio Belgica*, quæ hoc anno prodiit, cum sententia reformatorum Galliæ est consentiens, & a confessione Augustana Protestantium tum in aliis rebus, tum præprimis in dogmate de eucharistia recedit [1].

1. Causam hujus rei facile sentiet, qui cogitaverit, quod Galli Belgiæ vicini sint, & in Belgio frequenter considеant, his adde Calvini & Genevensis scholæ summam authoritatem & indefessum in proferendis ecclesiæ suæ finibus studium. Ex hoc tempore Belgi *reformatorum* nomen publice assumpserunt, quum Protestantes, seu Lutherani antea vocarentur, in quo Gallos sunt imitati, qui vocabulum hoc invenerunt & primi adhibuerunt.

CAPUT SECUNDUM

DE

FATIS INTERNIS.

§. 476. Sub exordium seculi XVII. tanta floruit per orbem reformatorum authoritate schola Genevensis, ut ad eam fere omnes comigrarent, qui angustis rebus haud impediebantur (cecidit tamen hujus academiæ dignitas paulatim republica Batavorum condita, & academiis Lugduni, Franekeræ, Trajecti ad Rhenum constructis). Quocirca Calvini sententia de prædestinatione facile ad omnes pervenit, & in scholis ubique est introducta. Neque tamen unquam publica quædam lex aut formula aderat, quæ doctores coegisset, ne secus quam Genevenses vel ipsi crederent vel præciperent, hinc multi passim aut cum Genevensibus toto genere dissenserant, aut dogma eorum de prædestinatione temperarunt, imo inter illos etiam, qui a Genevensium stabant partibus, aliquid dissensionis erat; quidam enim illorum existimabant, Deum peccatum protoparentum *permisisse* tantum, non autem ab æterno decrevisse, alii vero longius progressi adfirmabant, Deum ita ab æterno peccatum originis decrevisse, ne evitare illud primi homines possent. Hi *Supra-lapsarii*, priores *Infra-lapsarii* vocantur.

§. 447. Anglicana ecclesia turbulentissimis procellis est jactata. Puritani, & Conformistæ variis inter se dissenserant punctis [1], quod bellum plus atrocitatis habuisset, nisi ipsi Puritani discordias inter se excitassent, sed agmen hoc ex variis hominibus compositum in diversas repente sectas difluxit. Harum sectarum nulla celebrior est illa, quæ authore Roberto *Browne* circa annum 1581. coaluit. Is de ipsa religionis essentia nec cum episcopalibus, nec cum reliquis Puritanis magnopere dissensit, at de natura ecclesiæ, ejusque gubernatione nove & mirabiliter sensit. Totam primum gentem christianam in minores divisit societates, quales illæ erant, quas ipsi collegerant Apostoli: tot nempe homines, quot unum idemque modicum spatium *physicum* capere potest, *ecclesiam* (id est, societatem in religione consentientem) constituere, & omnibus ecclesiæ qua *integræ societatis* juribus frui adfirmavit. Singulos hos minutos cœtus sui esse juris pronunciavit, omnique imperio tam episcoporum, in quibus aula, quam conciliorum, in quibus Puritani jus ecclesiam regendi collocabant, ipso divino jure solutos esse [2].

1. *Conformistæ* (§. 471.), qui a Reginæ supremique consilii partibus stabant, contendebant 1.) jus *reformandi ecclesiasticum* majestatis civilis esse, Puritani contra ad mentem Calvini jus hoc magistratui civili a Deo datum fuisse negabant, 2.) illi non tantum scripturam sacram, sed etiam traditiones & scripta Patrum regulam fidei esse ponebant, Puritani contra solam sacram scripturam pro regula fidei agnoverant, 3.) illi romanam ecclesiam veram esse ecclesiam adfirmabant, multis licet modis deformatam & vitiatam, longe secus Puritani, qui Romanam ecclesiam defecisse putabant, 4.) illi optimam esse existimarunt illam imperii sacri formam, quæ primis quatuor aut quinque seculis obtinuit, imo meliorem illa, quæ ab Apostolis constituta fuit, hos enim sic ecclesiæ formam instituisse, ut tenuis ejus status ferebat, posteris vero officium reliquisse, firmatis & amplificatis Christianorum rebus convenientius eam dirigendi. Puritani contra disputabant, totam regendæ ecclesiæ rationem sacris litteris expressam esse, & Apostolos exemplum immutabile omnibus imitandum reliquisse, quum primos cœtus ita gubernari juberent, ut tunc temporis Judæorum cœtus regebatur, 5.) illi contendebant, de rebus adiaphoris & indifferentibus, quæ in scriptura præceptæ non sunt, de ritibus & ceremoniis externis, verbi causa vestimentis sacerdotum, diebus festis magistratum civilem pro lubitu constituere, & in conscientia ad ejusmodi obligari posse, Puritani vero indecorum esse adseverabant, ea pro necessariis imperare, quæ Christus ipse libera reliquit, sic enim libertatem a Christo nobis partam labefactari.

2. In hac autem tuenda sententia adeo se immoderatum cum sociis præstabat, ut cum omnibus ecclesiis ad ejus formam non institutis communionem & vinculum rumpendum esse duceret, ac anglicanam præprimis ut spuriam, utpote ex ecclesia Romana aliquid retinentem, ceteris omnibus adcuratius fugiendam esse præceperit. Secta hæc injuriarum, quas summas in Anglia sua culpa sustinuit, impatiens in Bataviam migravit, at diuturnitate tamen caruit. Ipse enim ejus author Browne in Angliam rediit, & repudiatis novis sententiis suis munus pastoris consecutus est, exules vero reliqui multis implicati sunt intestinis litibus, quæ fata sapientiores ex illis induxerunt, ut disciplinam magistri temperarent, & tolerabiliorem redderent. Ita celebris, quæ nondum desiit, *independentium* seu *congregationalium fratrum* familia ex illis nata est, ut mox videbimus.

§. 478. Quum *Jacobus* I. Scotorum Rex *Elisabetha* defuncta regno potiretur, non parva spes Puritanis affulsit, fore, ut clementioribus in posterum fatis uterentur, neque quotidianis *Episcopalium* injuriis amplius expositi essent; nam inter Scotos Puritanis, seu Genevensibus addictos educatus erat. Ex principia quidem præclare huic spei responderant; verum opinione citius longe aliam omnia faciem induerant. Jacobus, qui monarchiam illimitatam appetebat, *presbyterianam* primum gubernationis formam votis suis adversari, *episcopalem* vero magis esse consentaneam judicavit; presbyterianæ enim ecclesiæ rempublicam quamdam, quæ ab optimatibus paris potestatis regitur, exhibent, episcopales vero ad monarchiam proprius accedunt, Rex vero ipsum *reipublicæ* & *synodi* nomen formidavit, quare episcoporum potestati amplificandæ maximopere studuit, salvumque Regem nisi salvis episcopis ullo modo esse posse publice significavit. Interim tamen Genevensium dogmata illa potissimum, quæ prædestinationis naturam definiunt, diu illibata servari voluit, quam tamen mentem post concilium *Dordracenum* (ut inferius dicetur) mutavit,

& *Arminianorum* de prædestinatione sententiam præferendam esse duxit. Rege penitus a calvinianis sententiis avocato vetus illud in Puritanos odium veluti reviviscebat, quod paululum quieverat, idque in apertum postremo bellum erupit [1].

1. Mortuus anno 1625. Jacobus I. puritanæ & doctrinæ & disciplinæ, quam juvenis totam imbiberat, capitalis hostis, episcopalis vero gubernationis vindex acerrimus ecclesiam non minus quam rempublicam fluctuantem, ac malis intestinis ægrotantem reliquit.

§. 479. Filius Jacobi *Carolus* I., quæ a patre inchoata acceperat, perficere constituit, igitur huc curas omnes & consilia retulit, primum ut potestatem regiam dilataret, deinde ut universam Britaniæ & Hiberniæ ecclesiam gubernationi episcoporum, quam divinitus institutam, & majestatis civilis optimum custodem esse censebat, subjiceret, denique ut totam ecclesiam ad exemplar primorum seculorum rejectis Genuensium sententiis exigeret, cujus voluntatis administrum præcipuum habuit *Guil. Laudum* Londinensem tum episcopum [1]. Quibus rebus cum immane & Regi & universo episcoporum ordini odium conflasset, in judicium populi anno 1644. raptus, proditæ tam libertatis quam religionis damnatus & securi percussus est. Perempto Laudo civile illud Regem inter & senatum bellum, quod dudum exarserat, tantum cœpit incrementum, ut nonnisi Regis sanguine extingui potuerit. Consilium regni seu parlamentum a Puritanis, seu presbyterianis inflamatum veterem ecclesiæ gubernationem per episcopos, & quidquid tum in dogmatibus tum in disciplina scitis Genevensium minus consentaneum erat, plane sustulit, Regem ipsum capitis adcusari, & anno 1648. stupente universa Europa extremo supplicio affici jussit [2].

1. Is enim Puritanorum & Calvinianorum hostis acerrimus Puritanorum gentem exquisitis injuriis affecit, & deleri totam assidue conatus est, rejectis Calvini tum de aliis rebus, tum de prædestinatione sententiis, genti Scoticæ Genevensium disciplinæ assuetæ vehementer licet reluctanti episcopos obtrudit, postremo non obscure significavit, meliorem sibi videri ecclesiam Romanam, quam Protestantium familias episcopis destitutas.

2. Patuit in his turbis id, quod frequenti usu compertum est, sectas fere omnes, quamdiu premuntur, amorem erga dissentientes & moderationem enixe suadere, easdem in altum elatas veterum præceptorum suorum oblivisci. Puritani nimirum dominantes nihilo æquiores sese præbuerunt episcopis & eorum defensoribus, quam hi olim illis sese exhibuerant.

§. 480. Partes Puritanorum in bello civili contra Regem excitato etiam amplexi sunt *Independentes religiosi*, quos tamen ab Independentibus *civilibus* [1] probe distinguere oportet. Nomen autem Independentes religiosi inde habent, quod cum Brownistis sentiant (§. 476. 11.) singulos cœtus Christianorum *Independentes*.

seu quod idem est: *sui juris* esse, nec cogi debere, ut vel episcoporum legibus, vel a presbyteris in concilio latis decretis obtemperarent [2].

1. Independentes ipsis etiam Presbyterianis seu Calvinianis deteriores a plerisque Anglorum scriptoribus perhibentur, scelerumque variorum vulgo arguuntur, qui eos excusant, ajunt, ab illorum inimicis confundi Independentes *civiles* (qui potestati regiæ adversi immodicæ libertatis sunt amantes) cum Independentibus *religiosis*, & facinora illorum ad hos transferre. Tres porro Independentium vindices adferunt causas, quibus effectum est, ut tot sceleribus onerarentur: 1.) nomen *Independentium* ambiguum est, nec uni hominum generi proprium; nam ut de aliis ejus notionibus nihil dicatur, etiam *Democratiæ*, quam vocant, patronis hoc vocabulum apud Anglos imponitur. Hæc factio, quæ magnam partem ex hominibus constat fanaticis, multas in Anglia tragœdias egit, quid quid igitur ab ea immoderate & stolide gestum dictumve fuit, ad Independentes circa religionem transferri, 2.) omnes fere Anglorum sectæ, quæ *Caroli* I. & *Cromwellii* temporibus extiterant, Independentium nomen sibi arrogarunt, quo benevolentiæ, qua veri fruebantur Independentes, participes fierent, & invidiam a se dispellerent (testatur id cum aliis *Jo. Tolandus* Ep. ad *Jo. Clericum*) 3.) prætulit Oliv. Cromwellius Angliæ protector (ut ipse dici voluit) Independentes reliquis omnibus patriæ suæ sectis, nam presbyterianorum synodos æque timuit ac episcopos, in forma vero ecclesiasticæ gubernationis, quam Independentes probabant, nihil erat omnino, quod metueret.

1. Jo. *Robinsonius* disserte vocabulum *Independentes* in hoc sensu adhibet in *Apologia* pro exulibus Anglis cap. 5. pag. 22. ubi dicit: *cœtum quemlibet particularem recte institutum & ordinatum esse totam, integram & perfectam ecclesiam ex suis partibus constantem immediate* independenter *quoad alias ecclesias sub ipso Christo.* Et forte ex hoc ipso Robinsonii loco Independentium vocabulum antea inauditum natum est. Non recusarunt illud primo Robinsonii discipuli, neque habet aliquid mali ominis & invidiæ respectu reipublicæ, modo ex eorum sententia intelligatur. In Anglia ante annum 1640. ignotum fuit, certe in *constitutionibus ecclesiasticis* in conventibus antistitum Londini & Eboraci anno prædicto sancitis, ubi omnes quæ inter Anglos extant sectæ enumerantur, nulla *Independentium* occurrit mentio, paulo vero post maxime ab anno 1642. in rerum anglicarum annalibus frequentissima fit hæc adpellatio. Neque vetuerunt primum ita se vocari, sed ipsi potius in apologia, quam anno 1644. Londini ediderant, nomen hoc sine metu usurparunt, postea vero quum multæ sectæ suum etiam hoc nomen facerent, imo cives improbi & publicæ majestatis interitum molientes hac nota vulgo insignirentur, studiosissime illud a se deprecati sunt, & se fratres congregationales, cœtusque suos ecclesias *congregationales* nominarunt.

§. 481. Parens Independentium est. *Jo. Robinsonius* sacrorum in cœtu Brownistarum, qui Lugduni Batavorum sedem suam fixerant, minister, cum enim perspiceret, disciplinam, quam Rob. *Browne* sanxerat (§. 476.) vitiis nonnullis laborare, corrigendam esse eam statuit, ut minus quam antea invidiæ haberet Binis vero in rebus præprimis Brownistarum scita emendavit: primum moderatione, nec enim ecclesias alia gubernationis forma utentes, quod Browne fecerat, execrantur, & Christiano nomine indignas pronunciant, sed veram ibi etiam religionem florere posse fatentur, ubi aut episcoporum authoritate, aut conciliorum decretis ecclesia regitur, suam licet formam divini juris & ab Apostolis

introductam esse putant. Secundo sustulit Robinsonius docendi illam facultatem, quam Browne omnibus æquam dederat Christianis; habent enim certos suffragiis multitudinis electos doctores, neque verba quempiam ad populum facere patiuntur, nisi exploratum antea & præfectis ecclesiæ probatum [1].

1. Familia hæc, quæ anno 1610. in Belgio cœpit existere, perpaucos primum in Anglia habuit amicos, & in tenebris latuit, quo pœnas in Non-conformistas latas effugeret: labente vero Caroli I. tempore anno 1640. animos sumpsit, & confidenter in publicum prodiit. Post hoc tempus adeo brevi spatio & existimatione & numero crevit, ut cum episcopis non modo, sed etiam cum presbyterianis de principatu dimicare posset.

§. 482. Dum Oliverius Cromwellius rem Angliæ publicam administrasset, omnibus sectis libera erat potestas, quæ vera esse putarent profitendi. Soli episcopi & gubernationis episcopalis fautores premebantur, ac omni fructu honoreque privabantur. Numero tamen & authoritate ceteros vicerant Independentes, quos quidem Cromwellius ideo maxime extulit, nulli licet sectæ addictus, ut presbyterianos dominatum affectantes facilius coerceret [1]. Hac igitur tempestate nati sunt *quintæ monarchiæ promissores*, id est, homines mente capti & rerum omnium confusionem minitantes, qui Christum ipsum descensurum, & novam rempublicam cœlestem in his terris conditurum esse tradiderunt [2].

1. Instauratis autem Anglorum sub *Carolo II.* rebus deficere valde cœperunt, & ad veterem obscuritatem sensim rediere. Hodie superstes quidem hæc secta est, verum timida & attrita, qua infirmitate sua coacta est, ut *Wilhelmo III.* Rege anno 1691. societatem cum presbyterianis Londini & circumjacentibus agris degentibus salvis institutis suis inierit. Dicuntur Independentes ab hoc tempore *fratres uniti.*

2. Iisdem in turbis orta est inter presbyterianos secta *Antinomorum*, seu hostium legis, ut ab adversariis adpellantur (a græco *ἀντὶ contra*, & *νόμος lex*), quæ ad nostram durat ætatem, & nonnunquam motus non contemnendos excitavit. Sunt vero Antinomi sectatores Calvini rigidiores, qui ejus sententiam de absoluto Dei decreto & prædestinatione abutuntur. Aliqui (nec enim omnes idem sentiunt) negant, necessarium esse, ut homines Christiani ad legum divinarum observantiam ab ecclesiæ ministris excitentur, quos enim Deus ab æterno ad salutem elegit eos nemine monente & exhortante divino instinctu & præpotentis gratiæ impulso, quæ bona sunt, facturos: ad pœnas vero æternas divino decreto prædestinatos, etsi millies exhortentur, legi tamen haud obtemperaturos esse, neque illos posse, quum divinum illis negetur auxilium, legi obedire. Alii vero tantum statuunt, electos, qui etiam prædestinatione excidere nequeunt, tametsi malas actiones committant, vere tamen non peccare, neque pœnitentiam, seu dolorem de peccatis ipsis necessariam esse.

§. 483. Tot Angliæ calamitatibus & miseriis ex immoderatis de religione disputationibus exortis patriotæ quidam viam sibi quærendam esse putabant, per quam dissentientes conjungi certo modo, aut saltem internecinis bellis avocari possent. Igitur medios se vehementiores inter episcopales & pertinaciores presbyte-

rianos ac Independentes interjecerant, quorum litibus paccatis sperabant fore, ut minores sectæ suis ipsæ armis conciderent. Certabant autem hi partim de forma gubernationis ecclesiasticæ & cultus publici, partim de dogmatibus nonnullis. Utrumque genus controversiarum ut sedarent, *latiorem* salutis viam aperire studuerunt, cujus rei causa viri *latitudinis*, seu *Latitudinarii* vulgo vocati sunt. Primum illam gubernandi ecclesiam formam & illum cultum publicum, qui legibus Anglorum est stabilitus, unice quidem commendabant, nec tamen credi volebant, divini eum juris esse & absolute necessarium, ex quo concluserant, qui alias regiminis sacri formas probarent, ferendos & pro fratribus habendos esse. Ad dogmata deinde quod adtinet, sibi magistrum elegegerant *Simonem Episcopium*, eoque præeunte pauca esse contenderant, quæ ad salutem obtinendam credere est necessarium, inde vero hoc sequebatur, nec episcopales, nec presbyterianos causæ aliquid habere, cur tantis sese animorum motibus oppugnent; controversiam enim esse de rebus mediis & adiaphoris, quæ salva spe salutis varie explicari possint[1].

1. Principes Latitudinariorum erant viri eruditione summi *Jo. Halesius*, & Guil. *Chilingworthus*, quorum nominibus Angli adhuc assurgunt: accessit illis *Henr. Morus*, *Rad. Cudworthus*, *Jo. Tillostonius*, aliique. Hi studii sui hunc primo fructum tulerunt, ut Athei, Deistæ, Sociniani a Catholicis non minus, quam dissidentibus Anglis vocarentur. At restitutis sub Carolo II. Angliæ rebus præcipuis muneribus sunt præpositi, & notum est, hodie ecclesiam anglicanam a Latitudinariis ejusmodi potissimum gubernari.

§. 484. Carolo II. ad patris solium anno 1660. revocato vetus gubernationis sacræ, cultusque publici forma simul rediit ex exilio, ac episcopis amissus dignitatis gradus est restitutus. Sperabant quoque *Non-conformistæ*, fore, ut aliquis sibi quoque locus in ecclesia concederetur, sed opinione citius hæc eos spes fefellit; nam Carolus tam Scotis, quibus nihil tamen sanctius erat Genevensi disciplina, quam Hibernis episcopos denuo præfecit, postea anno 1662 publica lege omnes, qui institutis ecclesiæ anglicanæ subjicere sese recusarent, a communione ejus plane exclusit. Ab hoc tempore Non-conformistarum secta ad *Guilielmi* usque & *Mariæ* ætatem varia fortuna nunc meliori nunc tristiori usa est pro aulæ ac reipublicæ conditione. Anno vero 1689. Guilielmus cum senatu singulari edicto (The Toleranz Acte) cunctas cum dominante ecclesia dissidentes sectas (Socinianis exceptis) omni pœnarum in eas olim sancitarum metu liberavit. Idem etiam Scotos vivere Genevensium legibus permisit, & episcoporum jurisdictione expedivit. Hinc igitur recte principium duxeris libertatis & tranquillitatis qua gaudent adhuc sectæ a publico Anglorum cultu divino diversæ.

§. 485. Hoc ipso vero *Guilielmi* III. tempore anno 1689. celeberrimum in ecclesia anglicana dissidium nascebatur. *Guil. Sancroftus* Archiepiscopus Cantauriensis, octoque cum eo episcopi negabant, licere sibi novo Regi Guilielmo III. fidem jurejurando polliceri: legitimum enim Anglorum Regem *Jacobus* II. expulsum licet, manere. Qui cum nullo modo possent ab hac sententia revocari, anno 1690. decreto supremi senatus & populi anglicani suis muneribus privabantur. Dejecti episcopi novam in ecclesia anglicana condiderant sectam, ex causa, quæ dissensionem peperit, *ecclesia jurare nolentium* (The Nonjurors), propter sententiam vero de authoritate ecclesiæ, quam defenderant, *ecclesia excelsa*, seu *alta* dictam [1], cui vulgo opponitur ecclesia *humilis* [2].

1. Contenderant enim episcopi depositi, eorumque sectatores & amici, ecclesiam non civili magistratui, verum Deo unice subjectam esse: sententiam igitur a senatu regio in eos latam iniquam & invalidam esse: episcopum nonnisi a concilio ecclesia deponi posse. Pro hac de ecclesiæ jure ac potestate primum celeberrimus ille *Henr. Dodwellus* acerrime pugnavit, post eum plures alii.

2. Ecclesiæ quidem excelsæ nomen proprie convenit ecclesiæ Nonjurantium, seu jurare nolentium, at solet etiam vocabulum hoc latius apud Anglos sumi, & omnibus illis imponi, qui ecclesiam ab omni humana potestate eximunt, etiamsi jurare Regi non recusent. Et tales multi sunt etiam in illa ecclesia quæ alioquin *humilis* (baxa) vocatur. Ceterum ecclesia alta & humilis ab Anglis etiam *Toris* & *Whigs* adpellari solet. Hæc duo vocabula tempore Oliverii Cromwelii sunt orta, ubi tota Anglia in duas factiones divisa erat.

§. 486. Ecclesia episcopalis in Anglia est dominans [1], & nemini nisi hujus sit ecclesiæ munus publicum demandatur, at medium hunc lapidem offensionis movendi excogitarunt. Sunt inter sagatos & togatos in Anglia, qui aut presbyteriani sunt, aut independentes, aut alterius sectæ, modo enim quis vel unica vice in ecclesia episcopali sacram cœnam percepit, jam hujus ecclesiæ esse censetur, & etsi nunquam amplius conventibus ecclesiæ episcopalis intersit, eam ob rationem a munere publico non arcetur [2].

1. Ecclesia hæc duos habet archiepiscopatus, & viginti quinque episcopatus. Archiepiscopus *Cantauriensis* (*Kanterbery*) primus est inter nobiles regni (*el primer Par del Reino*) & prœdriam immediate post Regem ejusque familiam habet, Regisque coronationem peragit. Ei subsunt episcopatus 21. Archiepiscopus *Eboracensis* (Jorg, Yorkshire) prœdriam ante Duces regni habet, si nimirum non sunt sanguinis regii, excepto cancellario regni, cui immediate post Archiepiscopum Cantauriensem prœdria competit. Ei quatuor subsunt episcopatus, & Reginam coronat.

2. Caput ecclesiæ anglicanæ Rex est, verum titulus hic honorificus nostris temporibus jam non tanti est momenti, ut olim fuerat; nullam enim habet in sacra potestatem, nec jus leges ecclesiasticas condendi, advocatus solum est ecclesiæ, & in coronationis solemnalis jurejurando se obligat ad defendenda jura

ecclesiæ, ejusque ministrorum, ceterum in rebus civilibus jurisdictionem in episcopos, ac ceteros religionis ministros æque ac in laicis exercet. Jus nominandi episcopos Regi competit, quamquam enim jus eligendi eosdem capitulis cathedralibus sit concessum, consuetudine tamen est introductum eum eligendi, quem Rex præsentat.

§. 487. In medio ecclesiæ presbyterianæ sinu in Anglia ante annos circiter 56. nova secta est exorta, cui quasi per ignominiam *Methodistarum* nomen impositum, eo quod novam sibi metodum obtinendæ salutis invenisse videbatur. Primi hujus sectæ fundatores erant Joannes, & Carolus *Wesley*, quibus anno 1732. sese adjunxit Georgius *Withefield*. Hic caput sectæ factus putabat, se esse vocatum antiquam methodum, quæ oblitterata fuit, revocandi, ut salus obtineri queat, & proxime ad Protestantium *Pietistas* (§. 450.) non quidem quoad dogmata, sed quoad externum pietatis exercitium accessit. Multos asseclas in America nactus est, inde in Angliam rediens in publicis etiam agris sermones ad populum habuit præsentibus sæpe aliquot millibus auditorum [1].

1. Existunt nunc magni cœtus Methodistarum, eorumque conventus sacri *Oratoria* nominantur. Anno 1738. Methodistæ se jungebant *Herrenhutanis*, at cum Withefield & Wesley sensa eorum accuratius perspexerint, omnem cum illis communionem anno 1740. tollebant. Non diu post inter ipsos Methodistas discordiæ ortæ, nam Withefield dogma Calvini de prædestinatione propugnavit, Wesley autem uterque impugnavit. *Londini* plerique Methodistæ sunt ex parte Wesley.

§. 488. Sicut doctrina Calvini de *sacra gubernatione* inter reformatos Angliæ varias protulit discordias, ita etiam ob illius sententiam de *prædestinatione* in variis reformatorum provinciis non diu post initium seculi XVII. grande natum est dissidium, quod nullo deinde consilio sanari potuit. *Jac. Arminius* scripturæ in Lugdunensi Batavorum academia doctor decreta Genevensium rejecit, & Lutheranorum de prædestinatione dogma substituit, accesserant ad eum viri multi tum doctrina tum muneribus inclyti, oppugnabatur e contrario vehementissime a *Franc. Gomaro* collega & præcipuis academiarum magistris. Moderationem suaserant, qui rempublicam administrarunt, & utramque sententiam in libera civitate salva religione tradi posse judicarunt. Post longas altercationes suasione *Mauritii* Principis Arausionensis controversia hæc in judicium totius ecclesiæ fuit vocata in concilio *Dordraci* anno 1618. coacto [1].

1. Arminius vero nomine *Harmensen* vocabatur, qui licet a teneris Genevensium præceptis imbutus, & in ipsa academia Genevensi institutus fuisset, attamen doctrinam de prædestinatione, quam Calvinus in *Ep. Pauli ad Rom. cap.* 9. se invenisse putabat, deserait partim, quia multos summæ dignitatis viros a sentis Genevensium hac in re abhorrere noverat, partim quia nulla *lege* [illegible]

blica doctores belgici cum Calvino sentire jubebantur. Invalescente per universum fœderatum Belgium hac lite Arminius anno 1609. diem supremam obiit asseclæ ejus *Arminiani*, vel etiam *Remonstrantes* vocari solent a libello supplici anno 1610. ordinibus Hollandiæ & Westfrisiæ exhibito, quem *Remonstrantiam* inscripserant, cui cum calviniani dogmatis de prædestinatione amici alium opponerent libellum imposito ei *Contra Remonstrantiæ* vocabulo *Contra-Remonstrantium* inde nomen acceperant.

§. 489. Mortuo Arminio æquis per aliquot annos armis certabant dissidentes. Arminiani *tolerari* tantum suam sententiam petierunt, cui voto non mediocriter faverant, qui tum summo in republica loco erant Jo. ab *Oldenbarnevels*, Hugo *Grotius*, Rembaldus *Hoogerbeets*, namque hi de re per *confessionem Belgicam* (§. 474.) haud determinata unumquemque pro libitu sentire posse in civitate libera seu *republica* putabant, neque ab hac ratione alienus primum cum matre ac aula erat ipse Mauritius Arausionensis Princeps reipublicæ capitalis postea Arminianorum hostis. Hinc anno 1611. colloquium inter contendentes Hagense (*collatio Hagensis*), hinc anno 1613. disceptatio *Delphensis*, hinc 1614. edictum ordinum Bataviæ pro pace, hinc alii conatus ad animos placandos, sed tantum aberat, ut cederent Calvinistæ, ut potius studium magistratuum consulendi authoritate sua paci publicæ animose reprehenderent.

§. 490. Tota lis ante concilium Dordracenum intra fines dogmatis de prædestinatione se continebat, & quinque propositionibus a Remonstrantibus comprehendebatur, quæ notæ sunt nomine *quinque Articulorum* [1]. Ergo tum temporis, si sensa animi interna ex verbis æstimentur, Arminiani Lutheranis simillimi erant. Sed Calviniani non ex verbis sententiam mentis, sed ex occulta Arminianorum sententia verba eorum interpretanda esse disputant, Arminianosque per speciosa hæc enunciata Socinianum & Pelagianum errorem propinasse contendunt [2].

1. Hi sunt sequentes: 1.) Deus ab æterno decrevit eos æterna salute donare, quos prævidit fidem in Christum usque ad mortem servaturos, incredules contra & ad mortem usque invitanti Deo resistentes æternis pœnis addicere. 2.) Christum pro omnibus mortuum fuisse, at neminem tamen nisi credentem beneficii hujus divini participem fieri. 3.) neminem ex se & liberi arbitrii viribus fidem divinam concipere & producere posse, sed necesse esse, ut homo natura malus per spiritum sanctum regeneretur, 4.) divinam hanc gratiam, qua animum hominis sanat, omne quod vere bonum in homine dici potest, inchoare, promovere, perficere, neque tamen hanc gratiam hominem cogere, sed ei resisti posse, 5.) qui fidem in Christum habent, eos abunde viribus instructos esse ad vincendas dæmonis insidias. utrum vero illi excidere hoc statu gratiæ possint & fidem amittere, non satis liquere, & in sacris litteris adcuratius inquirendum esse.

2. Animorum & sensus interni judex Deus est: at si licitum foret ex illis, quæ modico tempore elapso sectæ principes docuerant, horum dogmatum potestatem metiri, difficillime illa Genevensium sententia excusari tota posset.

Multo etiam minus post synodum Dordracenam præcipui Arminianorum doctores quam antea *gratiæ* tribuerant.

§. 491. Salvam vel saltem non desperatam rem suam Arminiani putabant procerum favore nixi, quum improvisa eos procella subito prosterneret. Simultates primum, dein inimicitiæ apertæ inter præcipuos rerum novæ civitatis belgicæ administros Joannem *Ordenbarneveld*, Hugonem *Grotium*, Rombertum *Hoogerbeets*, & *Mauritium* Principem Arausionensem, Præfectum & Ducem Batavorum nascebantur. Mauritius, quod jam parenti ejus *Wilhelmo* in animo fuerat, comitem se Holandiæ, ut quidam perhibent, creare; alii vero id tantum intendisse narrant, ut majorem sibi potestatem, quam civitatis libertas ferebat, adquirere cupiebat: saltem quod nemo negat, primatibus reipublicæ supremum dominatum abrogata libertate appetere videbatur. Restiterant his consiliis proceres & reipublicæ administri antea citati, qui simul patroni erant Arminianorum. Aderant patronis suis strenue Arminiani, Calviniani contra se Mauritii votis commodos & faciles præbuerant, Mauritius igitur indignatione succensus & reipublicæ ministrorum, & Arminianorum iis adhærentium perniciem decernendo Calvinianorum partibus se adjunxit. Igitur Oldenbarneveld vir senectute & in patriam meritis venerabilis ætatis suæ anno 71. capitis supplicio plexus, Hoogerbeets vero & Grotius perpetuo carceri addicti, quorum tamen postremus uxoris suæ astutia adjutus fugam ex carcere arripuit [1].

1. Vir hic in litteratorum republica celeberrimus durante inquisitione & processu causæ suæ dure habebatur, neque dum morbo periculoso in captivitate sua correptus fuerat, cuidam aditus ad ipsum permissus excepta uxore *Maria Riegersberga*. Defendit se egregie, & abs dubio absolutus, libertateque donatus fuisset, si veniam, ut ipsi significabatur, petiisset, seu delicta, quorum incusabatur, deprecatus fuisset, verum hoc facere sibi ignominiosum duxit. Ad arcem *Lovestein* ductus perpetuo carceri mancipatus, ejusque bona fisco sunt addicta, quo in carcere ab uxore sua comitatus tempus legendo & scribendo consumpsit, uxor fidelissima tandem astutia sua ipsum e carcere liberavit. Curabat nimirum in cista magna sibi libros adferri, eosque perlectos auferre, aliosque apportare custodes carceris jussit, consilio vero uxoris suæ ipse se cistæ inclusit putantibus custodibus, eam libris repletam esse. Arrepta fuga in Galliam petiit, & posthac Reginæ Sueciæ servitio, se addixit (vid. vitam immortalis hujus viri.)

§. 492. Causa Arminianorum, quia non in leges civiles, sed in religionem publicam peccasse dicebantur, cognitionem potestatis civilis recusabat. Igitur quo condemnari possent, concilium convocandum erat; ex forma nimirum regiminis ecclesiæ genevensis, quæ omnes religionis controversias per concilia dirimenda esse autumat (§. 463. 1.). Nec mora: convenerant authore vel saltem suasore Mauritio Dordraci delecti Batavorum, Hassorum, Anglorum, Palatinorum, Bremensium, Helvetorum theologi anno

1618. & sequenti, conciliumque illud celebrarunt, quod *Dordracenum* vocatur. Comparuerant in eo advocati, ut causam dicerent, sectæ arminianæ coriphæi, quibus ducis & oratoris loco præerat *Simon Episcopius* Arminii discipulus professor theologiæ Lugdunensis. Vix vero judices gravi & disserta oratione salutavit Episcopius, quum difficultates inciderent, quæ omnem concordiam impediebant; Arminianis enim placuit causæ suæ defensionem ab oppugnatione sententiæ calvinianæ exordiri, hoc ipsum vero judicibus synodi displicuit, qui censebant, adcusatis dogmata primum sua explicanda & probanda esse, antequam contra dissentientes disputarent. Quum adduci nulla ratione Arminiani poterant, ut judicibus consilii morem gererent, ex concilio dimittebantur de injuria sibi facta conquerentes: at judices synodi ne quidem auditos ex editis ab illis libris pestilentium errorum reos pronunciarunt, cui sententiæ consentaneum erat, ut ab ecclesiæ communione excluderentur, & docendi facultate privarentur. Peccatum hoc in concilio utrinque esse nemo fere negat, utra vero pars vitiosius egerit, nihil interest [1].

1. Interim hæc notari possunt: 1.) exitium sectæ arminianæ jam decretum fuisse, antequam concilium cogeretur, nec idcirco ea re congregatos fuisse concilii theologos, ut viderent, utrum ea tolerari possit, sed ut latam jamdudum sententiam cum adparatu quodam promulgarent, 2.) judices Arminianorum eorumdem & adcusatores & inimicos fuisse, conciliique præsidem *Jo. Bogermanum* odio familiæ hujus plerosque superasse, 3.) & Batavos & exteros theologos non habuisse libertatem sentiendi sed ex Principum & magistratuum suorum mandatis pronunciare debuisse, 4.) fidem Arminianis ad concilium convocatis datam, *liberum illis fore, ut proponant, explicent, defendant, quantum possent & necessarium judicarent, opiniones suas*, violatam esse.

§. 493. In Arminianos prædicto modo patriæ & religionis hostes declaratos severe animadvertebatur: omnes primum tam ecclesiasticis quam civilibus muneribus dejecti, doctores silere prorsus jussi, cui qui obedire noluere legi, in exilium missi, & aliis etiam pœnis affecti. Multi hinc Antwerpiam, alii in Galliam profecti, magna pars in Holsatiam migravit a *Friderico* Duce Holsatorum invitata, & elegans ibi oppidum *Fridericopolim* in provincia Slevicensi extruxit.

§. 494. Mortuo Mauritio anno 1625., cujus authoritate tantum malorum subierant, fratris ejus & successoris *Friderici Henrici* clementia exules Arminiani in patriam revocabantur. Redibant igitur illi, qui in Galliam & in Belgium hispanicum secesserant, cœtusque a reformatis distinctus variis in locis maxime Roterodami & Amstelodami collegerant, quo vero seminarium societatis & religionis suæ haberent, Amstelodami scholam illustrem condiderant, in qua duo doctores futuros religionis minis-

tros instituunt, quorum quidem alter disciplinas theologicas, alter historiam, philosophiam & linguas eruditas docet [1].

1. Muneribus his post Simonem Episcopium primum theologiæ arminianæ professorem publicum defuncti sunt viri eruditionis laude celeberrimi, quos inter præcipui sunt *Phil. Limborgius*, & *Jo. Clericus*. Limborgius discipulus *Vossii* & *Curcellai scripsit* theologiam Christianam pluries typis editam & translatam in belgicum, anglicumque sermonem, cessit e vita anno 1712. Clericus ob maximam librorum copiam a se editam in republica litteraria notissimus obiit anno 1736.

§. 495. Dissidebant, ut vidimus, initio Arminiani nulla alia re a reformatis, quam quinque illis de gratia & prædestinatione propositionibus (§. 489. 1.) & hanc unice ob causam in concilio Dordraceno damnati sunt. Ab hujus vero concilii tempore, multo etiam magis postquam exulibus in patriam remeandi facultas data est, novum plane & a Lutheranis, ad quos initio accesserant, diversum religionis genus profitentur, quam formam religionis & theologiæ etsi dicas ab ipso sectæ parente Arminio inventam fuisse, attamen perpolitam & in artem veluti redactam a Simone Episcopio fuisse constat, qui ad Socinianos deflexit. Universa Remonstrantium ratio ad hæc comparata est unice, ut Christiani multis licet de rebus dissentientes in unam veluti familiam colligantur. Ejus rei obtinendæ causa docent, Christum a suis haud poscere, ut multa *credant*, seu ut multa *agant*, & virtuti studeant, & hominis Christiani notionem latissime definiunt [1]. Constat hinc, cœtum Arminianorum familiam esse ex varii generis hominibus conflatum, nec stabilem quamdam & fixam religionis formam, seu *sistema* religionis proprie habere [2].

1. Is enim ex eorum mente est Christianus, qui 1.) libros divinos maxime novi testamenti pro religionis suæ norma recipit, quomodocunque etiam eos intelligas, 2.) a plurium Deorum cultu alienus est, 3.) vitam ducit honestam & legi divinæ convenientem, 4.) nullos a se in religione dissidentes, aut novum testamentum aliter quam ipse interpretantes vexat & lædit. Per hæc præcepta omnibus Christianorum sectis ad communionem Arminianorum liber patet aditus, exceptis Catholicis, hos enim ad communionem suam admittere nolunt, eo quod Pontificis adversarios injuriis afficere, & occidere justum esse putent (procul dubio rigor inquisitionis hæreticæ pravitatis in causa erat, quod Arminiani putaverint, omnes Catholicos adeo esse ineptos, ut existiment, hæreticos occidere esse licitum).

2. Ipsi quidem nolunt omnis vinculi expertes videri, & quamdam *confessionem fidei* ab Episcopio compositam monstrant, sed doctorum nemo huic formulæ ita alligatur, ut ab ea discedere nequeat, & vario modo interpretari: hinc de gravissimis religionis Christianæ dogmatibus diverso valde modo publici ejus interpretes præcipiunt, quod patet collatione scriptorum Episcopii, Clerici, Limborgii, aliorum. Nec ullam fere certam & constantem viam sequuntur, quam in dogmate de gratia & prædestinatione, id nempe quod majores suos ex reformatorum societate pepulit, longe licet alio modo quam majores asseverare omnes diligenter pergunt.

§. 496. Anglia *Guil. Laudo* (§. 478.) potissimum duce post concilium Dordracenum statim ad Arminianos defecit, & ad nostram memoriam latas in illo leges non tantum negligit, sed etiam contemnit & respuit. Ex Germanis nec Brandeburgici, nec Bremenses alligari doctores suos Batavorum opinionibus passi sunt. Igitur quæ Dordraci extingui debuisset libera de gratia & prædestinatione sentiendi facultas, vitam ibi potius viresque adquisivit [1]. ita vero ecclesia reformata subito in *Universalistas* (qui admiserant quamdam gratiam *universalem* omnibus communem), *Semi-Universalistas*, *Supralapsarios*, *Infralapsarios* (§. 475.) divisa fuit.

1. Ex ipsis Belgis Frisi, Zelandi, Trajectini, Groningenses, Geldri adduci nullo modo poterant, ut decreta Dordracena reciperent, ac licet ab his provinciis compluribus annis elapsis anno nimirum 1651. impetratum tandem sit, ut significarent, placere sibi religionem reformatam, prout in concilio Dordraceno est stabilita, integram servari & defendi, summi tamen jurisconsultorum Batavorum negant, sententiam hanc pro vera & perfecta lege haberi posse, inter quos est celeberr. *Conrad, Van - Bynckersœk* quæst. juris publ. lib. duo Lugd. Batav. L. 2. cap. 18. Imo observatur, medio seculo XVIII. elapso ipsam Genevam prope Arminianam factam fuisse.

§. 497. Sibi videbantur beati belgicorum cœtuum præfecti devictis & expulsis Arminianis, sed non licuit eis diu esse tranquillos; in tot enim intestinas lites post hanc victoriam inciderunt, ut per totum fere seculum Belgium scena quasi fuerit rixis referta. Omitto, quæ inter doctores quosdam de nonnullis quam religionis quam disciplinæ partibus disputata sunt (uti lis inter *Voetium* & *Maresium* de capilitiis, de fœnore, de ludis scenicis, & aliis minutis quæstionibus) & illa tantum adferre sufficiat, quæ aut totam ecclesiam, aut saltem insigniorem ejus partem commoverant. Hujus vero generis principes sunt controversiæ de *Carthesii* philosophia & *Cocceji* novis sententiis, & binas sectas *Coccejanorum* & *Voetianorum* genuerunt.

§. 498. Coccejana theologia & carthesiana philosophia nihil commune inter se habent, nec idcirco lites de illis per se & necessario connexæ sunt; ac sic tamen evenit, ut diversarum istarum disciplinarum alumni in unam sectam coalescerent, iidemque qui Coccejum sibi ducem sumpserant in theologia, Carthesium sibi in philosophia sequendum putaverint. Iidem nempe, qui Carthesianos presserant, Coccejum quoque & ejus discipulos insectati sunt, hinc necessitas quasi quædam imposita fuit tum Carthesianis tum Coccejanis, quo fortius causam suam contra tantam adversariorum multitudinem tuerentur, vires & opes suas jungendi [1].

1. *Voetiani* a Gisbertio Voetio celeberrimo Ultrajectinorum theologo nomen ac-

ceperunt, qui classicum veluti in hoc bello cecinit, & tam Carthesium, quam Coccejum oppugnandi plurimis author exstitit, quæ lites reformatos Batavos ultra dimidium seculi præsentis, etsi minus vehementer quam sub initium exercuerant.

§. 499. Carthesii philosophiam, quæ vix nata multis in Belgio formosior peripatetica videbatur, *Voetius* anno 1639. Trajecti Batavorum, ubi theologiam summa cum authoritate docuit, primum adgresus est, nec obscure læsæ majestatis divinæ oppugnavit. Vir immensæ lectionis & multifariæ doctrinæ, at mediocris facultatis de rebus abstractis sine errore judicandi cum alia in Carthesio Trajecti vivente reprehendit, tum per hæc potissimum ejus scita universam religionem everti metuit, quia docuit, 1.) ei qui philosophare incipit, dubitandum esse de omnibus rebus, proin etiam de Dei existentia, 2.) essentiam aut naturam entium spiritualium, proin & naturam Dei positam esse in cognitione, 3.) spatium reipsa non existere, sed imaginarium tantum esse. Purgabat se primo ipse Carthesius, postea disciputi etiam magistro auxilium tulerant, nova vero igni jam flagranti alimenta suppeditata sunt, cum theologorum aliqui philosophiam carchesianam ad declarandam theologiam transferrent, hinc anno 1656. *classes Batavicæ*, ut loquuntur, seu conventus doctorum in certis tractibus decreverant, non patiendum esse, ut imperiosa hæc philosophia theologiæ agros invaderet: quo judicio ipsi ordines Bataviæ commoti eodem anno lege publica philosophos severe monebant, ne vel Carthesii libros juventuti interpretarentur, vel ad philosophiæ placita scripturam sacram exponerent. Sequenti anno in conventu Delphensi decretum fuit, ne quis sacro muneri admoveretur, nisi fidem antea dedisset, se nec carthesiana scita propugnaturum, nec ejus sententias ad declarandum theologiam applicaturum. (*Frid. Spanhemius de noviss. in Belgio dissidiis.*) Sed cum ea, quæ prohibentur, appetere semper homines soleant, hæc omnia mandata non poterant impedire, quo minus carthesiana philosophia postremo stabilem sibi sedem in scholis compararet, & ad illustrandam theologiam adhiberetur, quocirca in binas antea memoratas sectas Belgium est scissum.

§. 500. His litibus ecclesiæ Belgicæ accedunt lites *Roellianæ*. Carthesiani nimirum quidam theologi, quorum caput Roellius trierat, anno 1686. humanæ rationi justo plus in rebus divinis tribuere videbantur [1]. Idem Roellius paulo post sedatam hanc primam pugnam anno 1689. nonnullis inusitatis opinionibus suspicionem haud parvam movit, insidias ab eo religioni strui. Negabat enim, quæ de generatione filii Dei in sacris litteris leguntur, proprie, id est, de generatione naturali sumenda esse [2].

1. Tota fere controversia binis his quæstionibus continebatur: 1.) utrum divina origo & authoritas scripturæ sacræ ex sola ratione probari queat? 2.) num scriptura sacra nonnulla nobis credenda proponat, quæ rectæ rationi repugnant? Primum adfirmavit, alterum negavit Roellius, contrarium vero statuit *Ulr. Huberus* maximi nominis jurisconsultus. Magna jam Belgii parte inflamata intercesserunt pro prudentia sua *Frisiæ* ordines, & utrique parti silentium impositum.

2. Nullam siquidem generationem proprie sic dictam concipi posse ajebat, in qua non fieret transitus a non esse ad esse, personam gignentem esse debere tempore priorem, denique personam genitam non posse esse non independentem a gignente. *Frisiæ* quidem magistratus, ne in provincia sua hæ lites propagentur, decretis providit, his vero reliqui Belgæ Batavi maxime contineri non poterant, ne & privatim & publice Roellium corruptæ veritatis damnarent.

§. 501. Philosophia carthesiana in causa quoque erat, quod *Balth. Beckerus* apud Amstelodamenses sacrorum minister a suis errorum incusatus sit; is enim ex carthesiana spiritus notione occasionem sumpsit, omnia quæ in sacra scriptura de dæmonis operibus insidiis, omnia item quæ de spectris, lemuribus & magia referuntur, plane negandi [1]. Commovit doctrina ejus non modo universum Belgium fœderatum, verum etiam quosdam doctores in Germania armavit.

1. Extat longum ejus & copiosum opus, quod inscripsit *mundum fascinatum* & anno 1691. primum edidit, quo quæcunque sacra scriptura de hominibus obsessis & dæmonum potestate refert in suum detorquet sensum contendens, dæmonem æternis vinculis constrictum in inferno jacere, ut egredi hinc & homines tentare nequeat. Carthesius scilicet spiritus essentia in *cogitando* collocavit, cogitando vero nihil eorum, quæ de dæmone referuntur, effici potest. Bekerus etsi docendi munere privatus, ita tamen anno 1718. diem obivit, ut constanter in sua manserit sententia.

§. 502. Helvetorum ecclesias gravis formido ab anno 1669. invasit, ne Gallorum *Amyraldi*, *Placæi*, & *Capelli* sententiis decreta synodi Dordracensis perverterentur (conabantur hi Dordracense decretum de prædestinatione *ante* prævisa demerita cum sententia contraria de prædestinatione *post* prævisa demerita sociare), Genevensium enim doctorum collegio tum temporis adscripti quidam erant viri doctrina insignes, qui & ipsi eas probabant, & invitis collegis persuadere aliis cupiebant. Quorum studiis ut modum ponerent, præcipui Helvetorum theologi anno 1675. libellum a *Jo. Henr. Heideggero* celeberrimo Tigurinorum theologo conscribi curarunt novis Gallorum præceptis oppositum, nec difficulter a magistratibus impetrarunt, ut iste communibus helveticæ religionis formulis publica authoritate adjiceretur. Dicitur vulgo *formula consensus helvetica*, verum hoc, quod pacis causa susceptum erat, consilium turbarum potius copiam produxit [1].

1. Multi enim negabant sibi fas esse, formulam illam adprobare, unde Basi-

leenses & Genevenses a *Friderico Wilhelmo* Brandeburgico anno 1686. graviter per litteras moniti eam abrogarunt. In ceteris provinciis authoritatem quidem suam aliquamdiu ægre retinuit, at nostra ætate omne fere prætium amisit.

§. 503. *Frid. Van-Leenhof* anno 1703. in Spinozismi incidit suspicionem, eo quod in libro, cui titulus, *cœlum in terris* docuerit, omnes mutationes & actiones creaturarum rationem sui habere in necessario & immutabili ordine naturæ iisque qui beate vivere cupiunt, nunquam esse dolendum, sed perpetuo gaudendum. Leenhofii liber multum habet similitudinis cum libro edito a *Sarasa*, quem inscripsit, *Arte de estar siempre alegre*. Recentissimæ inter reformatos lites sunt *Jac. Saurini* & *Paul. Matii*: ille si pauca demas minus apte enunciata hoc uno a communi docendi regula descivit, quod censuit, licere interdum mendacium magni cujusdam boni consequendi causa, alter Matii nimirum plus culpæ habuit; Trinitatis enim mysterium ut explanaret, finxit, filium & spiritum sanctum duas esse naturas finitas a Deo conditas, quæ certo tempore divinam sibi naturam junxerant [1].

1. Ceterum universim cum *Moshemio* notare possumus, notam caracteristicam, qua ecclesia reformata semper se distinguebat, & adhuc se distinguit ab ecclesia protestantica, eam esse, quod cœtus ejusdem nec eadem fidei confessione, nec hierarchia, aut regimine externo colligati sint. Unicum vinculum, quod cœtus ad ecclesiam reformatam pertinentes quodamodo in unum unit corpus, mutua est tolerantia, nam dissensiones, quæ copiosissimæ sunt in hac ecclesia, nihil impediunt, ne externa quædam communio inter illos subsistat, uti sola Anglia exemplo nobis esse potest, ubi gravissimæ Episcopalium & Presbyterianorum dissensiones nihil impediunt, quo minus mutuo se tolerent, & omnes ejusdem ecclesiæ membra censeantur.



MEMBRUM IV.

HISTORIA SECTARUM RELIQUARUM.

CAPUT PRIMUM

DE

ANABAPTISTIS, SEU MENNONITIS.

§. 504. *Anabaptistæ* nomen suum habent inde, quia illos, qui

ad ipsorum veniunt cœtum, rebaptizant. Mennonitæ vero dicuntur a celeberrimo illo homine, cui magnam partem fortunæ suæ debent. Moleste ferunt recentiores Mennonitæ, si Anabaptistarum nomen illis tribuitur; ajunt enim, *veteres* Anabaptistas hanc habuisse consuetudinem, ut ad illorum sectam venientes rebaptizaverint, ipsos autem hanc consuetudinem repudiasse (*Herm. Schyn hist. Mennonit. plenior deduct. cap.* 2.) [1],

1. Recentiores Mennonitæ ideo Anabaptistæ vocari nolunt, quia, ut ipsi prætendunt, ad se venientes non rebaptizant, sed hac in re fallunt. Fingunt scilicet, majores suos ideo vocatos fuisse *Anabaptistas*, quia adultos ad se venientes denuo baptizarunt. Atqui certum est, non modo hac de causa, sed eam potissimum ob rationem hoc illis nomen impositum esse, quod eos, qui qua infantes baptizati sunt, ecclesiæ membra facta fuisse negaverint, eaque re, si forte jungi vellent Anabaptistis, eos denuo baptizabant. Et in hac ad nostram usque ætatem sententia perseverant omnes eorum sectæ opinionibus licet & moribus valde inter se discrepantes, neque enim infantes solum, sed etiam adultos rebaptizant, imo quælibet Anabaptistarum secta ex aliis sectis sui generis ad se venientes denuo baptizat, quia quælibet secta unice suum baptismum validum esse censet. Sapientiores his sunt *moderatiores* Anabaptistæ, seu *Waterlandi* ut adpellantur, utpote qui non adultos sed infantes tantum rebaptizant, at tegunt hunc morem, quem inficiari nequeunt, cautissime sectæ patroni, quia metuunt recentiores Mennonitæ, ne invidia reviviscat, & flagitiosorum Anabaptistarum posteri videantur, si quod res est aperte faterentur.

§. 505. Incertæ & obscuræ sunt hujus sectæ origines: ex improviso enim dissimilis ingenii & animi authoribus in variis Europæ provinciis orta est. Hodierni Mennonitæ majores & antecessores suos *Waldensium* progeniem fuisse somniant, adversarii eorum contra contendunt, posteros eos esse turbulentorum & amentium Anabaptistarum, qui tot calamitatibus & bellis Germaniam, Bataviam, Helvetiam, maxime Westphaliam seculo XVI. afflixere, at sociorum supliciis [1] territos *Mennone Simonis* authore paulatim saniorem animum induisse. Veterum autem turbulentorum Anabaptistarum author Nicolaus Storkius, & Thomas Münzerus fuisse perhibetur.

1. Variis enim in regionibus Anabaptistæ illi turbulenti extremo supplicio affecti sunt. In Saxonia leges in hoc genus hominum scriptæ sunt anno 1525, repetitæ dein sæpius annis sequentibus. *Carolus V.* Imp. anno 1527. & 1529. crescente multorum hujus agminis improbitate severa in eos edicta tulit (*Ottii Annal. Anabapt. pag.* 45.). Helveti mitissime primo cum Anabaptistis suis egerant, at quum hac lenitate multi audaciores fierent, Tigurini primum anno 1525. capitis pœnam illis dictabant. Notandum tamen, non omnes Anabaptistas tanquam cives seditiosos extremo supplicio traditos fuisse, sed aliquibus ex iis tanquam *hæreticis immedicabilibus* id contigisse, quoniam illa ætate putabatur, ob solam hæresim pœnam mortis infligendam esse. Accedebat apud hos, quod qua *sacrilegi* & profanatores sacramenti haberentur, dum mox adultos, mox parvulos rebaptizarent.

§. 506. Erant in Anabaptistarum numero homines mirabiliter

delirantes, qui vero ratione omni ex illis destituti non erant, hæc tradiderunt, 1.) ecclesiam Christi peccati omnis expertem esse debere, 2.) bonorum communitatem & æqualitatem omnium introducendam, 3.) fœnus omne, decimas, tributa esse abroganda, 4.) infantum baptismum dæmonis inventum esse, 5.) docendi potestatem omnes habere Christianos, hinc sacrorum ministris carere posse ecclesiam, 6.) neque opus esse in regno Christi magistratibus civilibus, 7.) Deum adhuc per somnia & visa voluntatem suam certis hominibus patefacere. Suam ob doctrinam majestati civili inimicam cum ubique & fere quotidie ad necem raperentur, magno solatio & auxilio erat *Menno Simonis* Frisius, Catholicus antea presbyter isque, quod ipse non diffitetur, flagitiosus. Hic clam primum ad Anabaptistas defecit, anno 1536. vero relicto munere sacro aperte, & anno 1537. precibus adduci se passus est ad doctoris inter eos munus sustinendum [1].

1. Ab hoc tempore ad vitæ usque finem per quinque fere lustra plurimas regiones cum uxore & liberis perpetuas inter calamitates & quotidiana vitæ pericula peragrabat, totque sectæ suæ asseclas adjecit, ut communis fere omnium Anabaptistarum magister & parens ad nostram usque ætatem non immerito dicatur.

§. 507. Amentia illa fanatica ope Mennone Simonis inter Anabaptistas compressa, universam religionem ex sola scriptura hauriendam esse omnes sectæ hujus patroni consenserunt, ideo *confessiones fidei* ipsis pene verbis sacræ scripturæ concinnari curaverant. Princeps harum confessionum & tempore & dignitate illa est, quam *Waterlandi* (de quibus mox infra) adhibent. Ne vero quis putet in suis confessionibus eos omnia sua dogmata expressisse, quæ enim saluti publicæ noxia sunt de magistratu maxime & jurejurando, cautissime abscondita sunt. Quod si quis confessiones illorum perscrutatur, inveniet in iis scita quædam, quæ illos ab omnibus ceteris Christianorum sectis discernunt. Quæ omnibus Anabaptistis communes sunt sententiæ, hoc principio tanquam cardine suo vertuntur: *In ecclesia Christi nullis, nisi sanctis & piis hominibus locus est*, ex quo principio inferunt, 1.) ut nullus sit membrum ecclesiæ, nisi jam adultus, & rationis compos; infantes enim utrum pii sint futuri, aut impii incertum est, nec promittere etiam ecclesiæ vitæ sanctimoniam possunt, 2.) arguunt, nec opus esse magistratum admittere, nec suorum aliquem magistratus munere fungi patiuntur, mali enim ubi nulli sunt, ibi nec magistratibus opus est, 3.) vim vi depellere & bella gerere illicitum esse; nam cum sancti ac pii injuriis affici nequeant, nec ipsi alios lædant, armorum auxilio non indigent, 4.) a pœnis & suppliciis omnibus, maxime capitalibus abhorrent, pœnæ nimirum sceleratis oppositæ sunt, Christi vero civitas caret

omni scelere, 3.) negant juramentum licitum esse, nec enim fallunt, aut veritatem dissimulant sancti [1].

1. Ideo morum disciplinam habuere Mennonitæ dogmati huic consentaneam, id est, austeram: nam qui ecclesiam ex solis sanctis componi censent, illis imprimis est vigilandum, ne qua species improbitatis vitam suorum deformet, hinc antiquitus in suis ferre nolebant, quos victu & amictu a simplicitate aberrare, & plura quam vitæ necessitas postulat, requirere cernerent. Sed antiquæ hujus severitatis maxima pars periit, postquam opes mercaturam faciendo adquisiverant. Illi, qui ab urbibus semoti vivunt, vitam suorum majorem austeram adcuratius servant.

§. 508. Litteras, & quiquid doctrinæ nomine venit, imprimis philosophiam tota Anabaptistarum secta veræ religioni, ac pietatis incremento noxiam esse olim existimabat. Servant hanc majorum opinionem ad nostra tempora severiores Mennonitæ, spretoque ingeniorum cultu artibus, opificibus, & mercaturæ se tradunt, molliores vero ut supra ceteros multis rebus eminent, ita hac etiam parte meliores sunt [1], at in hac tamen sententia perseverant, theologiam puram & illibatam servandam, & philosophiæ præceptis haud temperandam esse.

1. Patiuntur enim suorum nonnullos linguarum cognitioni, historiæ, antiquitati, maxime vero arti medicæ, cujus utilitatem inficiari nequeunt, in academiis operam dare. Nostra ætate hi ipsi leniores Mennonitæ philosophiam etiam consectantur, rebusque humanis utilissimam judicant, nam medio hoc seculo elapso scholam *Amstelodami* condiderant, in qua vir doctus philosophiæ professoris munus sustinet.

§. 509. Stabilem primum & quietam sedem Mennonitis in fœderatis Belgiæ provinciis paravit Guilielmus Arausionensis, immortalis ille libertatis Batavæ vindex, quem rerum, quas maximas susceperat, gerendarum nervis destiturum anno 1572. ingenti pecunia juvarunt. Sed lento admodum gradu fructus beneficii hujus ad omnes, qui Belgium incolebant, pervenit; repugnabant enim diu voluntati Principis tum magistratus tum sacrorum ministri. Expugnata sunt hæc impedimenta partim *Guilielmi* & *Mauritii* constantia & authoritate, partim Mennonitarum ipsorum virtute, qui fidem erga rempublicam magnis probarunt exemplis, & majori in dies studio cavebant, ne quem male suspicandi locum adversariis adperirent. Plena pax demum anno 1626. illis data est, postquam a flagitiis & exitiosis erroribus, quorum arguebantur, per oblatam *confessionem* denuo se purgarunt.

§. 510. Etsi vero a Belgis fœderatis reipublicæ civibus sint adscripti, diu tamen ab Anglis, Helvetis, Germanis nec precibus nec rationibus obtinere poterant, ut idem facerent, legesque in eos latas revocarent. Versabantur semper ante oculos magistratuum

facinora veterum Anabaptistarum, nec credibile videbatur, homines tales boni cives officio fungi posse, qui negant, Christianum licite jurare posse, & qui putant, nullum in regno Christi magistratibus & pœnis civilibus locum esse, quare etiam seculo XVII. non pauca colligi possunt exempla Anabaptistarum, qui aut ultimo supplicio, aut aliis pœnis affecti sunt. Tandem vero pluribus probitatis suæ in magistratum civilem testimoniis editis non inter Belgas tantum, sed etiam Anglos [1], Germanos, Borussos quiete vivere ipsis datum.

1. Inter Anglos, qui baptismum infantum abjiciunt, non *Anabaptistæ*, sed *Baptistæ* tantum dici volunt. Verosimile est hos Baptistas a Germanis & Batavis originem ducere, atque eadem omnes olim quæ Mennonitæ sensisse, hodie vero multis rebus a Menonitis reliquis differunt.

§. 511. Pacem hanc *externam* parum stabilem & firmam fore Mennonitæ putabant, nisi discordiæ intestinæ & veteres tollerentur [1]; medio enim jam seculo XVI. authoribus potissimum *Leonhardo Baubensonio*, & *Theod. Philippi* vehemens inter eos dissensio de *excommunicatione* est exorta. Statuerant hi, peccatores etiam illos, qui jam pœnitentiam egerant, non solum ab ecclesia communione, sed etiam a consuetudine cum uxore, liberis, cognatis esse arcendos. Atqui multis Anabaptistarum justo durior & inhumanior hæc sententia videbatur, igitur subito in duas sunt divisi sectas, quæ *subtilium* & *grassorum*, id est, *severiorum* & *moderatiorum* nominibus adhuc distinguuntur [2]. Menno pacem quidem suis reddere studuit, sed quum id fieri nullo modo posse cerneret, inter binas illas sectas quomodo ad obitum usque fluctuavit.

1. Causa, ob quam Anabaptistæ ab ipsis initiis multo magis, quam aliæ Chris-
tianorum sectæ, inter se dissenserint, fuit contemptus scientiarum & ignoran-
tia, quam inter felicitatis suæ instrumenta eorum majores referebant, quod
quisque facile dederit, qui causas dissensionum inter eos perspexerit; plerum-
que enim non tam de natura dogmatum, quam de eo, quod justum vel in-
justum, licitum vel illicitum haberi debeat, vehementer certarunt. Sanctita-
tem nimirum & morum probitatem unicam veræ ecclesiæ notam caracteris-
ticam esse volebant: sanctum vero quid esset, quid non esset, non ratione &
judicio, non sacræ scripturæ recta interpretatione, sed sensu potius & opinio-
ne definiebant.

2. Grassorum seu mollium major pars primum constabat ex incolis tractus Hol-
landiæ borealis, quæ Waterlandia dicitur, hinc tota secta *Waterlandorum*
nomine insigniebatur. Severiorum plerique Flandri erant, quæ tota familia
Flandrorum etiam, seu *Flamingorum* nomen tulit.

§. 512. Subtiliores Anabaptistæ rursus præter minores & obscuriores sectas duas habent majores *Groninganorum*, qui sic vocantur, quia certis temporibus Groningæ conveniunt, & *Dantiscanorum*, seu *Borussorum*, qui hoc nomine utuntur, quod mores

& disciplinam Borussorum adoptarunt. Sunt hi omnes fideles discipuli *Mennonis*, ejusque dogmata de carne Christi, de lavandis ex mandato Christi advenarum pedibus, de peccatoribus, vel a veteri simplicitate declinantibus peste cautius vitandis, & ab ecclesiæ communione excludendis, de doctrinæ contemptu custodiunt [1].

1. Habent hi Anabaptistæ primum *episcopos*, qui semper in senatu ecclesiastico præsident, solique potestatem habent baptismum & sacram cœnam administrandi, deinde *doctores*, qui verba pro concione faciunt, , denique *diaconos*, ex quibus tribus ordinibus sacer senatus compositus est. Res majores in fratrum conciliis proponuntur, omnes vero sacrorum ministri suffragiis fratrum creantur, & precibus manuumque impositione exceptis diaconis consecrantur.

§. 513. Inter minores rigidorum seu subtiliorum sectas illa est nacta celebritatem, quæ ab authore suo *Uke Walles* dicta est *Ukewallistarum*. Homo rusticus & rerum omnium rudis non modo priscam Mennonis disciplinam illibatam permanere cupiebat, verum etiam anno 1637. cum *Jo. Leus* de salute Judæ & eorum, qui violentas Christo manus injecerant, bene sperandum esse docuit [1]. At hoc commentum nec Mennonitæ, nec Groningenses magistratus tulerant; nam ab illis communione sacrorum privatus, ab hoc autem solum vertere jussus est. Migravit igitur in vicinam Frisiam orientalem, nec paucos sibi discipulos collegit, quorum posteri in agro Groningensi, Frisia, Lithuania, Brussia separatos a ceteris Mennonitis conventus agere cœperant [2].

1. Huic opinioni ut firmitatis aliquid, & dignitatis compararet, fingebat, illud tempus, quod a Christi nativitate ad Spiritus S. descensum pertinet, & vetus testamentum a novo disterminat, tempus fuisse caliginis & ignorantiæ, in quo lumen omne & auxilium divinum Judæis defuit, ex quo confici voluit, peccata quæ hoc intervallo ab iis commissa sunt, maximam excusationem habere, nec idcirco graviter a justitia divina vindicari posse.

2. Utrum illam, quæ magistro tot molestias conflavit, sententiam profiteantur, non liquet, quia parum cum aliis commercii habent. Hoc autem constat, illos fideliter Mennonis vestigia sectari, si quis ex aliis Christianorum cœtibus ad eos se confert, denuo baptizari debet, vestitus rusticus est, imo rustico vilior, barba prolixa, capilli horridi, facies tristissima, supellex una cum domo talis, qualem summa exigit necessitas, pedum lotionem divinis ritibus adnumerant, scientiasque omnes maximo odio habent.

§. 514. Waterlandi seu grassiores Mennonitæ anno 1630. cum magna parte Flandrorum, Germanorum, & Frisorum societatem sacrorum inierunt. Hi anno 1664. in duas sunt scissi factiones, quarum altera *Galenistarum*, altera *Apostolicorum* adpellatur. *Galenus* Abrahamus de Haan medicæ artis doctor & inter Mennonitas Amstelodamenses sacrorum minister christianam religionem Arminianorum exemplo non tam credendi, quam bene vi-

vendi disciplinam esse dictabat, omnibusque ad Mennonitas aditum adperire voluit, qui modo sacram scripturam reciperet, & honeste viveret. Contra hunc præter alios *Samuel Apostool* Amstelodamensis pariter cœtus celebris doctor insurrexit.

§. 515. Inter Anglos qui baptismum infantum abjiciunt, non Anabaptistæ, sed *Baptistæ* tantum dici volunt. Verosimile est, eos a Germanis & Batavis originem ducere, atque eadem omnes olim, quæ Mennonitæ sensisse, successu temporis vero multis in rebus a Mennonitis reliquis dissentire cœperant. Dividuntur autem universim in binas sectas, quarum altera familia *Baptistarum generalium*, seu *Remonstrantium* adpellatur, quia Deum neminem salute æterna libero quodam decreto exclusisse arbitrantur: altera *Baptistarum Calvinianorum*, seu *particularium* vocatur, quia proxime ad Calvinianorum, seu Presbyterianorum sententias accedit [1].

1. Posterior secta *Londini* potissimum & in vicinis oppidis moratur, atque a majorum suorum scitis ita recessit, ut nihil fere cum Anabaptistis reliquis commune habeat, si unum illud demas, quod solos adultos baptizet, & totos in aquam immergat, proin admittunt, Christianum jubente judice jurare, bella gerere, & publico officio fungi posse. *Generales* Baptistæ, seu ut nonnullis audiunt, *Anti-Pædobaptistæ* per multas Angliæ provincias magno numero dispersi ex hominibus constant humilis conditionis & illitteratis, litteras enim & doctrinam veterum Mennonitarum more contemnunt.

CAPUT SECUNDUM

DE

QUAKERIS.

§. 516. Qui Anglorum sermone *Quakeri* (Tembladores) vocantur, latine sunt *trementes*, seu *tremuli* [1]. Ortus sectæ in illa incidit Anglorum tempora, quibus bello civili ardebant omnia, & ex latebris suis in publicum prodibant, quicunque vel civitatis, vel religionis novam formam animo conceperant. Parens ipsorum erat *Foxus* sutor ad somnia sibi fingenda pronus; is enim jam anno 1647. cum 23. annos natus esset, Angliæ quasdam provincias percurrebat, plenum sese numine dictitans. *Carolo* I. interfecto cum & sacræ & civiles leges una extinctæ viderentur, majora audebat, plurimos enim ejusdem ingenii homines utriusque sexus discipulos & amicos nactus universam cum illis Angliam concitavit, imo anno 1650. publicos ad Deum colendum conven-

tus tanquam inutiles & parum Christianos, ubi poterat, disturbavit, qua de causa & ipse & socii in carcerem conjecti & a judicibus castigati sunt.

1. Imposuit eis hoc nomen anno 1650. *Gervasius Bennetus* judex Derbiensis, utrum ideo, quod toto corpore contremiscerent, antequam dicendi de rebus sacris initium facerent, an vero propterea, quod Foxus & socii ejus dicerent verbis Apost. Pauli, cum *timore & tremore* salutem operandam esse, non satis liquet. Ipsi patiuntur interim hoc se vocabulo, modo recte intelligatur, adpellari, malunt tamen a primario dogmate suo *filii*, seu *confessores lucis* nominari. Sermone familiari se *amicos* vocare solent.

§. 517. Prima hæc Quakerorum familia ex hominibus magnam partem constabat emotæ mentis & fanaticis, multaque ideo commiserat, quæ ipsi postea moderatiores Quakeri excusarunt quidem, at probare & laudare non poterant. Plerique enim viri fœminæque vehementer in omnes religiones declamarunt, cultum publicum, sacrorumque ministros exquisitis contumeliis invaserant, magistratuum leges prætextu religionis & divini instinctus contempserant, quare nihil mirum est, multos stultitiæ suæ pœnas dedisse [1]. Paulatim vero, ut fit, familiæ hujus fanatismus disparuit, & divina illa lux, qua se jactabant, gradatim turbare civitatem desiit. *Carolo* II. deinde regnante & religio & disciplina illorum formam magis stabilem & certis finibus descriptam obtinuit, in quo Foxus cura & studio Roberti *Barclaji* equitis Scoti, Georgii *Keithi*, & Samuelis *Fiseri* virorum eruditorum, qui se ei adjunxerant, potissimum adjutus est; hi enim triumviri vagam & indeterminatam Foxi hominis illitterati disciplinam sub certas leges revocarunt.

1. Ipse Cromwellius nulli ceteroquin sectæ inimicus turbulentam tamen hanc multitudinem timuit, & opprimendam esse primo statuit, cum autem suis minis eam potentiorem esse cerneret, prudenter se continuit, idque unum sibi providendum esse putavit, ne seditionem in populo commoveret. *Clarendonius* certe in historia bellorum civilium Angliæ Tom. 6. refert, Quakeros semper Cromwellio inimicissimos mansisse.

§. 518. Diu tamen Quakeris jam sapientioribus, & quietioribus plus calamitatum in Anglia sustinendum fuit, quam primi furentes & turbulenti sustinuerant, non tam religionis, quam morum & consuetudinum causa: mali enim & periculosi cives videbantur, & qua tales malis afficiebantur, quia recusarunt magistratus honorificis vocabulis compellare & decenter salutare, jurejurando fidem Regi pollicere, & decimas sacro ordini solvere. Sub *Jacobo* II. lætioribus uti fatis maxime ab anno 1685. inceperant, quod quidem celeberrimo *Wilhelmo Penn* debebant, cujus opera Rex in maximi momenti negotiis utebantur. *Wilhelmus* III. demum Angliæ Rex, qui omnibus sectis pacem dedit, etiam huic genti frui libertate permisit.

§. 519 Dum adhuc premebantur in patria, scita sua in alias gentes disseminare studebant. Tentata est Germania, Brussia, Gallia, Italia, Græcia, Batavia, Holsatia, verum vano plerumque labore. Exorare tamen se postremo Batavi passi sunt, ut habitandi apud se licentiam familiis quibusdam concederent. In Americam multi non diu post initia sectæ suæ jam profecti sunt, postea vero singulari fato contigit, ut in illa orbis parte libertatis & fortunæ quasi domicilium hæc secta nacta sit [1].

1. Wilhelmus enim Penn filius præfecti classis anglicanæ, qui anno 1668. quakeriana scita adoptavit, anno 1680. a Carolo II. & senatu regni ampla in America provincia tunc temporis inculta donabatur, ut præmium, quod patris sui meritis respublica debebat, hac ratione persolveretur. Is homo minime hebes & præterea dissertus in novum regnum suum Quakerorum coloniam duxit, & rempublicam ibi condidit. Dominabantur in ea Quakeri, cives vero adscribi poterant omnes, qui unum Deum profitentur. Provincia universa a Domino *Pensylvaniæ* nomen accepit, urbs vero ejus primaria *Philadelphia* est vocata.

§. 520. Foxo adhuc vivente inter Quakeros & alios sæpe orta sunt dissidia non de religione quidem, sed de disciplina & moribus, quæ tamen plerumque brevi tempore componebantur, mortuo vero anno 1691. Foxo cum alii, tum Georg. Keitus imprimis totius sectæ facile doctissimus fores adperuerant gravioribus turbis. Keithus nempe sectæ suæ sociis in Pensylvania tum de aliis rebus, tum præprimis de humana Christi natura male sentire videbatur; statuit enim, duplicem esse Christo naturam humanam, alteram cœlestem seu spiritualem, alteram terrestrem seu corpoream. Fortassis hunc errorem moderare tulissent, nisi ipse Keithus vicissim fratrum Americanorum mirabiles opiniones vehementer reprehendisset, & imprimis historiam vitæ Christi in allegoriam seu symbolicam explanationem officiorum, quæ religio exigit, converti ab illis noluisset. In Europa quidem non ausi sunt Quakeri veritatem historiæ Jesu Christi inficiari, at in America ubi nihil timendum est aperte id facere non dubitarunt. Lis hæc in nonnullis conciliis totius sectæ in Anglia disceptata & ad ipsum anglicanum senatum delata postremo anno 1695. ita est terminata, ut Keithus sacrorum communione semoveretur. Ipse hac injuria permotus elapsis aliquot annis ad anglicanam rediit ecclesiam, cujus membrum obiit.

§. 521. Conveniunt quidem Quakeri diebus illis, quibus vulgo reliqui Christiani religionis nomine, sed nec dies festos celebrant, nec ceremoniis & ritibus utuntur [1], nec institutis & legibus religionem, quam totam in cultu Christi in animo latentis collocant, alligari patiuntur. Docendi & prædicandi facultatem, quibus placet tam viris quam fœminis, tribuunt [2]. Morum, quam

sequuntur, doctrina supra omnem modum austera est, hisque binis præceptis maximam partem absolvitur, 1.) voluptates omnes aut plane esse fugiendas, aut si omnes per naturæ leges vitari nequeunt, ratione esse temperandas, 2.) nefas esse receptos vulgo mores imitari, hinc consuetudine vivendi & ipsa forma ab aliis facile dignoscuntur [3].

1. Preces nimirum, hymnos, reliqua, quibus ceterorum Christianorum conventus publici distinguuntur, nesciunt & repudiant, quia non eum orare putant, qui conceptis verbis & formulis animi sui sensa enunciat, sed qui mentem colligit & *mysticorum* more totus in semetipsum descendit. Nec baptismo nec sacra cœna utuntur, utrumque enim hoc institutum judaicum & a Christo olim ideo tantum adhibitum fuisse putant, ut per figuras spectabiles animæ internam purgationem in baptismo & alimenta spiritualia in sacra cœna ante oculos poneret.

2. Ajunt enim, homines iis, in quibus Christus loquitur, & vivit, facultatem fratres instituendi adimere non debere. Non quidem necesse est juxta Quakerorum placita, ut in ipsorum conventibus aliquis verba ad populum faciat, at quoniam *muti* ejusmodi conventus hostibus ipsorum cavillandi & ridendi occasionem præbuerant, consultius duxerant, certos & determinatos constituere verbi divini præcones.

3. Non enim salutant obvios, non compellunt alios humanis & officiosis verbis, nullam externam exhibent reverentiam magistratibus aut aliis in dignitate positis, non defendunt vitam aut bona aliorum ab injuriis, non confirmant aliquid jurejurando, non implorant judices contra eos, a quibus læduntur, contra ipso oris habitu, vestitu prorsus agresti & simplici, sermone, cibo & ejusmodi se ab aliis distinguunt. Adsunt tamen testes spectatæ fidei, jam multum defecisse ab hac rigida regula Quakeros, Anglos maxime, qui mercaturam exercent.

§. 522. Sub initium secta hæc omnem gubernationem ecclesiasticam respuebat, procedente vero tempore duces ejus animadverterant, ecclesiam suam sine legibus & præfectis stare nullo modo & confussionem effugere posse. Itaque collegia seniorum constituta sunt, quæ omnes difficultates & dubia expediunt [1]. Quotannis *Londini* hebdomada festum pentecostes antecedente concilium totius ecclesiæ celebrant, ad quod omnium cœtuum legati veniunt, & in hoc concilio graviores causæ dirimuntur.

1. His collegiis qui matrimonium inire statuunt, nomina sua indicare jubentur, his dies nativitatis & mortis membrorum societatis denunciatur, his qui verba ad populum facere volunt, sermones suos nonnullis in locis scriptos exhibere debent, ut judicent, num lucem ferre queant? neque enim, quod olim licuit, unicuique cui placet ubique declamare ad populum est integrum, postquam multorum ineptissimæ orationes ludibrium sectæ peperunt.

CAPUT TERTIUM

DE

SOCINIANIS.

§. 523. *Socinianis* nomen est ab illustri *Sozzinorum* gente, quæ *Senis* nobilissima Hetruriæ urbe diu floruit, eximiosque viros protulisse dicitur; ex hac enim familia *Lælius Socinus* & *Faustus Socinus* prodiere, qui sectæ parentes vulgo putantur [1]. Lælius *Mariani* jurisconsulti celeberrimi filius e patria anno 1547. annum 22. agens egressus varias regiones Galliam, Angliam, Bataviam, Germaniam, Poloniam peragravit, sententias eorum, qui ab ecclesia Romana defecerant, ubique diligenter exquirens. Postremo Tiguri Helvetorum consedit, ibique anno 1562. nondum 40. annos natus mortuus est. Faustus Socinus vero fratris ejus filius & hæres ex scriptis ab ipso relictis ejus sensa circa religionem hausit, iisque vulgatis sectam collegit [2].

1. Præcessit enim Socinos *Michael Servetus* natione Hispanus, Villæ novæ in Aragonia natus, professione medicus (Hispanorum more dictus est *Servede*, postremam si abjicias hujus nominis syllabam, manet *Serve*, quod sibi nomen ipse Servetus in fronte librorum suorum tribuit. Dixit etiam sese omisso nomine gentilitio a patria aut Michaelem *Villanovanum*, aut simpliciter Villanovanum). Is primum editis anno 1531. libris septem *de Trinitatis erroribus*, & anno 1532. *dialogis duobus de Trinitate* Christianorum sententiam de mysterio Trinitatis audacissime invasit. Deinde quum in Galliam se contulisset, atque varios post casus *Viennæ* sedem fixisset, ubi artem medicam feliciter exercuit, novum religionis genus excogitavit, quo libro clam Viennæ anno 1553. vulgato, cui nomen fecerat, *Restitutio christianismi*, complexus erat. Favere ejus consiliis multa videbantur, sed extinxit omnes spes Calvinus, qui ex viennensi carcere fuga elapsum (postquam ibidem detectum fuit, illum authorem fuisse libri inscripti, *Restitutio Christianismi*) & ex Gallia in Italiam proficisci volentem in transitu per Genevam anno 1553. comprehendi & tanquam in Christum blasphemum accusari curavit. Cujus quidem accusationis hic erat exitus, ut Servetus errores suos ejurare nolens tanquam pertinax vivus combureretur (viguit enim Genevæ ea ætate jus vetus criminale *Friderici* II. Imp. pœnam mortis in hæreticos statuens). Vix calere desierant Serveti cineres, cum multi contra Calvinum, etiam ipsius sectæ addicti, insurrexerint, eumque crudelitatis incusaverint, eo quod ipso agente Servetus combustus sit. Ergo ad litterarium certamen deventum, quærique scriptis publicis de hæreticis pœnis cœptum, quibusdam coercendos quidem, sed non ultimo supplicio afficiendos asserentibus, at Calvinus hæreticos pœna gladii coercendos esse prætenderat, cui libellum opposuit *Castellio* sub nomine *Martini Bellii*, respondit ei *Theod. Beza*, ut Calvinum scribendis in Genesim commentariis intentum ea cura liberaret. Sed & ex Protestantibus hac in sententia multi contendere, quos inter ipse etiam fuit Melancthon, mitis ceteroquin animi.

2. Vox *Socinianus* in duplici sensu adhiberi solet, nimirum in *proprio* aut angustiori, & *improprio* seu latiori; nam in sensu latiori omnes illi vocantur Sociniani, qui Socinianorum sententias *[illegible]* docent, maxime tres in Deitate personas & Christi divinitatem aut prorsus negant, aut labefactant. Illi

vero arctiori sensu hoc nomine insigniuntur, qui eam religionis formam aut totam aut maxima ex parte probant, quam Faustus Socinus sive excogitavit, sive a patruo Lælio Socino excogitatam ornavit & *Unitariis*, ut ipsi volunt adpellari, in Polonia & Transylvania degentibus commendavit. Post Faustum Socinum sectæ hujus defensores & propagatores præcipui erant Joannes *Crellius*, Jonas *Slichtingius*, Jo. Ludov. *Wolzogenius*, & *Sandius* uterque, quorum opera (excepto Sandio) in unum corpus redacta sunt sub hoc titulo: *Bibliotheca fratrum Polonorum, quos Unitarios vocant*, prodeunte anno 1656. *Irenopoli* fictitio nomine *Amstelodami* tomis 8. comprehensa.

§. 524. In principio seculi XVII. res Socinianorum multis rebus satis solide fulta videbatur, nec enim tantum in Transylvania & Siculia liberrima utebatur facultate conventus celebrandi, verum etiam in Polonia illustrem *Racoviæ* scholam, typorum officinam, cœtus plurimos, patronos ex primi ordinis viros haud paucos habuit. Prospera hac fortuna elati in id incumbebant, ut sectam amplificarent, & in aliis terris asseclas invenirent, & ex pluribus manifestum est testimoniis, in Batavia, Anglia, Germania Socinianorum Polonorum legatos versatos esse, atque inter potentiores & litteratos discipulos quæsivisse [1].

1. Reliquæ nempe sectæ cum plerumque in populo sibi amicos colligere student, hæc secta singulare id & proprium habet, quod fœminarum, rudium, & inferioris ordinis hominum amicitiam haud magnopere consectetur, sed aut nobilibus, aut rationis usu valentibus viris ante omnia se probare studeat, eo quod rationis lumini omnia tribuat, sibique pro fundamentali constituerit hanc regulam: *omnia religionis capita ad trutinam rationis revocanda esse.* Pervulgatum quoque sunt inter Socinianos adagium sequentes versiculi:

> Tota urbis Babylon destruxit tecta Lutherus
> Muros Calvinus, sed fundamenta Socinus,

ubi per urbem Babylon Romam seu ecclesiam Romanam intelligunt.

§. 525. Harum autem legationum eventus, hominibus licet tam genere quam ingenio nobilibus creditæ essent, votis eorum haud respondit. Nullibi se certior spes lætioris successus ostendit, quam in Altorfina Noricorum academia; in hac enim *Ernestus Sohnerus* medicus & philosophus peripateticus imprimis subtilior quam oportet, & philosophiæ ibidem professor, qui in Belgio vivens Socinianis se junxerat, sociniana dogmata auditorum animis tanto facilius instillavit, quanto majori tam doctrinæ quam pietatis opinione valuit. Illo vero mortuo anno 1612. nascens hæc familia sociniana capite & magistro suo orbata tam calide res suas instituere non poterat, ut vigilantiam ceterorum academiæ doctorum falleret, & re anno 1616. patefacta magistratus norici authoritate secta dissipata est.

§. 526. Sed neque in Polonia diu sublimi, quod posita videbatur, stare loco secta sociniana potuit. Fulcra quibus maxim

nitebatur, jam anno 1638. decreto comitiorum reipublicæ subducebantur; hoc enim anno cum studiosi quidam scholæ Racovianæ ligneam Christi crucifixi statuam proterve lapidibus peterent & dejicerent, facinus hoc Catholici tam severe ulciscebantur, ut scholam Racoviensem dirui, doctores cum infamia in exilium mitti, typorum officina destrui, & templum socinianum claudi lege juberetur, quæ omnia quidquid etiam magni sectæ hujus patroni contra molirentur, perfecta sunt.

§. 527. Nuncia erat hæc calamitas tempestatis illius, quæ post viginti annos omnes fortunas & opes Socinianorum evertit; in comitiis enim anni 1658. *Varsoviæ* celebratis Sociniani omnes per universam Poloniam sparsi patria excedere jubebantur, & pœna capitis in eos sancita est, qui vel dogmata eorum profiteri, vel eis hospitium præbere auderet. Proscriptis triennium ad divendenda, quæ possederant, bona permissum fuit, at paulo post ad biennium restrictum [1].

1. Exulum pars quædam in Transylvaniam comeavit, quæ tota fere variis mo-
dis periit, alii per vicinas Poloniæ provincias Silesiam, Marchiam, Borussiam
dispersi sunt, quorum adhuc posteri passim restant inter varias Europæ gen-
tes conventus clandestinos celebrantes. Nonnulli eorum Arminianis, alii Men-
nonitis illis, qui Galenistæ dicuntur (§. 513.) adscripti sunt: nam neutra ha-
rum sectarum a suis exigit, ut, quid de rebus divinis sentiant, clarius ex-
plicent.

CAPUT QUARTUM

DE

SECTIS QUIBUSDAM MINORIBUS.

§. 528. Quum in Belgio turbæ Arminianæ fervverent, anno
1629. illud hominum genus exortum est, quod Rhenoburgi in
Batavia bis quotannis sacros conventus suos celebrat, & *Collegian-*
tium nomine est notissimum. Authores instituti erant tres fratres
Koddæi, seu Van der Kodde Joannes Jacobus, Hadrianus, & Gis-
bertus obscuri nominis viri ruri degentes, at fama teste sacrarum
litterarum periti & controversiarum circa religionem inimici. So-
cium se illis præbuit quidam Antonius *Cornelius* vir pariter rudis
& nullius numeri. Collegiantium nomen ideo nacti sunt, quia con-
ventus suos *collegia* nominare solent. In familiam omnes reci-
piuntur, qui modo sacram scripturam pro divino habent libro
& ex præscripto ejus vivere student, quomodocunque etiam de
Deo & religione Christiana sentiant. Conveniunt fratres, quorum

insignis numerus est in plerisque Bataviæ, Frisiæ, & Westfrisiæ urbibus, bis quavis hebdomada die dominica nempe & mercurii, atque hymno quodam decantato precibusque ad Deum fusis partem quamdam librorum novi testamenti explanandam sibi sumunt. Exceptis solis fœminis, quibus publice loquendi facultas denegata est, omnibus cujuscunque sint ordinis & generis integrum est, quæ meditati sunt proponere, & fratrum judicio subjicere, omnibus etiam licet, quæ a fratribus proposita sunt, modeste impugnare. Bis quotannis Rhenoburgum commeant, ubi spatiosas habent ædes educandis orphanis & excipiendis hospitibus destinatas, ubi dies quatuor consumunt in audiendis exhortationibus ad pietatem & celebranda sacra cœna, hic etiam, qui volunt, baptizantur, sed antiquo ritu, ita ut toti aquæ immergantur [1].

1. Vero Collegiantium nomine ampla intelligi debet societas omnis ordinis & sectæ hominum, qui se Christianos omnes dicunt, at varie de Christo sentiunt, quam nec pastores & doctores, nec fidei symbola, nec denique certi ritus, sed solum pietatis studium & cupiditas ex scriptura proficiendi continent.

§. 529. *Jo. Labadie* Gallus Jesuitarum primo ordini adscriptus erat, ab his dimissus ad reformatos transiit & in Gallia, Helvetia, Batavia munus pastoris administravit, postremo novam ipse sectam condidit, quæ *Middelburgi* primum in Zelandiæ urbe, dein Amstelodami, porro anno 1670. *Hervordiæ* in Westphalia sedem sibi fixit patrocinio *Elisabethæ* Palatinæ Principis & Abbatissæ Hervordiensis nixa, pulsa inde *Altonaviam* anno 1672. concessit. Authore anno 1674. defuncto in Frisiæ occidentalis arcem *Wivertum* migravit, jam diu vero esse desiit [1]. Amplexi sunt eam tum alii quidam homines non indocti, tum imprimis celebris illa & doctissima seculi XVII. virgo Trajectina Maria Anna Schurmannia. *Labadistæ* hujus sectæ amici dicti sunt.

1. Exiguus hic cœtus non tam dogmatibus, quam moribus & institutis a reformatis sejunctus esse voluit; nam communionem bonorum, vitam contemplativam, in qua perfectionem Christianam posuit, abnegationem sui, carnis macerationes, & similia suis suasit, videturque disciplinam monasticam cum dogmatibus reformatorum conjungere voluisse.

§. 530. Eodem fere, quo Labadie vixit tempore, Antonia *Burignonia de la Porte* virgo Flandrica provincias belgicas & Cimbriam, in qua aliquot annis est versata, commovit. Decessit, postquam variis fatis jactata est, *Franckeræ* Frisorum anno 1680. Vates & augur sit necesse est, qui ex scriptis ejus, quæ plurima protulit, concinnam quamdam & cohærentem religionis formam confecerit, ex mysticorum libris phantasmata sua hausisse videtur [1].

1. Laurentius *Berti in Breviar. Hist. Eccl. Part.* 2. *pag.* 317. existimat, eam in

hac fuisse sententia, quod Adamus ante lapsum utriusque fuerit sexus, & filios absque muliebri concubitu pariturus fuisset, & quod revera hoc pacto humanam Christi naturam genuerit. Inter patronos ejus ceteris celebrior est Petrus *Poiretus* philosophiæ carthesianæ in primis peritus, qui quidem exemplo suo luculenter docuit, non ita distare rationem & superstitionem, ut in uno homine simul commorari nequeant.

§. 531. *Joanna Leade* seculo XVII. ad finem vergente in Anglia *societati Philadelphicæ* originem potissimum dedit. Fore enim in universum arbitrabatur, ut omnes inter Christianos contentiones plane cessent, unaque prorsus concors fiat ecclesia, si cuncti mentem magistro interiori erudiendam committant relictis aliis formulis, legibus & opinionibus. Erat fœmina hæc vidua mercatoris opulenti in Anglia, totamque fere vitam lectione & propagatione scriptorum Jacobi *Bohm* sutoris & Rosæcruciani insumpsit, & cum dives fuerit, omnia sua commenta sumptibus suis imprimi curavit, ideo multa ejus exstant scripta octo tomis comprehensa. Cetera ejus ut referantur inventa, in quibus celebris est illa *Apocatastasis* nihil est opus. Principes sociorum ejus erant Joannes *Pordagius* medicus & Thomas *Fromley*, quorum primus Bohmium, quem impune coluit, obscuritate vincit [1].

1. *Anno* 1614. *in Thuringia* Ezechiel Meden *se nunc Dei verbum, nunc Michaelem Archangelum nominabat. Similia effutiebant* Antonius Zinganella, Maria *so-ror tertii ordinis S. Francisci, &* F. Vincentius *Augustin. excalceatus combusti anno* 1621. *Panormi. Romæ in campo Floræ igni tradita anno* 1661. *imago* Francisci Borri, *dogmatizantis, Mariam esse Deam & in ejus utero humanam assumpsisse carnem spiritum sanctum. Eodem anno Londini suspensus est* Venerius *quidam doliarius, qui erecto vexillo cum inscriptione* Vivat Dominus Jesus, *monarchias omnes evertere stulte ac impie meditabatur. Combustus Parisiis anno* 1662. Simon Morinus *jactans venturum quam cito Christum in gloria sibimet corporaliter conjunctum. Flammis item traditus in Moscovia anno* 1674. Quirinus Kuhlmannus *pseudopropheta impudentissimus.* (Laurent. Berti Breviar. Hist. Eccles. Part. 2. pag. 317.)

§. 532. Origo *Fratrum Bohæmicorum* a tempore Hussitarum repetenda est; anno enim 1722. familiæ quædam Husso addictæ libertatem conscientiæ obtinendi causa solum Bohœmiæ vertebant, quorum aliqui sectæ herrenhutanæ, ut mox dicetur, originem dedere, alii vero in electoratu Saxoniæ domicilium invenerant. Verum quum ob concessum in Saxonia domicilium Imperatorem inter & Electorem discordiæ exortæ fuissent, Bohœmi intelligentes, se quietos ibi esse non posse, per pastorem suum *Liberda* Regem Borussiæ implorabant, quo in ipsius territorium commigrare illis indulgeret. Rex his precibus lubens annuisset, nisi se illi impedimenta respectu aulæ cæsareæ & saxonicæ, quo minus id aperte indulserit, objecissent. Interea Bohœmi non expectata licentia regia Brandeburgum venerant, brevique tempore adeo numero creverant, ut novam Berolini & circumjacentibus agris fun-

daverint coloniam, quibus Rex ecclesiam propriam nomine *ecclesiæ Bethlemiticæ* insignitam indulsit.

§. 533. At inter ipsos Bohœmos, ut fieri communiter solet, discordiæ sunt exortæ; quidam enim illorum jam anno 1740. cœtibus Herrenhutanorum se adjunxerant, alii confessioni fidei in Saxoniæ receptæ ea conditione inhærere proposuerant, ut a sacrorum ministro in eucharistia panis fractus non hostia porrigeretur, alii etiam ecclesiæ reformatæ placita susceperant. Aucta est hæc dissensio, cum anno 1751. *Elsnerus* publico scripto propugnaret, fratres Bohœmicos continuo ecclesiæ reformatæ socios fuisse, qui liber ab aula quidem prohibitus fuit, at Glocaviæ tamen cum animadversionibus denuo prodiit [1].

1. Disputabat in hoc opere Elsnerus, fratres Bohœmicos exorcismum, signum crucis in dandis benedictionibus, divisionem præceptorum decalogi, & usum hostiarum eucharisticarum in Lutheranis semper improbasse, & in his punctis cum Reformatis sensisse. Breviter sed nervose Elsnerum impugnavit *Krafftius* ostendendo, antiquos fratres Bohœmos suis in catechismis præcepta decalogi eodem modo, quo Lutherani solent, divisisse. *Macherus* etiam disputabat, fratres Bohœmos semper Lutheranis adhæsisse, eo quod a Bohœmis Catholicis contemptim *canes Lutherani* adpellati fuerint, & dum emigrarunt, pluribus in locis confessionem fidei lutheranæ ediderint, publicisque prothocolis inseri curaverint. Ex his adparet, fratres Bohœmos in tres classes dividi debere, quarum una se jungebat Lutheranis, altera Reformatis, & tertia Herrenhutanis.

§. 534. Cœtui *Herrenhutanorum* [1] originem dederant decem fratres Bohœmici, qui, dum in Moravia a Catholicis vexabantur, inde emigrantes venerant *Lusatiam*, ac a comite *Zinzendorf* anno 1722. impetrarunt, ut illis Bertholsdorfii in finibus Lausatiæ & Bohemiæ in monte *Hutberg* domicilium figere indulserit. Anno 1724. ortum est nomen *Herrenhut*, quum quidem ex illorum pastoribus in sermone publico præcurrente mentem lingua inadvertenter pro Hutberg Herrenhut pronunciavit.

1. Ipsi sibi nomen *fratrum ecclesiæ evangelicæ* tribuunt, alias etiam *fratres Moravi*, *unitas fratrum*, aut ab auctore eorum *Zinzendorfiani* adpellari solent. Erat Nic. Ludov. comes a Zinzendorf filius Georgii Ludovici comitis a Zinzendorf aulæ saxonicæ administer, natus Dresdæ anno 1700., quo tempore lites pietisticæ inter Protestantes maxime fervebant, bis ipse in Americam institutum suum propagandi causa profectus est anno nimirum 1739. & 1741, obiitque anno 1760. Hoc egit imprimis (ait *Schrœckius*), ut societatem Christianorum, qui omnes sancte viverent, etsi præter dogma *de redemptione hominum per Christum*, idque sentiendum potius quam cognoscendum, non eadem de cunctis religionis capitibus sentirent, cogeret, mixtam e *fratribus Bohemis*, ac *Moravis*, [illegible], & *Reformatis*. In quo eum successus quidem minime destituit; idem tamen religionem nimium quantum ad *sensus fallaces & phantasiæ lusus* revocavit. (Accurate libros ab Herrenhutanis & contra illos editos recenset *Walchius* in hist. recenti s.)

§. 535. Doctrinam Herrenhutanorum quod adtinet, omnibus Christianis ad illorum communitatem patet aditus, modo sint

aut Protestantes, aut reformati, aut fratres Moravi. Ipsi quidem a Protestantibus non sententiis & dogmatibus, sed disciplina tantum, institutis & moribus discrepantes videri volunt, at incredibile, quod gerunt, sectam suam propagandi studium, Protestantibus suspicionem movit, novos istos fratres Lutheranorum sermones inter Lutheranos æmulari, reipsa vero ex hominibus varii generis & religionis compositos esse; frustranei enim secus sese diffundendi essent conatus, eo quod ritus & externa instituta cum dogmatibus ecclesiæ protestanticæ componi facile possint [1].

1. *Steinmezius*, quem inter suos numerant amicos Herrenhutani, sequentia in iis reprehendit: 1.) vulgatam scripturam non minus quam textum originalem tot scatere erroribus, quot scatet quicunque alius liber, nec difficile esse in sacris litteris invenire contradictiones, 2.) Christum in statu exinanitionis Deitate caruisse, 3.) infidelitatem, qua in Christum non creditur, esse unice peccatum, nec inesse ceteris actionibus intrinsecam moralitatem, 4.) Christum ordinem salutis pro libitu statuere & denuo immutare posse, ita quidem, ut possit actionem naturæ finibus contrariam in moraliter bonam immutare, hinc tanta illorum libertas circa actiones morales. 5.) demum adcusantur, quod sortes adhibeant præsertim in contrahendis matrimoniis.

§. 536. *Samuel Clarkius* Anglus anno 1712. de mysterio Trinitatis sequentia docuit: Pater, filius & spiritus sanctus sunt quidem tres personæ divinæ, verum filius Patri, & spiritus sanctus filio est postponendus. Pater solus summus & independens Deus est, cum illo vero ab æterno duæ personæ divinæ filius & spiritus (quarum personarum essentiam scriptura sacra haud determinat, sed tantum quoad personales proprietates distinguit) extiterant. Filius a patre procedit, scriptura tamen haud determinat, num a patre exeat naturaliter, & necessario, an vero arbitrarie? pariter modum, quo spiritus sanctus a patre & filio procedit, scriptura non manifestat. Hoc systemate omnia dubia, quæ Trinitatis hostes movent, solvi posse putabat, at non erat hoc systema prorsus novum, sed id, quod seculo XVII. quidam Arminiani in Anglia docuerant, Clarkius magis excoluit. *Subordinatio* hoc systema, ejusque asseclæ *Subordinatiani* dicuntur.

§. 537. *Herm. Deusingus* jurium professor Groningæ nimis tribuerat sensui allegorico sacræ scripturæ. Primarium allegoriæ exemplum quæsivit in mysterio Trinitatis contendens, in novo testamento dogma de Trinitate jam non esse mysterium, eo quod tres Trinitatis personæ nihil sint, nisi potentiæ seu perfectiones divinæ, ita quidem, ut per patrem *intellectus* divinus, per filium *judicium*, & per spiritum sanctum *voluntas* Dei intelligi debeat. Huic se jungebat. Jo. *Wallis*, aliique Angli, qui *Methodistæ* vocari solent.

§. 538. *Schwengfeldius* natus anno 1490. primitus Luthero se junxit, posthac vero illum acriter impugnavit & in variis punctis ab eo dissensit; nam primo in sacra cœna invertebat hæc verba: *hoc est corpus meum*, atque hoc sensu accipi ea voluit: *corpus meum est hoc*, id est tale, qualis est panis, qui frangitur & consumitur, nempe verus cibus, qui animam alit, saturat, delectat, & *sanguis meus est hoc*, tale nempe quale vinum, quod animam recreat & nutrit, 2.) negavit in verbo Dei *externo*, quod in scriptura extat, vim esse mentes hominum sanandi & illuminandi, hanc autem virtutem verbo *interiori*, quod & Christum ipsum dicebat, adscripsit, 3.) ægre tulit, humanam Christi naturam in statu exaltationis creaturam, seu rem creatam adpellari, vocabulum enim hoc infra majestatem & dignitatem humanæ ejus naturæ esse, postquam in unam cum natura divina coaluit personam. Videtur hæc opinio affinis esse Eutychianis, at Schwenkfeldius Eutychianus videri noluit, contra eos, qui naturam Christi humanam creaturam dicerent, Nestorianismi adcusavit [1].

1. Nostro seculo Schwenkfeldiani denuo innotuerunt: in Silesia enim anno 1718. confessionem fidei suæ edere jussi sunt, duoque missionarii Jo. *Milanus*, & Carolus *Regentus* partim blanditiis, partim minis eos ad sacra Romana trahere studuerant, qua de causa multi ad ecclesiam lutheranam transierant. multi etiam in Americam profecti novos sibi in Pensylvania cœtus quærebant. Comes Zinzendorfius (qui circa idem tempus in America versabatur) eos sibi jungere adlaboravit irritis tamen conatibus. Ex quo vero Rex Borussiæ *Fridericus II.* Silesiam in suam redegit potestatem, edictum regium prodiit, quo Schwenkfeldianis tum in Silesia commorantibus, tum illuc reversuris specialis regia protectio & privilegia promittebantur. Ex hoc tempore varios sibi in Silesia cœtus collegerant.

§. 539. Circa annum 1623. *Seviliæ* in Hispania ingens hominum multitudo versabatur, qui sibi nomen *Illuminatorum* imposuere, qualia hujus sectæ fuerint dogmata, aut quale institutum, nescitur. Adnotarunt alii, jam seculo XVI. Illuminatos præcipue in Hispania caput protulisse, ipsumque Ignatium Lojolam jam ante annum 1540. ex Hispania aufugisse, ne ab inquisitoribus hæreticæ pravitatis tanquam suspectus de Illuminatorum secta comprehenderetur, narrat *Heideggerus* in historia papatus nixus testimonio *Melchioris Cani*, qui hoc in peculiari de societate Jesu scripto adfirmat. *Los Alumbrados* hujus furfuris homines Hispani dixere.

Finis Tomi secundi & ultimi.

INDEX

ALPHABETICUS NOMINUM

ET

RERUM PRÆCIPUARUM.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

N.

O.

P.

Q.

R.





MEESER
HISTORIA
ECLESIASTICA

2


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm